EX BIBLIOTHECA
FRANCES A. YATES

Digitized by the Internet Archive
in 2010 with funding from
Research Library, The Getty Research Institute

http://www.archive.org/details/philosophiamoysa00flud

PHILOSOPHIA MOYSAICA.

Cui adjicitur, post Fol. 153., Respon=
sum ad Hoplocrisma-Spongum
M. Fosteri Presbyteri &c.

Philosophiæ hujus Duæ sunt Sectiones.
Primæ Sectionis Contenta vide immediate
post Proœmium, ante Folium —— 1.
Secundæ Sectionis Contenta vide Fol. 66.

A. DEnotat Deum quatenus Alephtam tenebrosum quam Lucidum à Cabalistis dictitatur, Videlicet in proprietate sua tenebrosa & occulta ac latente & Lucida manifesta & patente. Vnde Psaltes: Sicut tenebræ ejus ita lux ejus: Atque ita dicitur Sol gratiam & gloriam dans: Et ipse ponit tenebras in circuitu suo latibulum. Denique si vult revelat naturam suam lucidam, seu gratiam suam præbet mundo: Si non vult creantur tenebræ, juxta istud Prophetæ: Ego Dominus formans Lucem, creans tenebras, faciens bonum creans malum & cæt:

Psal.138.12. Psal.81.

Isai.45.67. Tim.3. Psal.18.11.

B. Tenebræ fuerunt super faciem abyssi. Gen.1. Et Hermes. Erat Vmbra infinita in abysso, aqua autem & Spiritus tenuis in abysso inerant & cæt. Et David: Fecit tenebras locum suum secretum:

C. Hic, Deus (qui est lux in qua non sunt tenebræ ullæ) revelat se ex tenebris: & dicitur ista emanatio a sapiente, Candor lucis æternæ & emanatio quædam claritatis omnipotentis Dei sincera, quæ splendore est ipso sole preciosior & super omnem dispositionem stellarum luce comparata invenitur prior: In hoc statu pro essentia seu actu divino per se hoc est sine ulla cum materia mundana mixtione accipitur, dicitur-que à Cabalistis Aleph in Lucidum a tenebroso mutatum: de quo Apostolus: Tenebræ jam transierunt, & verum lumen omnia illustrans jam lucet: In hoc verbo lucido erat omnium rerum vita. Hoc omnia fecit, extendit cælos solus, stabilivit terram & cum eo nullus.

1.Iohan.1. Sap.7. 1.Iohan.1. Esai.44 24.

D.E. Vbi ex tenebris seu potentia divina & luce sive actu divino unicus ad imaginem monadis divinæ conflatur mundus: Nam ex immensa tenebrarum abysso. B. egressæ sunt aquæ juxta istud Hermetis. Vmbra infinita in abysso, aqua autem & Spiritus ejus in abysso inerant, floruit autem splendor sanctus & cæt, ex qua aqua mundi existentia est orta, ut è regione ex fonte incomprehensibili. C. derivata est illa essentia quæ aqueam mundi existentiam informat. Vnde textus sacer: Manus omnipotentis creavit mundum ex materia informi. Et alibi. Revelat fundamenta é tenebris & educit in lucem Vmbram Lethalem: Et Moyses. Spiritus Dei ferebatur super aquas. Denique Apostolus. Cœli erant prius & terra de aqua & per Aquam assistente verbo: Hoc enim extendit Iehova cœlos stabilivit terram, privativæ & tenebrosæ ipsius proprietatis effectus est nox, lucidæ vero & positivæ dies, ipse auroram & solem est fabricatus & in eo posuit suum tabernaculum.

Tim.3. Sap.11.18. Iob 12.22. Gen.1. 2.pet.3. Isai.44. 24. psal.74.16. Psal.19.4.

F. Denique denotans diurnum mundi hemisphærium & Nocturnum duplices illos arguunt effectus contrarios quos Deus unicus sub duobus nominibus in mundum hunc typicum producit: nam juxta mysticam Orphei, Hesiodi, Euripidis atque Æschyli theologiam (quorum erat fabulis mysteria quæ à divinis personis didicerunt involvere.) Sol in Archetypo divinus (a quo omnis ornatus & pulchritudo, numerosam Vitæ harmoniam comprehendens, derivatur) dicitur habere in dextra pietatem & benevolentiam in sinistra sæveritatem & punitionem. Hinc solem hunc creatum seu mundanum (in quo ille archetypicus posuit tabernaculum) vocarunt uno respectu Apollinem, quem fingunt habere in dextra gratiam, vitam & sanitatem, in sinistra vero Portare arcum & sagittam: at alia ratione eum Bacchum & Dionysium dixerunt. Sub nomine Apollinis diurnam ipsi proprietatem assignarunt, cujus est omnia ex septem partibus conflare eaque præservare, hinc inde ipsum vitæ generationis, multiplicationis, & sanitatis authorem imtimantes. Per nomen Dionysij nocturam ejus naturam intendunt, in qua creaturas ex septem partibus diurno tempore ab Apolline conflatas destruit, dilacerat atque dissipat, hinc arguentes ipsum mortis, corruptionis, & decrementi esse causam. Ob istam rationem eum vocarunt Athenienses sub nomine Apollinis Alexicacon id est mali pulsatorem, & veteres Apellin loco Apellinis quasi malorum discussorem, & Homerus Vlion hoc est sanitatis authorem: Et David Deo dante creaturis vitam colligunt: recipiente Spiritum eorum expirant, emittente Spiritum suum recreantur. Et Iob: Ad hominem apponit Deus flatum suum, quem si reciperet expiraret omnis caro. Ego occidam (ait Dominus) & ego vivere faciam. Et Salomon. Vitæ & mortis habet Deus potestatem qui deducit ad portas mortis & reducit: Denique ait Deus. Ego Domnius & non est alter, formans lucem, creans tenebras, faciens bonum & creans malum. Ego Dominus faciens hæc omnia.

Psalm 104. 19 Iob. 34 13. Deut. 23. Sap. 6.13. Esai. 45.67.

Pro Vlteriori hujus Emblematis descriptione vide in Principio Medicinæ meæ Catholicæ.

Emblema supra descriptum, ter hoc PHILO-
Libro depictum habetur:
viz. { Primò, Pagina sequente:
Secundò, Folio 66.
Tertiò, Folio 153.

PHILOSOPHIA
MOYSAICA.

In qua

Sapientia & scientia creationis & creaturarum Sacra veréque Christiana (vt pote cujus basis sive Fundamentum est unicus ille Lapis Angularis Iesus Christus) ad amussim & enucleaté explicatur.

AVTHORE,

ROB. FLVD, alias DE FLVCTIBVS,

Armigero & in Medicina Doctore Oxonienſi.

Christus est imago Dei invisibilis, primo genitus omnis creaturæ, quoniam in ipso condita sunt universa in cœlis & in terra visibilia & invisibilia, sive Throni, sive Dominationes, sive Principatus, sive potestates, Omnia per ipsum & in ipso creata sunt: ipse est ante omnes & omnia in ipso constant. Coloss. 15. 16.



GOVDÆ,

Excudebat *Petrus Rammazenius*, Bibliopola. *Anno.* M. DC. XXXVIII.

PHILOSOPHIÆ MOYSAICÆ.

Sectio Prima.

In qua

Vera & syncera Philosophiæ Moysaicæ basis sive lapis Angularis unicus, qui est radicalis creaturarum omnium Existentiæ & Essentiæ ratio atque mysterium; docetur, vivoque sacrarum literarum testimonio confirmatur: dum é regione spuria & imaginaria illa Ethnicorum Philosophiæ Fundamenta deteguntur, evertantur, & in nihilum redigantur.

AVTHORE,

ROB. FLVD: alias *DE FLVCTIBVS*,

Armigero, & Medicinæ Doctore Oxoniensi.

DEus dat sapientiam & ex ore ejus prudentia & scientia Proverb.2.6.

Prov.2.6.

Sapientia hujus mundi stultitia est apud Deum, Deus novit cogitationes sapientum quod sunt vanæ 1.Cor.3.19.20.

1.Cor.3.19. 20.

Nos non spiritum hujus mundi accepimus, sed spiritum, qui ex Deo est, ut sciamus, quæ á Deo donata sint nobis, quæ & loquimur, non ex doctis humanæ sapientiæ verbis, sed in doctrina Spiritus; Spiritualibus spiritualia comparantes: animalis autem homo non percipit ea, quæ sunt Spiritus Dei: Stultitia enim est illi & non potest intelligere. 1.Corinth.2.12.13.

1.Cor.2.12. 13.

In Christo sunt omnes thesauri sapientiæ & scientiæ absconditi, in ipso ambulati radicati & superædificate in ipso confirmati fide: Videte, ne quis vos decipiat, per philosophiam & inanem fallaciam; secundum traditionem hominum & secundum elementa mundi; & non secundum Christum, quia in ipso habitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter. Coloss.2.8.9.

Coloss. 2.8.9.

Secundum gratiam Dei, quæ mihi data est, ut sapiens Architectus fundamentum posui, alius autem super ædificat, unus quisque videat, quomodo super ædificet: Fundamentum enim aliud nemo potest ponere, præter id, quod positum est, quod est Christus Iesus. Siquis autem super ædificet super hoc fundamentum Aurum, Argentum, Lapides pretiosos, lignum, fœnum, stipulam, uniuscujusque opus manifestum erit: Dies enim Domini declarabit, quia in igne revelabitur, & uniuscujusque opus, quale sit, ignis probabit; si cujus opus manserit, quod super ædificabit, mercedem accipiet; si cujus opus arserit, detrimentum patietur.

1.Corinth.3. a 10.

Israel deservit oraculum Dei, quod est fons sapientiæ ad exquirendam artem, scientiam & intelligentiam in gentibus alienis & inter Ethnicos, qui nesciverunt veram sapientiam, sicut fecerunt Agareni & qui erant in Theman. Baruch. 3.

Baruch.3.

Quare ô Israël scientia tua hæc decepit te: Isai 47.

Isai.47.

Hic exiitit splendor Gloriæ Dei & character substantiæ illius, qui portat omnia verbo virtutis suæ. Hic Lapis angularis, quem structores spreverunt qui est caput anguli cujus libet Creatoris.

Hebr 1.3. Psal.118.22.

A Iehova hic est, estque mirabilis in oculis nostris: Super istud fundamentum sita est terra & mensura ejusdem. Coloss.1.13.

Iob.38.4.

Denique in sapientia ista Deus fecit omnia & omnia sunt & consistunt in ea, & super eam & sine ea omnia nihil.

Ioh.1.

PROEMIVM.

PROEMIVM.

IN animo meo eſt, quod nemini adverſum ſive injurioſum videretur, ſi ego Medicinæ Profeſſor in Patroni mei Theo-Philoſophici & Medici, divi nimirum Lucæ imitationem, Sacrarum literarum teſtimonio cum efficaciſſimis æternæ illius Sapientiæ rudimentis (ut pote quæ eſt unicum illud fundamentum ſeu Lapis Angularis, ſuper quem creatura omnis fundatur) adveram & eſſentialem Moyſis philoſophiam, ſuſtinendam utar. Si ſcalæ Iacobi eſſet officium, ut mediante ea, tam Animæ quam Angeli á terra in cœlum aſcenderent, adque itidem à cœlo in terram deſcenderent, idque gradibus tam Elementari quam cœleſti naturæ correſpondentibus, vel (ut Poëta myſtice loquendo habet) ſi Naturæ catena ſuum annulum ſuperiorem pedi cathedræ Iovis in Cœlo habeat affixũ, uti annulus ejuſdem infimus terræ eſt alligatus, quomodo nobis creaturis terreis vel potius imaginibus divinis tabernacula lutea inhabitantibus poſſibile eſt, ut á confuſo creaturæ chao, quaſi ejus externo, verſus ſplendidam Creatoris Eſſentiam in ejus centro latitantem, adveræ ſapientiæ myſteria perquirenda & inveſtiganda aſcendamus, niſi in terream ipſius circumferentiam ſive manſionem oculis Linceis in primis introſpiciamus? Et tum poſteá altius gradatim deſcendendo ad centralem tandem divinitatis ſeu Lapidis veré Angularis ſedem paulatim pertingamus, ſuper quem fundata & ſtabilita eſt quælibet creatura, quippe qui eſt verbum ſine quo nihil, hoc eſt incorruptibilis Dei Spiritus, qui ineſt omni rei, illave Divinitas ſumma, quæ vivificat omnia, omnia eſſe & exiſtere facit: Illa denique formarum, quæ eſt Entium Ens, & Omnia in Omnibus. Si igitur Deus in ejus verbo æterno & per illud creaturas omnes fecerit, eas vivificaverit, & earum quamlibet etiam ad hunc uſque diem in ſua ſpecie præſervavit, quis (obſecro) Philoſophorum utcunque peritus, myſteria Creatoris in Creatura enucleare, aut cum judicio mentali Creatorem in creatura ſine literarum ſacrarum documentis & Spiritus Sacroſancti conductu decernere queat? An ne Agarenos & illos, qui erant in Theman imitando, fontem totius Sapientiæ relinquemus, ut veram Sapientiam, ubi non eſt invenienda, inquiramus? Et tamẽ nihilominus abſit, ut quis intentionem ſive mentem meã hoc in opere ſiniſtré interpretetur, aut temeré putet, quod leges & ſtatuta Theologiæ ſacræ ab Antiquis Eccleſiæ patribus ſtabilita atque ordinata aut violare aut oppugnare contendam: Verúm ſciat velim, quód, ut unus & idem in Sacra Scriptura textus duplicem ſolet ſenſum ſibi vendicare, videlicet internum ſive Spirituálem, & externum ſeu literalem, & tamen horum uterque eſt verus, ut cunque quodammodo videntur in aliquo reſpectu ab invicem ſeparari at diſcrepare; haud aliter quám ſub nomine & perſona unius ejuſdemque hominis, natura gemina, videlicet Anima Spiritualis & materiale corpus intelligimus; ita etiam præter myſticam illam interpretationem, quam textus Scripturarum continet, ipſe extrinſecé tales realitates creatas exprimere & delineare poteſt, quæ inprimis ad verum Eſſentialiſſimæ Philoſophiæ ſubjectum attinent. Porro etiam eſt ſeduló conſiderandum, quod ſubjectum & Methodus pertractandi & procedendi in utriſque profeſſionibus, nimirum Theologia & Philoſophia vera, ab invicem quodammodo differant; cum illa, nempe Theologia ſynceram ac nudam divinæ Eſſentiæ naturam directé, hoc eſt, demonſtratione a priore indicet, haud aliter, quám ad Circuli exiſtentiam probandam, initium inquiſitionis facimus à Centro formali, ſeu puncto medio, atque ita paulatim ad circumferentiam per ſemidiametri gradus deſcendimus: Hæc ſcilicet Philoſophia actione & methodo contraria in ſua inquiſitione pergit, quippe quæ à creaturæ ſeu organi creati circumferentia, ſeu externa quaſi demonſtratione à poſteriori verſus ejus eſſentiam centralem aſcendit, ut hac ſua induſtriâ radicalem interni illius Spiritum inveſtigemus, qui agit & operatur in ea.

Nonne

Sap.13.1. *Nonne á Sapiente admonemur, ut opificium nobis incognitum atque absconditum per ejus opera addiscamus, si nolumus pro vanis haberi? Hoc est, ut divinam æternamque causam per creatos & temporales ejusdem effectus apprehendamus? vel ut Philosophus ille sacer Divus Paulus habet, ut videamus & intelligamus invisibilia Dei; sempiternam etiam virtutem ac divinitatē ejus per ea, quæ facta sunt: Scilicet in creaturis & per creaturas ejus: Haut aliter, quam interna & centralis circuli monas sive punctus, inquisitione facta á circumferentia per semidiametrorum partes seu puncta descendendo invenitur: siccerté se immergit verus Philosophus in creaturam progrediendo, at ejus externa quasi circumferentia in centrum usque, in quo lapis ipsius angularis delitescit; Quod cùm ita sit & cum pagina sancta sit utriusque harum professionum seu scientiarum demonstrationibus plena, fiducia mea est, quod nemini videbitur alienum, si axiomatibus & testimonijs Bibliorum summæ veritatis ad Philosophiam istam sacram staturinandam utar. Quod autem textus sacer per integrum ipsius ferè filum, tam Philosophiæ, quam Theosophiæ subjectum delineat, in eo sat liquidó appareat, quoniam actus & operationes tam mundi ævialis seu Angelici, atque illius temporalis cum cœlestis tum elementalis, quam æterni & divinitatis Copiosé describit. Sed evidenter constat, quod mundus æternus (qui nec principium habet nec finem) cum sit sola Majestate divina repletus existat præcipuum ac solidissimū illut fundamentum, super quod sita & collocata est Theologia, ut ex altera parte mundus temporalis, seu inferior, qui habet cum Principium, tum finem, atque etiā visibiliter cum creaturis ejusdem in cœlum & terram distinguitur est unicum veræ Philosophiæ subjectum sive basis. Pro mundo verò Angelico seu æviali, qui habet principium, sed nullum finem, & á Deo pro spirituum Angelicorum & Animarum beatarum sede ac receptaculo ordinatur, ut ipse situm & positionem suam inter predictos mundos extremos, nimirum illum æternum*

Rom.1.20. *& hunc temporalē habet, ita quidē immediatū cum utrisque extremis nexum ac relationem habet, ut pote qui suam lucem & vitam seu essentiam formalem immediaté recipit ab æternitate cujus tum postéa portionē deorsum effundit, eamque cum mundo temporali seu mansione inferiori communicat, ut ipse cū creaturis suis exinde crearetur & vivificaretur: Vnde sequitur, quod ut forma mundi temporalis sit Angelica sive ævalis, ita anima & vita mundi ævalis est divina seu æterna: Quibus manifestum redditur, quod natura sive proprietas angelorum nec á Theologia subjecto est excludenda, quippe quæ de divino lumine sive splendida & fulgida divinitatis presentia participat: neque á Philosophiæ substantia eximi potest, quatenus lux Angelica sit anima & vita naturæ temporalis & consequenter necesse est, ut veræ philosophiæ expertus agnoscat scientiam suam seu fundamenta suæ Philosophiæ radicaliter procedere ab æterno Deo per Spiritus suos ævales seu Angelicos in creaturis suis temporalibus (intelligo stellas, ventos, Elementa, Meteora & corpora perfectè n.ista.) Itque ideó quatenus subjectum Philosophicum ab influentijs angelicis animatur, necesse habemus credere, quod intuitu mentali in lucem illam æternam penetret, quæ tam temporales, quam ævales spiritus seu creaturas vivificat ultra quám nihil vel imaginatione vel mentali apprehensione decerni aut excogitari queat.*

Hæc est ergo tripartita illa mensura scalæ Iacobi, quam ipse in somnio suovidit, dum caput loco pulvinaris super lapidem reposuisset, in cujus Longitudine, latitudine & profunditate trium prædictorum mundorum imagines seu characteres fuerunt delineati sive depicti: atque hac de causa Lapis ille domus seu tabernaculum Dei dicebatur. Vnde certu est, quòd, ut lapis ille suum externum & internum habebat, ita Patriarcha in divino hoc suo somnio angelos à terra (quæ est scabellum pedum Dei) quasi externo & corporali, per mundum ævialem seu Angelicum ad mundum æternum quasi centrum & maximé internum, in quo

est

eſt ejus thronus, aſcendentes atque iterum per eoſdem gradus á loco ſeu ſede æternitatis per idem medium æviale in regionem temporalem deſcendentes intuebatur. Simili etiam modo cum Propheta Ezechiele (idque viſione magis externa) decernere ac concipere poteſt Philoſophus verus, myſterium non modo rotæ in rota, ſive ævialis eſſentiæ in temporali exiſtentia, ſed etiam aſpectu adhuc magis interno & mentali illud Rotæ in medio rotarum, videlicet motorem centralem & ſpiritum æternum in æviali, mediante quo temporalis ſeu Corporea creatura immediatè vivificatur & agitatur: Quibus (ſcripturis ſacris innitentes) inferre queamus, quod Deus ſit eſſentialiter unum & omnia & quod impleat omnia: Ephes. 4.8. 1. Cor. 12.11 1. Tim. 6. 13 Sap. 12.1. Ioh. 1. Act. 17.25. Epheſ. 4. 6. Rom. 11.36. Iudith. 16.17. Iſai. 42.5. Pſal. 102.24. *Et quod ipſe operetur omnia in omnibus. Quod vivificet omnia: Et quod ejus ſpiritus incorruptibilis inſit omnibus: Et quod verbo ejus omnia ſint facta & ſine eo nihil: Et quod in verbo eſſet vita, & illa eſſet lux hominum. Et quod ipſe det vitam & inſpirationem & omnia. Et quod in ipſo vivamus, moveamur & ſimus. Et quod ipſe, ſit Pater omnium, qui eſt ſuper omnia & per omnia & in omnibus nobis: Et quod ab ibſo, per ipſum & in ipſo, per ipſum & in ipſo ſint omnia. Et quod miſerit ſpiritum ſuum & creaverit omnia. Et quod det flatum populo qui eſt ſuper terram & ſpiritum calcantibus eam. Et quod omnia in ſapientia fecerit: & impleta ſit terra poſſeſſione ejus. Et quod dante eo creaturis colligant, aperiente manum ejus omnia replebuntur bonitate, avertente faciem ſuam turbabuntur creaturæ at auferente ſpiritum eorum deficient & in pulverem ſuum revertentur, emittente vero ſpiritum ſuum, recreabuntur & renovabit faciem terræ & cæt. Et quod per ipſum univerſa ſint creata in cælo & in terra, viſibilia & inviſibilia, ſive Throni, ſive Dominationes, ſive Principatus, ſive Poteſtates, omnia per ipſũ & in ipſo creata ſunt. Et quod ipſe ſit ante omnes, quòd & omnia in ipſo conſtent &c: Obſerva, obſecro, quomodo Apoſtolus his verbis paucis tres prædictos mundos ad vivum depingat. Rurſus ait, quòd Chriſtus ſit omnia & in omnibus: Et quod portet omnia verbo virtutis ſuæ: Et quod in eo ſint omnes theſauri ſapientiæ abſconditi: & quod ſapientia ejus faciat aëri pondus & aquas appendat in menſura, & quod poſuerit pluvijs legem & viam procellis tonantibus. Et quod reſpondeat ipſe Iobo in turbine. Et quod ipſe per verbum ſuum det nivem, ſicut lanam & pruinam, ſicut cineres diſpergat, & quod glaciem proïjciat ſicut buccellas, & quòd ante faciem frigoris ejus nemo durare poſſit: Et quòd ſimul ac emittit verbum ſuum liquefaciat ea, & ſimul ac flet ventus ejus, fluant aquæ: Et quod flante Deo cõcreſcit gelu &c. Infinitos quaſi alios locos é Biblij ſacri theſauro producere queam ad confirmandos actus univerſales operationesque mirabiles & potentes, quæ ab eſſentialiſſima & æterna illa Dei ſapientia aſſidue efficiuntur, quæ, uti diximus, eſt eſſentialis illa Baſis ſeu lapis Angularis, ſuper quem pura & ſyncera philoſophia ædificatur: Sed quoniam de ipſis alibi in Philoſophia ſeu Meteorologia mea ſacra copioſè egi, atque etiam in iſta præſenti ſectione plura dicam, vos ad ea brevitatis cauſâ refero.*

Coloſſ. 1. 16.

Coloſſ. 3. 11. Hebre. 1. 3. Iob. 28. 25. Iob. 38. 1.

pſal. 147. 15.

Iob. 37. 10.

Sectio hęc Prima in Libros quinque dividitur quorum

- Primus Instrumentum sive Machinam experimentalem describet, diligenti cujus observatione, quælibet Philosophiæ nostræ Moysaicæ particula demonstratur & contra falsam Ethnicorum Doctrinam Sustinetur.
- Secundus Sapientiam genuinam & veram a spuria & falsa, consequenter Philosophiam essentialem, & Sacrosanctam ab illa Ethnicorum adulterina & inventione humana producta, distinguit.
- Tertius.
  - Explicat rerum omnium principia.
    - Primaria quæ sunt.
      - Tenebræ seu Materia prima. Cap. 1. 2.
      - Aquæ quæ sunt Materia rerum omnium secunda. Cap. 3. & 4.
      - Lux divina, quæ est essentia illa centralissima omnia creans, informans, vivificans, movens. Cap. 3. & 4.
    - Secundaria.
      - Activa quæ sunt: Frigiditas. Caliditas.
      - Passiva quæ sunt: Humiditas. Siccitas.
  - Veram plenitudinis & vacuitatis conditionem adversus veterum Philosophorum sententias petractat & aperit.
- Quartus.
  - Mysticam tum. Condensationis. Rarefactionis. Rationem docet.
  - Generationis & Corruptionis ortum atque etiam Regenerationis atque Resurrectionis mysterium detegit. cap. 6.
  - Ethnicorum opinionem, quæ Deum necessitatem in hoc mundo agere contendit, refutat penitus. cap. 7.
- Quintus mysterium
  - Ventorum cap. 2. 3. & 4.
  - Nubium & pluviæ. cap. 5. 6. & 7.
  - Nivis. cap. 7.
  - Fontium & fluminum. cap. 8. 9. & 10.
  - Fulguris & Tonitrui. cap. 11. 12. & 13.

  Adversus Ethnicorum Philosophorum mentes enucleat.
- Ac in fine sive conclusione Appendix quædam ex Viri in mysterijs Dei ac Naturæ profundissimi operibus extracta editur, quæ Philosophiæ Moysaicæ eccellentiam præ alijs omnibus extollit & magnanimiter defendit.

SECTIO-

SECTIONIS PRIMÆ,
LIBER PRIMVS.

DE INSTRVMENTO EXPERIMENTALI SIVE DEMONSTRATIVO.

HVIVS LIBRI ARGVMENTVM.

Liber hic primus, qui eſt quaſi procœmium & præparatio ad cæteros quatuor ſequentes, declarat, quòd cùm hominum mundanorum animi pro hodierno die ad ſummum uſque infidelitatis culmen ſint ita erecti atque elevati, ut more Iudæorum ſine ſignis & demonſtrationibus credere nolint: Iudæi ſigna petunt (dicit Paulus) & Græci ſa-
1. Cor. 1. 22. pientiam &c: Author hujus tractatus præcipuum fore victoriæ medium in hoc conflictu Herculeo, qui inter duos inimicos & agoniſtas fortiſſimos veritatem & ſalutatem, hoc eſt, ſapientiam Dei & illam mundanam eſt faciendus, exiſtimavit, ſi vulgare & bene notum aliquod experimentum ſive practicum inſtrumentum invenire potuiſſet, quod cœleſti noſtro Athletæ, ſcilicet veritati loco maſſæ ſive fuſtis Herculei ad monſtrum illud deforme & horrendum, nempe Infidelitatem domandam & exterminandam inſervire queat, quod tam pertinaciter ad ſui Domini nimirum erroris & tenebrarum principis ſtatuta atque privilegia ſuſtinenda exponit: cùm tales, qui reali practica atque oculari demonſtratione nolunt ad centrum veritatis dirigi ac conduci, magis irregulares & à politis & a quadratis rationis regulis errabundi meritò ſunt cenſendi, quàm beſtiæ ſive animalia bruta, ut pote quæ experientiâ (ſtultorum ob iſtam rationem matre dicta) gubernatæ, illud ſolent eligere, quod ab ipſis probatum eſt bonum; quod verò ſibi malum invenerunt, ſummoperé evitant. Propter hanc igitur cauſam & ad hunc effectum machinam quandam ſpiritalem, nomine ſpeculi Calendarij dictam elegit, quam ipſe vocat inſtrumentum ſuum experimentale ſive demonſtrativum, ut per ocularia & practica ejuſdem experimenta ſapientiæ & philoſophiæ mundanæ falſitatem delineare & veritatem defendere poſſit, quæ originem ſuam ducens à Patre Luminis eſt vita, veritas atque verus Lapis angularis, in quo & per quem omnis creatura conſtat, & in ſuo eſſe præſervatur.

CAPVT. I.

Hic author rationem exprimit, cur in iſtius diſcurſus philoſophici introitu ſeu initio fabricam, proprietates & uſum machina ſeu inſtrumenti cujuſdam experimentalis proponat.

PAteor, rem eſſe commendatione dignam propoſitionem philoſophicam, acutis argumentis & quaſi telis ex rationis naturalis, pharetra ſelectis probare atque ſuſtinere, ſed quoniam ſubtiles iſtius ſpeciei inquiſitiones & objectiones (utcunque primo intuitu probabiles & veriſimiles ſunt, tamen in concluſione falſæ & erroris plenæ plerunque inveniuntur) ideò tales, qui inviolabili ſcripturarum ſacrarum

veritati sunt devoti meliori fide in ijs stabilientur, modò si authoritas sancta cum cæteris conveniat. Et tametsi duo istiusmodi testimonia ad omne dubium sive scrupulum in veritatis sapientibus confirmatione videantur sufficientia, tamen tanta obstinaciæ fervore æstuare videtur hujus mundi & præcipuè communium hominum incredulitas, imò verò & tanta astutia & subtilitas etiam in hominum nonnullorum haud mediocriter eruditorum spiritus irrepsit, qui magis sensu practico, quam spirituali speculatione ducuntur, ut nisi cum Divo Thoma videant & manu contrectent, aut saltem signum aliquod evidens intueantur, fidem quandoque, rei utcunque veræ, adhibere nolunt. Ob istam igitur rationem cùm ego ipse solus in palæstram philosophicam adversus illos philosophos ethnicos, qui mundana sapientia freti philosophiam finxerunt humanam, me conferam, necesse habeo, ut armis Herculeis me inprimis muniam, Nam ut Apostolus contra bestias Ephesi in similitudine hominum pugnavit, ita egò adversus illas Athenæ videlicet Protei formes Peripateticorum philosophos contendere aggredior. Quare mihi proposui in loco priori arma solida ex rationibus è secretiore Naturæ thesauro cudere, illaque sacrarum literarum Authoritate & virtute temperare, ac tandem ocularem producam experientiam sive demonstrationem, mediante qua loco massæ seu fustis Herculei irrationabile illud monstrum, incredulitatem, facilius domem & subjugem, quippe qua non est pernicioſior & ferocior generi humano hostis. Quod ut melius ad finem desideratum perducam, instrumentum quoddam Experimentale, mundo vulgariter notum hîc in lucem produco, quo oculi infidelium inviam veritatis dirigantur, & à dictis philosophiæ spuriæ & sophisticæ ad metam veritatis divertantur.

CAPVT. II.

Quod instrumentum vulgò speculum Calendarium dictum, falsò à quibusdam nostri seculi hominibus sibimet ipsis arrogatur, utpote, qui illud propriam suam inventionem esse falsò gloriantur.

GLoriæ tam impensè avidus atque famæ & reputationis cupidus est homo, ut quomodo, quave ratione illam acquirat, nimirum an sit directè vel indirectè, parum refert. Ista sola erat causa, ob quam Ethnici philosophi sibi ipsis ea philosophiæ principia more surreptitio ascripserunt, quæ summo jure sapienti divinoque philosopho Moysi pertinebant, nominibusque sive titulis novis illam suam latrociniam velabant & quasi deaurabant, ut hac ratione ostentarent ea proprijs suis inventionibus, fuisse stabilita (ut infra dicetur latius) simili planè ratione instrumentum sive speculum hoc nostrum experimentale, plurimos, habet inventores spurios seu adulterinos, qui; quoniam typi formam aliquantulum immutarunt, ipsius inventionem à seipsis prius excogitatam gloriantur. Quod ad me attinet, cuilibet quod suum erit tribuere æquam atque honestum esse existimo: Non enim erit mihi dedecus istius meæ philosophiæ principia præceptori meo Moysi ascribere, ut pote qui ipsa etiam divino digito formata atque designata accepit, neque jure mihi fabricam hujus instrumenti primariam arrogare aut vendicare queam, quamvis illo in naturali Macrocosmi, mei historia & alibi ad veritatem argumenti mei philosophici demonstrandam (licet in aliâ formâ) sum usus: & agnosco, me illud in veteri quingentorum saltem annorum antiquitatis manuscripto graphicè specificatum, atque geometricè delineatum inveniſſe. Primò itaque formam, sub qua illud in monumento prædicto antiquo inveni, vobis exponam: Deinde ejus figuram atque positionem, quod vulgariter inter nos est cognitum atque usitatum hic describam.

Ex



Ex quibus videre licet ista duo solummodò in figura & non naturâ inter se variare: Nam radij solares calore suo in globum concavum capitis. A. operantes faciunt, ut incluſus aër, eorum actu rarefactus per fistulam A. B. in ollam aquæ descendat & per superficiem aquæ in forma bullarum egrediatur; occidente verò sole nocteque frigida appropinquante, iterum congelatur, contrahitur atque condensatur aër ille incluſus, qui pridie Solis præsentiâ calidâque ejusdem actione erat rarefactus. At quia in sphæra plumbeâ & fistulâ sat aëris non est ad hujusmodi condensationem in debita proportione efficiendam, quoniam pars ejus (ut dictum est) pridie erat exhalata, ideò ut evitetur vacuum, tantum aquæ ex olla C. in fistulam plumbeam exsugitur, quantum aëris in rarefaciendo est exhalatum. Rursus, quando Sol proximo die oritur, aër in vitri globo & fistulâ concluſus iterum rarefiet, ac tunc seipsum dilatando, aquam, quæ in fistulam conscenderat, in locum priorem repellet. Atque ita hæc in condensatione ac rarefactione, alteratio semper eodem modo plus minusve se habebit, prout Sol nobis vicinior aut remotior erit, aut juxta venti in elemento spirantis sive frigiditatem sive caliditatem.

Idem etiam aëri secundo speculo incluſo continget, globus enim sive pila in summitate vitri, plenus est aëris, atque exactè in quælibet respectu, plumbeo refertur pilæ, sic ut fistula recta, quæ ex aqua ascendit, capitique adjungitur, exactè fistulæ curvæ prioris comparatur, adeò, ut si pila plumbea superius erigatur, ac fistula curva fiat recta, ut ex aquæ olla ascendat, perpendiculariter in plumbeam sphæram, cum nulla erit differentia inter formam sive figuram primæ & secundæ machinæ vel instrumenti, ita ut unusquisque discernet, eandem esse utriusque in effectu conditionem ac usum.

CAPVT. III.

Hic fabrica organi seu instrumenti hujus, quod vulgus speculum calendarium vocat, cum præparatione vitri, & adaptatione orificij vel nasi ejusdem in vas pervum aquâ plenum, exprimitur; Vbi etiam opiniones eorum, qui putant aquam in vitri seu matratij collum per caliditatem exsugi & elevari meritò confutantur.

OBservandum est inprimis, quòd experimentale hoc nostrum instrumentum, ex tribus conflatur partibus; quarum Duæ sunt naturæ machinæ propriæ, videlicet Matratium sive vitrum & vas inferius aqua plenum, in quod vitri nasus seu orificium intrare debet; alia verò accidentalis magis est, atque ita ordinata, ut vitrum sua positione perpendiculari sustentet.

Ad matratium sive vitrum quòd spectat, illud debet caput satis spatiosum vel rotundum vel ob longum habere cum collo longo & angusto, cujus orificium seu os reliquo collo proportionari & duplici modo præparari atque adaptari debet. Inprimis enim collum ejus perpendiculariter positum, ita in vasculum sive peluem aquæ plenam est adaptandum, ùt ejus orificium fundum ejus attingat. Deinde à superficie sive summitate aquæ, sursumque per collum vitri ad globum ejusdem usque ascendendo mensurare debemus, donec ad ipsam pilam, sive illa sit longa sive ovalis, perveniamus, illudque collum in partes 15. dividere, in quarum media, nimirum in illa inter caput ejus & aquæ superficie, quæ est in fundo, figuram I. describo, deinde deorsum ab I. descendendo atque itidem ad I. ascendendo numero, & describo 1. 2. 3. 4. 5. 6. 7. Exempli gratia.



Quod ad aquæ vaſculum ſpectat, illud etiam cum proportione vitri ſive Matratij fiſtulæ vel colli in fundum ejus deſcendentis, in dicta figura depictum habetis.

Iamque fiſtulâ Matratij ſeu vitri ita in partes diviſâ, vitrum præparare ac diſponere debetis hoc modo, ut magneticum & attractivum frigiditate, atque expulſivum ſeu dilatativum caliditate efficiatur: Accipiatis ergo, velim, orificium matracij in manibus & caput ejus ſive ſit rotundum, ſive ovale, igni donec valdè incaleſcat extendatis: Calor enim ignis rarefaciet aërem vitro incluſum, efficietque, ut bona ejuſdem rarefacti portio ex orificio vitri evolet, ac in eo ſtatu remanebit, quamdiu vitrum in illo caloris gradu manet, quo inſtanti, ſi repentè fiſtulæ naſum in vaſis inſtrumenti aquam ponatis, percipietis, quòd ut Matracium frigeſcit, ſic etiam aqua in ſpeculi collum paulatim, ſurſum, aſcendet. Obſervandum quoque eſt, quod quo calidius vitrum factum eſt, eo altius appropinquante frigore in collum vitri aſcendet, cujus rei ratio eſt, quia, quò magis in vitro rareſcit aër caloris virtute, eo minor erit aëris proportio & per conſequens eo major vel minor aquæ proportio in vitri collum ſublimabitur, ſecundum majus vel minus frigoris in aëre externo dominium: Nam aër poſt ejus attenuationem in vitro remanens, ab intenſo frigore condenſabitur, & condenſatione tantum aquæ ſecum rapiet & in altum attollet, quantum aëris prioris in dilatatione ex aquæ ſuperficie expiravit; quo manifeſtè apparet, deceptos fuiſſe eos, qui calorem attractionis aquæ ſurſum occaſionem fuiſſe cogitant, cùm demonſtratione iſta oculari patet, quòd ſit caloris actus, qui eam pellit deorſum; è regione verò conſtat, quòd frigus ſit aſcenſionis aquæ cauſa: Vtcunque impoſtores nonnulli, quò rem admirandam magis efficiant, liquorem ſive ſpiritum eſſe ſecretum & ab ipſis ſolummodò motum, prædicant, qui vitro incluſus arcana quadam proprietate aquam quandoque in vitrum aſcendere, & quandoque deſcendere faciat: quam aſtutiam ut melius tegant, aquam incluſam vel viridi aëre vel ſimilibus tingere aſſolent. Quod ad accidentalem hujus machinæ partem pertinet, illa variformiter, ſeu in quacunque forma vel figura nobis placeat præparari & fabricari poteſt: Meam autem ejusdem fabricandi rationem hîc depinxi.

CAPVT. IIII.

In quo diverſæ inſtrumenti hujus demonſtrativi proprietates & uſus exprimuntur.

TAm proprietas hujus inſtrumenti, quàm uſus conſideratur vel univerſaliter vel particulariter. Proprietas enim ejus generalis eſt, vel contrahere & condenſare, nimirum, cum aër incluſus per frigus externum animatur, vel dilatare ac rarefacere, quando ſcilicet aër incluſus à calore externo excitatur: Atque ideò per naturam ejus conſtringentem & dilatantem, rationem ſine conditione aëris mundi univerſalis diſcernere poſſumus: Qua quidem obſervatione facillimè eſt ſpeculandum, nihil eſſe in toto naturæ imperio, quod aut rarefieri aut ſubtiliari queat, niſi mediatione & actu caloris, ſive ſit viſibilis, ſive inviſibilis, qui eſt effectus lucis, ut è regione nihil contrahi aut condenſari poteſt ſine frigore, cujus origo ſunt tenebræ. Proprietates autem hujus inſtrumenti particulares cum ipſarum uſibus ſunt iſtæ. Primùm per machinam iſtam aëris externi ſive catholici Elementi temperamentum in calore & frigore revelatur: Quò enim altius aqua in collo ſive fiſtula Matracij ſcandit, eo fortius arguit frigoris in aërem Dominium: Ad eo ut hoc modo quotidie de frigoris in aëre augumento vel decremento indicare queamus, & conſequenter per aquæ in fiſtula deſcenſum caloris in aëre ſeu Spiritu mundano proportionem ſcire facilium erit.

Exprimenta quædam notatu digna ex ſpeculi hujuſmodi obſervatione collecta.

SI aqua, quæ ſatis altè in ſpeculi ſeu inſtrumenti collo ſeu fiſtula erat elata, ſubitò per aliquot gradus jam deſidat; ſignum erit indubitatum pluviæ ſive imbris immediatè ſubſequentis.

Si unius noctis ſpacio aqua elevata reſidet, pluviam non multam proventuram arguit.

Si Auſter aut Eurus flet immediatè poſt Aquilonem, vel Favonium, aqua obſervabitur per gradus nonnullos cadere: At verò ſi poſt Notum vel ſubſolanum ſpiret Boreas, ſeu ventus frigidus occidentalis, tum aqua manifeſtè exaltabitur.

Si aqua ad gradum in collo Matracij I. attingat aërem arguet eſſe temperie moderatum in calore & frigore, haud aliter, quàm ſe habet aër, dum Sol per æquinoctium tranſeat vernale.

Quòd ſi altius aſcendat aqua, tum arguit aërem per tot gradus ad diſpoſitionem frigidam ſeptentrionalem vergere, per quot

ſupra I. elevatur: Nã conſiderare debemus, quòd à gradu 1. ad ſuperiorem 7. ad hæmiſphærium hyemale pertinet: & per conſequens gradus multiplicationis frigoris importat ſpatium illud; ita, ut ſi aqua ad 2. argumentum eſt, quòd frigus ſuperet calidum in aëre per gradum unicum: Si ad 3. per duos: Si ad 4. vel. 5. arguit pruinam: Ad 6. magnam glaciem: Ad 7. glacies in iſta civitate londinenſi adeo eſt magna, & dura, ut homines & currus ſuper flumen Thameſin tranſire ſoleant.

E regione verò, ſi aqua ſubſidat à 1. ad 2. hæmiſphæry inferioris ordinis ſeu æſtivalis: Sive calidum arguit primum caloris Dominij ſuper frigus gradum ſi ad 3. deſcendat vel 4. majorẽ in aëre caliditatẽ demonſtrat: Si uſque ad 5. aut 6. cadat aqua, aërem declarat impenſè calidum: Verùm ſi aqua ad imam figuram 7. detrudatur, extremum & intenſum indicat in aëre calorem, ita, ut ratione ejuſdem fulmina & tonitrua in eo efficiantur.

Quibus videre vas eſt, quanta ſit relatio illa, quæ facta eſt inter aërem externum ſive univerſalem, elementum ſpirituale ſub lunare, atque illum ſpeculo inſtrumentali incluſum: De his in capite ſequenti plura.

CAPVT. V.

Hìc evidenter probatur, non obſtante ulla objectione, quòd fieri poſſit in contrarium, quòd organum hoc experimentale relationem habeat non modò ad mundum magnum, verùm etiam, quòd ſpiritus inſtrumento huic incluſus ab illo machinæ mundi regatur & gubernetur.

SEd priuſquam ulteriori comparatione inter ſpiritum in parvulo hoc noſtro typo ſeu machina contentum, & proprietates agentium & patientium in eo, cum illis magni mundi procedam; neceſſarium eſt, ut primò cujdam dubio, ſive objectioni, quæ fieri poteſt, reſpondeam; quæ quidem, niſi remota & reſoluta ſit, relatio ſeu comparatio hujuſmodi, ignorantibus aut inepta ſeu omnimò impoſſibilis videatur: Scio igitur haud paucos objecturos eſſe, quòd nulla comparatio conveniens inter parvam hanc noſtram machinam artificialem, atque naturalem illam mundi fabricam ſeu organum fieri poſſit: Quandoquidem ſpiritus in ſpeculo noſtro ubique clauſus, ſeu vaſi ſuo ſtrictè incluſus eſt, atque ideò aër ſecundum ſpeculi formam ſeu figuram, vi movere cogitur: At longè aliter res ſeſe habet cum ſpiritu illo, qui vaſtam mundi cavitatem occupat, ut pote in quo aër ſeu ſpiritus quolibet impulſu huc atque illuc liberè obſervatur moverè, ſicut in ventorum à ſingulis mundi plagis obſervatione quotidiana ſumus inſtructi. Cui reſpondeo, quòd ipſa eadem eſt motionis ac relationis ratio in craſſa ſive denſa naturâ ad tenuiorem, & ſimilter à tenuiori ſeu rariori ad craſſam & denſam, in ſubjecto parvo, quæ in majori, ſi modò ſimiles habeantur reſpectus, idque in æquali pondere & menſura proportionali caloris & frigoris. Imò quidem audacter affirmo, quòd totus mundus tam completè cum ſpiritu ſive aëre eſt refertus, quàm eſt vas hoc noſtrum experimentale: Quòd ſi non eſſet, ſequeretur per conſequens, quòd vacuum admitteretur in rerum natura, quòd quidem, ut quiſpiam Philoſophorum crederet, abſurdum foret. Quare audacter concludo, ſpiritum in cavitate hujus inſtrumenti contentum (conſiderata ejus magnitudine) eſſe quantitate, menſurâ & pondere proportionatum ad illum mundi majoris: Teſtatur enim experientia, quòd in ſingulis anni partibus calidum & frigidum proportionaliter Dominium habent, tum in ſpiritu ſpeculi, quàm in aëre mundano & eoſdem in utroquo ſolent producere effectus tam in rarefactione, quàm in condenſatione aëris, uti in prædictis eſt declaratum: Nam quò magis calor abundat in aëre mundano, eo etiam magis deprimitur aqua in collo inſtrumenti, & per conſequens aër in dicto collo incluſus dilatatur & rarefactus eſt: é contra quò magis frigoris inclemẽtia viget in aëre externo, eo plus aqua in fiſtulam inſtrumenti elevatur: Quibus evidens eſt, quòd prædictum dubium ſive ſcrupulus penitus auferatur. Hoc ergo reſpectu vellem ut quilibet lector conſultus & ſibi conſtans intelligat, quòd, quando hujuſce inſtrumenti naturam ſive conditionem intueatur, obſervare quidem poteſt actionem in rarefactione & condenſatione mundi cujuſdam minoris, qui in omni re videtur mundo majori conſentire & correſpondere, utpote, qui ſuum hæmiſphærium tam aquilonare, quàm Auſtrale habet, qua lineâ per ſignum 1. tranſeunte haud aliter ab invicem diſtinguuntur, quàm illa in mundo majore per lineam æquinoctialem: Duos etiam videtur tropicos cum polis ſuis habere ſolummodò Auſtralem polum ſeu hæmiſphærium calidum eſſe putamus, reſpectu noſtrûm, qui ſpiraculo ab eo procedens à Sole eſt, qui reſpectu noſtrûm auſtraliter diſponitur. Atque ideò polum hunc ſeu hæmiſphærium hoc æſtivum, ut è regione alterum hyemale dicimus: atque demonſtravimus, quod gradus 1. in fiſtulæ inſtrumenti

menti meditullio æquatoris ſedi, directè reſpondeat: Quoniam, ſi Tropicus Aquilonaris ſeu hycmalis ſupponatur eſſe baſis unius trianguli, cujus conus in centro tropici æſtivi finiet; & rurſus, ſi Auſtralis ſeu æſtivalis Tropicus ſit baſis, alterius Trianguli, cujus conus definit in centro Tropici Borealis, neceſſe eſt, ut ubi per triangulos hoſce imaginarios facta eſt interſectio media, ibi æquator tranſeat.

Exempli gratia.



Atque iſtum æquinoctialis locum ſphæram æqualitatis appellamus, quoniam quo tempore Sol exiſtit in Ariete vel Libra, in vernali ſcilicet & autumnali linæ Æquinoctialis ſectione, dies noctesque ſunt æquales, atque etiam utraque hæmiſphæria tunc temporis æquali caliditatis ac frigiditatis temperie ſolent convenire. Taliter etiam reverâ res ſe habet in macrocoſmo, videlicet æqualitas temperiei in utroque hæmiſphærio.

Atque ita ſufficienter vobis inſtrumenti hujuce experimentalis tam fabricam, quam proprietatem deſcripſi, ut mihi in iſto adverſus Peripateticos mundanos certamine pro oculari demonſtratione loco clavæ Herculeæ inſerviat: Cùm denique rationibus ex profunda veritatis pharetra depromptis, quæ ſecuræ & expertæ armaturæ vices ſubeant, ſim ſtipatus, cùmque iſta armatura ſit inſtar teſtudinis ſive clypei ſacrarum literarum authoritatibus munita, quo veritatis utque ſynceræ ſapientiæ majori magnanimitate cauſam ſuſtineam, cur (obſecro) inimicorum meorum multitudinem extimeſcerem? Si Deus nobiscum, quis contra nos? Cum ipſa veritas, quæ omnia vincit pro me, ſat ſcio, pugnabit.

SEC-

SECTIONIS PRIMÆ liber *PHILOSOPHIÆ MOYSAICÆ* Secundus.

Hujus libri Argumentum.

In libro hoc primò probatur Philoſophiam Ethnicorum eſſe adulterinam & falſam, tum quia ſuper ſapientiam mundanam fundatur,
1.Cor.3.19. quæ, teſte Apoſtolo, eſt mera in oculis Dei ſtultitia, tum quatenus eſt veritati contradictoria & conſequenter non deſcendens à Patre Luminis, qui eſt in cœlo, ſed à principe tenebrarum, qui ſedem ſuam in regione obſcuritatis & ignorantiæ habet: Quare iſta ſapientia ſeu *Sophia* ab Apoſtolo dicitur terrena, animalis, diabolica. Hinc ergo
Iacob.3.15. ab eximio illo Theo-Philoſopho D.Paulo admonemur, ut per Philoſophiam ejus modi vanam, quæ eſt á traditione hominum & ſecundum Elementa mundi hujus inventa, & non habet pro ſecuro ſuo
Coloſſ.2.8. fundamento Lapidem Angularem Ieſum Chriſtum, minimé decipiamur.

CAPVT. I.

Philoſophiæ Etÿmologia, Definitio & divisio.

PRiusquam in abyſſum Philoſophiæ eſſentialiſſimæ profundiſſimam me immergam, cujus fundatio eſt vera *Sophia* ſeu ſapientia divina, quæ eſt res tam difficilis exſecutionis, ut nihil præterquam velox & agiliter alata hominis anima ad exitum felicem valeat perducere; operæ pretium & rationi haud diſſentaneum exiſtimavi, ut in primo loco vocabuli *Sophia* Etymologiam conſideremus, cujus naturam nudam tam avidé venamur, ſitique Tantalea affectamus, quò tum poſteà meliori methodo & certiori intellectu ad ipſius eſſentiam ſive definitionem perveniamus, ac denique firmiori confidentia in ſubjecti diviſiones ac differentias deſcendamus, ut tali progreſſu veritatem directiùs depingamus, eamque melius à falſitate & errore diſtinguamus. Cúm igitur Philoſophia ſit tractatus hujuſce noſtri negocium, ſciendum eſt in primis, quòd ipſa generaliter pro ſapientia accipiatur; at vero in ſenſu ſeu ſignificatione magis propria & peculiari interpretantur Amorem, ſeu amicum (& ut alij vocant) ſtudium ſapientiæ: Nam vocabalū *Philoſophia* componitur ex. *Philos*, quod eſt amicus & *Sophia*, hoc eſt, ſapientia, quaſi amor ſeu ſtudium ſapientiæ. Liquet ergo, quòd à Græcis ſic vocatur, quatenus comprehendit in ſe amorem ſapientiæ, ſeù quia in tractando ſapientiam homines ad ipſius amorem incitantur atque alliciuntur. Antiquis temporibus dicta erat hæc ſcientia *Sophia*, ſeu ſapientia tantum, at Pythagoras egregius ille philoſophus vocabulū *Philos* tum poſteá addidit, ut pote, qui ſe maluit potiús pro Philoſopho, hoc eſt, ſapientiæ amatore, ſeu ſtudioſo haberi, quám titulum ſapientis ſibi impudenter arrogare.

Ab Etymologiæ iſtius ſenſu haúd erit difficile naturam & definitionem elicere: Nimirum, quòd ſit amor ſeu ſtudium ſapientiæ ardens fervenſque animi ad ipſam inquirendam atque apprehendendam applicatio, quatenus vocabulum importat, quid ſit amor ſapientiæ ſyncerus. Evidenter ergo ex iſtis apparet, completum philoſophiæ ſubjectum eſſe ſapientiam, cujus perfecta cognitio eſt ſummum vitæ mortalium bonum, & meta illa amabilis, adverſus quam ſapientes cujuslibet ſeculi in primis, collimaverunt. Verùm ut à rerum primordio erat in rebus diſtinctio differentiaque oppoſita, nimirum inter lucem & tenebras, bonum & malum, juſtitiam & injuſtitiam, ac (ut uno verbo concludam omnia) inter realia & vera Dei atque præſtigioſa, vana & imaginaria Diaboli hominumque mundanorum, quibus eſt ipſe Dux ſeu potius ſeductor; ita etiam extremum eſt inter veram ſapientiam; quæ eſt à Deo & illam falſam ac phantaſticam, ſive humanæ inventionis atque traditionis effectum diſcrimen, cujus pater eſt Diabolus; quippe qui eam hominum Ethnicorum conceptibus ac phantaſijs, chimeris impreſſit, ut etiam electos (ſi eſſet poſſibile) ſubtilibus atque callidis ſuis fallacijs decipiat. Hinc ergo tanta ſeminata eſt à mundi origine inter philoſophiam atque eſſentialem, & illam falſam ſeu adulterinam diſcordia: hinc tantus philoſophorum & philoſophiæ à mundanis contemptus. Nonne hoc totum à pagina ſancta habemus ſufficienter confirmatum? Non in Sapientia carnali (ait Apoſtolus) ſed in gratia Dei verſati ſumus in hoc mundo. Atque iterum: Prudentia carnis Mors eſt, quoniam ſapientia carnis eſt inimica Dei; Prudentia ſpiritus eſt vita & pax. Et alibi luculentius: Prædicatio mea non eſt in perſua- 2.Cor 1.12. Rom.8.6.

sionibus & humanæ sapientiæ verbis, sed in ostensione spiritus & veritatis: sapientiam loquimur inter perfectos; sapientiam autē non hujus mundi, sed loquimur Dei Sapiētiam in Mysterio, quæ abscondita est, quam
1.Cor.2.4. Deus revelavit electis per spiritum suū &c: Quibus verbis docemur primū, quód orationes oratorū mundanorū suaves & mellifluæ, qui solo sermone & non reali virtute sunt sapiētes, philosophique sophisticri, qui linguis multa pollicentur, effectu tamē parum aut nihil præstare possunt; sint planè venti inanes, cū viceversa philosophi reales seu essentiales verba virtute & potestate munita edere soleāt. Secundó, quod sermo á vero & potenti philosopho prolatus, sit fructuosus & florescens, quippe qui æternitatis sapiētiâ & non illa hujus mundi statuminatur, quæ lapidis Lydij examinatione solūmodo potēs invenitur. Tertió, quoniâ sapiētia cœlestis humano generi est mystícé & nō humana traditione revelata, ut pote in potestate divina solummodó & solis sanctis atque electis detecta seu manifesta & per consequēs Ethnicis sapiētibus atque infidelibus incognita: & tamē isti sunt præcipui philosophię Christianorum compositores, quā ipsi, veræ ac divinę philosophię leges respuentes vel saltē ignorantes, tantâ fiduciâ & conamine venerātur atque insequuntur, ac si divinitas à cœlo esset nobis hominibus demissa. Cùm nihilominus nos ex Apostoli verbis colligimus, quod ipsa sit fallax, vana & sophistica, quatenus orta est ex traditione hominū & secundū elementa hujus mundi fabricata & non à Christo vero lapide angulari, in quo habitat plenitudo Divinitatis corporaliter: Hinc ergo idē aliter: Nos non spiritum hujus mundi accepimus, sed spiritum, qui est ex Deo, & qui
Coloss 2.8. ab eo donatus fuit nobis; loquimur, non in doctis humanæ sapientiæ verbis, sed in doctrina spiritus, spiritualibus spiritualia
1.Cor 2.12. cōparantes: Animalis enim homo, non percipit ea quę sunt spiritus Dei: Stultitia enim est illi & non potest intelligere &c. Atque iterum: Sapientia hujus mundi est stultitia apud Deū: Deus enim novit cogitationes
1.Cor.3.13. sapientū, quòd stultæ sint &c. Quibus etiā decernere possumus, quòd sit sapiētia falsó sic docta & in effectu veræ sapientiæ contraria: quare & stulta ab Apostolo dictitatur; atque ideò conceptus seu imaginationes talium sapientum seu Philosophorum cum suis Discipulis (utcunque optimè de se ipsis sentiant) sunt revera stultæ & nullius æstimationis coram Deo. De hujusmodi verò philosophis Propheta hæc: Væ, qui dicitis malū bonū & bonum malum, faciētes tenebras lucem, & lucē tenebras, ponentes
Isai.5.20. amarum in dulce, & dulce in amarum. Væ, qui sapientes estis in oculis vestris & coram vobismet ipsis prudentes. Nonne etiam assignat D. Iacobus, insignē inter has sapientias discrepantiam? Sapientia (inquit) con-
Iacob.3.15. tradicens veritati non est de sursum descēdens à patre luminis, sed terrena, animalis, diabolica: Sapientia verò de sursum descēdens est de Deo: quibus liquet, quod ut juxta integram paginæ sanctæ harmoniā, sapientia accipitur, nimirum pro terrena & mundana, que est spuria, hoc est, ab inventione humana, nec non secundū elementa mundi parta (uti dictum est) ità etiā est sapientia vera, pura atque essentialis nimirū illa, quæ suum ortum seu radicem habet in Christo seu verbo Dei juxta illud sapientis: Verbum Dei altissimi est sapientiæ fons. Quod cum ita sit, non cum tanto fervore seu vehementia à nobis Christianis adoran- Eccles.1.7.
da atque amplectanda est Philosophia illa adulterina & mendax, que ab infidelių figmentis originem suam ducit; ut illa omniū verissima & efficacissima, ut pote super fundamentum verum Christum Iesum, unicū lapidem Angularem in contemptu haberetur, & pro nihilo planè penderetur, quippe cujus solius est implere, sustentare & vivificare omnia: Nam in ita faciendo stultos & temerarios imitabimur Israèlitas, de quibus Propheta Baruch in hoc sensu: Sapietiæ Baruch.3.
fontem reliquit Israèl, hoc est, neglexit sapientiā veram, ut artes, scientiā & prudentiam in extraneis gentiliū nationibus quererent, in quibus non erat invenienda, sicut fecerunt Agareni & illi, qui fuerunt, in Themā, qui hac viâ ad veræ sapientiæ perfectionem attingere haud potuerunt: Nònne in tali philosophiæ veræ neglectu Prophetiæ divinę præceptū violabimus? Quod Ierem.10.2.
est, ut vias gentiliū minimé discamus: quoniam leges populorum sunt vanæ. Et Apostolus hisce paucis nobis innotescere videtur extremam illam varietatē & dissonantiam, quæ est, inter duas istas sapientiæ species. Sapientiam (inquit) græci quærebant;
Iudæi signa, nos Christum crucifixū prædi- 1.Cor.1.22.
camus &c: Quo quidem sermone arguere videtur, contemplativam græcorū philosophiam, quæ ex traditione hominum & sola imaginatione stipata est orta, cujus patroni erant Peripatetici, stoici & Epicuræi. At philosophia practica erat illa, quam affecerunt Iudæi (noluerunt enim credere sine practicis philosophiæ effectibus ac in ultimo loco nominare videtur veræ philosophiæ medullam, sive studium sapientiæ rectū, quę consistit in Iesu Christo crucifixo, quę ex solo Deo est, quatenus sapiētia hujus philosophię ab ore Iehovę est egressa: quo- Eccles.24.5.
niā ejus fōs (ut dictū) est verbum Dei. Hinc in sua propria persona sic loquitur sapientia ista vera: ab ore altissimi prodij &c. Atque hac de causa Apostolus differentiam inter philosophiam Grecorum, que erat spuria, imaginaria & phantastica, atque istam veram & realem ostendens, hanc nobis proponit cautelā: Vt (inquit) consolētur corda Coloss.2.2.
ipsorum, instructi in charitate, & in omnes divitias plenitudinis intellectus in agnitione mysterij Dei Patris & Iesu Christi, in quo sunt omnes thesauri sapiētię & scientię absconditi. Hoc dico, ut nemo vos decipiat in sublimitate sermonū: sicut ergo accepistis

pistis Iesum Christum Dominum nostrum, in ipso ambulate, radicati & abundantes in gratiarum actione. Videre, ne quis vos decipiat per philosophiam & inanem faliaciā secundum traditionē hominum & secundum elementa mundi & non secundum Christum Iesum: quia in ipso habitat omnis plenitudo Divinitatis corporaliter, & estis in illo repleti, qui est caput Principatus & potestatis &c: ex quibus verbis res istę notatu dignę sunt respiciendę & cum diligentia observandę. Prima est, quòd omnis intelligentię & scientię plenitudo consistit in revelatione & scientia mysterij Dei & Filij ejus Christi Iesu. Quoniam (ut ait Apostolus) in Christo solo consistit sapientię & scientię Thesaurus: Vnde Christus in hæc verba: Quærite regnum Dei & cætera adijcientur vobis. Et per consequēs est mera stultitia ad veram scientiam & intellectum atque sapientiam inquirendā ab ipsis, qui eam non habent. Secunda, quòd melliflui oratores & dolosi & fallaces sophistæ vanique istius mundi philosophi sint summoperé evitandi & nullo modo credēdi; quippe quorum doctrina seu verba sunt superficialia & vix probabilia, quatenus rei veritate pro sua in structura basi nihil aliud habent, quam figmentum inane & imaginariū. Tertia, quòd sit Philosophia & consequenter sapientia quædam, quæ initium suum ducit ab invētione seu traditione hominum & secundum elementa hujus mundi & non secundum Christum, atque ideò omni conatu à verisChristianis evitanda ac propulsanda vel saltē non tanta syncritate observanda, ac si à quadam divinitate esset de cœlis in terram emissa. Quarta, quòd illa sit philosophia syncera, & per consequēs sapientia vera, quæ est secundum Christi naturā, quippe in quo omnis perfecta scientia & cognitionis atque sapientiæ Thesauri sunt siti: atque ista doctrina fabricatur non juxta hominum doctrinā seu traditiones, nec secundum mundi elementa, quæ est terrena animalis, Diabolica, & contradicens veritati; sed secundum eam, quæ à Deo, Patre Luminum descendit, uti ab Apostolo Iacobo docemur. Super hujus ergo sapientiæ humanæ seu mundanæ bases erecta est (uti diximus) ea sapientia Græcorum (quæ est præcipua philosophiæ Christianæ pro hodierno die columna) Hocque probari videtur in eo; primùm, quia Apostolus Paulus negat ipsam esse veram philosophiam, quatenus super Lapidē Angularem Christum Iesum non ædificatur: quemadmodum ex sermonibus ejus, philosophis Atheniēsibus prolatis, liquido satis explicatur. Nam quando sectæ Epicuræorū & Stoicorum colloquium cum eo habuissent (postquam rationibus divinæ philosophiæ ipsos ab Idololatria & deorum falsorū atque ignotorum veneratione diffuasisset, ipsisque sapientiæ veræ Iesu Christi leges, futuramque à mortuis resurrectionem prædicasset, & consequenter eos in veræ & realis Philosophię fundamentis, instruxisset) eorum nonnulli replicaverunt dicentes: Quid vult seminiverbius hic dicere? Alij verò, dæmoniorum videtur iste annunciator: Quibus tandem respondet philosophus verè Christianus in verba hæc: Viri Athenienses, per omnia quasi superstitiosiores vos video: Præteriens enim & videns simulachra vestra, inveni & aram, in qua scriptum erat IGNOTO DEO. Hunc ergo quem ignorantes colitis, hunc ipsum annuntio vobis &c. Nota hìc obiter, quòd isto sermone arguit, ipsos verum syncerę philosophię fundamentum ignorasse; ut pote, qui verum Deū, qui est verę sapientię scaturigo haud cognoverunt. Tunc in hunc modum progreditur: Deus (inquit) qui fecit mundum, & omnia, quæ in eo sunt; hic cœli & terræ cum sit Dominus, non in manu factis templis habitat, nec manibus humanis colitur, nec in diger aliquo, cum ipse det omnibus vitā & inspirationē & omnia &c. Auscultate & observate (obsecro) sapientis istius philosophi excellentiā, qui his verbis philosophos hosce mundanos sapientiā divinā, & per consequens philosophiam Essentialē perspicuè docet: Nam per textum istum indicat, quòd Spiritus Dei, qui est Christus Iesus templa artificialia non inhabitet, sed rem quam libet creatā faciat suum sanctuarium, & inter omnes alias creaturas ipsum hominē templum suum carneum facit per superexcellentiam, ut in eædem contextu liquet, atque ideò affirmat, quòd idem spiritus sapientiæ sanctus det omni creaturæ vitam, & inspirationē & omnia. Quare si omni rei tunc nulla restat res in mundo, quę non animatur ab eo, quippe suam vitā, respirationē & existentiam ab & in ista divina sapientia hauriens, & propter istam rationē à scripturis Lapis haud immeritò dictitatur Angularis, quatenus scilicet super ipsā & in ipsa omnis creaturę fabrica consistit, eique radicaliter innititur. Quare evidēs est, quòd ipse solus sit mundi lux, in qua est vita illa, quę vivificat omnia; Et qui est omnia in omnibus: In ipso condita sunt universa in cœlis & in terris visibilia & invisibilia, omnia per ipsū & in ipso creata sunt, Et ipse est ante omnes & omnia in ipso constant: Ille implet omnia, operatur omnia in omnibus. Nonne videtur etiam Salomon huic rei astipulàri, dum asserit, Spiritum Dei incorruptibilem inesse omni rei? Procedit autem Apostolus in istiusmodi orationis filo: Fecitque (ait) ex uno omne genus humanum inhabitare super universam faciem terræ, definiens statuta tempora, & terminos habitationis eorū, quærere Deum, si forté attractent eum, aut inveniant: quamvis non longé sit ab unoquoque nostrum: in ipso enim vivimus, movemur & sumus: sicut & quidam vestrorum poëtarum dixerunt &c. En & ecce admirabilem Lapidis divini istius virturem & stupendas

Coloss.2.3. Iacob.3.15. Act.17.18. Act.17.22. Act.17.24. Ioh.1.4.9. Tim 6.13. 1.Cor.15.26. Coloss.1.16. 1.Cor. 12.16. Sap.12.1. Act.17.26.

ſtupendas illius in creaturis operationes! Et nota, quod ſemper in poteſtate hominis eſt, ut ipſius inquiſitione, & pulſatione poſſit ad ſuam ſalutem acquiri. Hic eſt ineffabile & inexplicabile veræ Philoſophiæ ſubjectum, & ſummum verorum philoſophorum bonum, quod tantis laudibus à veteri & novo Teſtamentis exaltatur & ebuccinatur. Quare non inconſulté dixit
Coloſſ. 2. 3. in loco prædicto Apoſtolus: In Chriſto omnes Theſauri ſcientiæ & ſapientiæ ſunt abſconditi &c: Quibus inferre videtur Apoſtolus, quòd nulla ſit vera philoſophia, quæ non habet ſpiritualem iſtam fundationem, nimirum Ieſum Chriſtum, in quo eſt plenitudo, divinitatis corporaliter, & qui eſt caput tam Angelicæ & ſuperioris Naturæ, quam Creaturarum inferiorum; & per conſequens omne in omni. Quod cùm ita ſit, apertis videre licet oculis, quam longé à veritate Philoſophia illa Græcanica diſtet; atque hac de cauſa minimé à pijs Chriſtianis eſt illa amplectenda, ſed potius in æternum releganda exilium: cùm à ſacris ſcripturis via magis recta, completa & perfecta ad ſapientiæ æternæ myſteria dignoſcenda vereque philoſophiæ arcana inveſtiganda, delineatur. Denique in eo patet, quòd Græcorum Philoſophia atque ideó mundana ſive humana illa ſapientia, ſuper quam ſtruitur talis philoſophia ſit terrena, animalis & diabolica, & ſapientiæ & philoſophiæ veræ contradicat, atque ob iſtam rationem neceſſe eſt, quòd ſit falſa & ſpura in ſequentibus aperté demonſtrabitur.

CAPVT. II.

In quo, quid ſit ſapientia humana, & quis homo animalis; ac é regione, quid Sapientia divina, & quis homo ſpiritualis, enucleaté diſcutitur.

SEd priusquam ulterius in hoc noſtro diſcurſu progrediamur, operæ erit pretium, ut mundo inprimis ortus ſeu originis tam ſapientiæ humanæ ſive mundanæ & hominis animalis (de quibus ſcripturæ plurimus in locis) quám illius divinæ atque hominis ſpiritualis rationem aperiamus. Sciendum eſt ergo, quód ſuprema ſapientia ſit ipſius animæ guſtus, intelligentia ejus viſio, mens ejus oculus, ratio ejus aſpectus, atque ipſa ratiocinatio objecti in quiſitio, ut, ubi intelligentia non accipiat guſtum ſeu ſaporem ſuúm primarium á ſapientia ſuprema, ibi ſæpiculé in ſuo judicio falli atque decipi ſolet, nec eſt ſatis, ut habeat mentem pro oculo, cujus actu fit viſio, quippe quæ verſatur tam in inferiorum, quám in ſuperiorum intuitu: Sed neceſſe eſt, ut rectà judicium á ſapientia procedat. Eſt ergo intelligentia illa animæ facultas ſeu poteſtas, qua homo percipit, cognoſcit & diſcernit res omnes intelligibiles: Arque intelligere debemus, quód viſio iſtiuſmodi fiat tribus modis, nimirum vel per aſſiſtentiam ſenſuum exteriorum & tunc verſatur mediante phantaſiâ circa corpora ſenſibilia, quæ ſolent quandoque, imó veró plerunque, hominis naturalis intellectum atque rationem dirigere & aſſiſtere: vel per ſolum phantaſiæ ſpiritum, & tunc verſatur circa corporum & ſpiritualium ſimulacra imaginaria: atque in ambabus iſtis vidēdi ſpeciebus intellectus facilé corumpatur, & ratione phantaſiæ mediāte qua cognitio rerum corporaliū intelligibilium conducitur & offertur rationi, ac tandē intellectui; ſeduci queat: Nam impoſſibile eſt, quin phantaſia (cúm ſit interior facultas ſenſitiva, quæ profundam in ſe variarum rerum ſenſibilium ſive præſentium ſive abſentium impreſſionem recipit, & ex varijs rerum ſenſibilium realium ſpeciebus ſimiles laborat ſpecies in conceptu producere & extrahere, Et (cúm ultra rerum naturalium, ſenſitivarum, & ſubſtantiarum corporearum cognitionem tranſcendere non poſſit) impoſſibile (inquam) eſt, quin animæ ſeu intelligentiæ notiones tales ſenſibiles repræſentet, quas objecta ejus ſpecialia ei aſſignant: Hinc ergo evenit, quod animus ſeu intelligentia in percipiendo rectè & juſté res, quaſlibet intelligibiles cognoſcendo & diſcernendo decipitur; idque eó præſertim magis quó phantaſia ad conceptum aliquem alicujus rei intelligibiles imaginarium, á rebus quibuſdam ſenſibilibus extrahere atque elicere conatur: Nam in tali actione intelligentia ſeu animus (ad modum ab ipſa phantaſia ſeductus) facillimé circa talem rem in diſcernendo & percipiendo decipi queat: quatenus res illa intelligibilis ſit ſpiritualis ac ſupernaturalis, & per conſequens circulum capacitatis humanæ rationis excedit: Verbi gratia, cúm mentio homini naturali ſive animali fiat de Deo Exercituum, tunc effigies ſtatim in ſpiritu ejus phantaſtico alicujus ſenſibilis & corporei Potentatus, ſeu Imperatoris eminentis ſuis principibus munitus depingitur. Porro ſi Spiritum Sanctum arguere velit, impreſſionem columbæ vel linguas ardentes fiſſas & hujusmodi alia præſe ferat. Etiam ſi ſeraphin nominemus, ipſe cum ſex alis contactus in ſpiritu phantaſtico apparebit, ut & Angelus igneus & alatus in eo videbitur, & diabolus cornutus, pedibus fiſſis & in effigie terribili & more phantaſtico in eo præſentabitur

tabitur &c: At ſi immediatè á ſẽſibus in ſpiritum phantaſticum veniat ico, tunc etiam objectum tale viſionem intellectualem fallit. Exempli gratia: Baculus rectus in a qua poſitus, apparebit viſui curvus, & more tali. De pingetur in ſpiritu phantaſtico. Arbores, civitates, & montes videbuntur navigantibus moveri: Poſtis vel columna apparebit phantaſiæ, nocturno tempore homo: ſimiliter auditui ſonus bombardæ, ut & ipſius pulveris accenſi ſplèndor pro tonitru & fulgure habebuntur imaginationi: ut & ululatus felis pro clamore puerili &c: Porro etiam phantaſia repræſentat falſa ſimulachra tam in ſomno, quàm vigilijs per ſe, uti in delirio vel phrenitide vel maniâ correptis videre licet: Imò veró & quandoque fingit ea, quæ nec unquam fuerunt, ſunt aut erunt. Hinc etiam eſt, quod tot errores irrepſerint in mundum, quibus hominis animalis ſenſus atque intellectus ſolis ſimili tudinibus veritatis loco ipſius realis veritatis ductus & mera probabilitate innitens dicipitur & in ſemitam contrariam ſeducitur, nihilque intelligere videtur, præterquam corpora, quæ à ſenſu phantaſtico offeruntur: vel in Spiritu phantaſiæ merè imaginario per ſe creantur. Hinc orta eſt ſapientia illa mundana ſeu humana & conſequenter philoſophia illa Ethnicorum vana, quæ ex traditione hominum & ſecundum elementa hujus mundi & non ſecundum Ieſum Chriſtum veram ſapientiam ab Apoſtolo ſpecificatam proceſſit. Ex iſtiusmodi viſione intelligentiæ fallaci, imaginantur & ſomniant peripateticicum ſuo principe, Elementorum terræ, aquæ &c: cœlorum, Aſtrorum atque ipſius mundi æternitatem, fortunæ finxerunt in mundo Dominium, deũ neceſſitate ad generationẽ, & corruptionẽ agere dicunt, loquuntur de Vacuo, quod in ſubſtantia mundana poſſint imaginari, ſphæras cœleſtes credunt eſſe motu rapto & violento primi mobilis vectas: Meteora á fumis & vaporibus á terra & aquis elevatis fieri, & per antiperiſtaſin invicẽ coacervari, eoſque ab attractiva vi ſolis, Aſtrorũ &c: in altum ſublimari exiſtimant: Terræ motum fingunt, á ventis terræ viſceribus incluſis cauſari, volunt fontes á vaporibus terra venis condenſatis generari: Nubes ab ipſis in altum elevatis & mediante Antiperiſtaſi inſpiſſatis procreari: Hocque ideò à ſenſu colligunt & in phantaſiæ ſpiritu imprimunt, quoniam obſervant in deſtillationibus vapores exolla vel cucurbita in ſummitatem Alembici aſcendentes, in guttas excreſcere & coagulari. Porro ventos ab exhalationibus à terra aſcendentibus & ab eorum repercuſſionibus ab alijs deſcendentibus fieri aſſerunt, quoniam fumum liquorum vel carbonum accenſorum in ſuo aſcenſu à vento in aëre deſcendente lateraliter pelli obſervant. Tonitrua etiam ab ignis in aqua murmure fieri exiſtimant, quoniam ipſum ferrum candens in aquam projectum talia murmura & ſtrepitus facere animadvertunt &c. Quare evidẽs eſt, quod duabus iſtius modi in phantaſia viſionibus, nimirum á ſenſibilibus ſenſuum corporeis & abimaginibus ſpiritualibus in ipſa impreſſis, utatur ille hominis animalis animus ſeu intelligentia, quæ interiora & centralia, hoc eſt, ſuperiora & divina, veraque negligendo ad exteriora & ſuperficialia intuenda penitus eſt addicta: Vnde ſequitur, quòd ejus ratiocinatio ſæpiculé circa objecta, quæ inquirit, fallatur, ita; ut plærumque vix probabilia pro veris accipiat: quoniam notiones, quas á ſenſibilium in phantaſia impreſſionibus inquirit, incertæ ſunt: quatenus imagines tam præſentiũ, quàm præteritorum & futurorum in ejus ſpiritu more imaginario delineata majore ex parte ſunt fictæ & imaginariæ, tales nimirum apparentes, quales rei veritate non ſunt. Hujuſmodi eſt igitur hominis naturalis ſive animalis conditio; hujuſmodi (inquam) ſapientæ humanæ ſeu mundanæ radix atque fundamentum, quippe cujus animus non intelligit ſive intuetur oculis ſpiritualibus & á ſapiẽtiæ guſtu inſtructus, quorum eſt ea reſpicere, quæ nec corpora nec corporum formas habent, cujuſmodi ſunt Deus, Mens, Verbum, Sapientia, Iuſtitia, Veritas & eſſentiales animæ affectiones bonæ. De hujuſmodi ergo ſapientia intendit Apoſtolus, ubi ait: Quod ſapientia, quæ eſt de infra ſit terrena, animalis & Diabolica. Vnde liquet, quód homo animalis non poſſit (juxta divi Pauli ſentẽtiam) percipere ea, quæ ſunt de Spiritu Dei, quippe cui ſunt illa ſtultia; nec poſſibile eſt, ut ab eo ullo modo intelligantur, ut pote quæ ſpiritualiter ſunt diſcernenda. At ſpiritualis rerum ſecretio non eſt naturale ſed ſupernaturale fidei opus, quatenus non â notionibus ſenſibilibus, ſed á cognitione ſupernaturali ſpiritualiter in animam illuminatam infuſa aſſurgit. Iacob-3. 15. 1.Cor.2.

At veró é regione in tertia intelligentiæ animæ viſionis ſpecie, in qua ipſa mentis acie, inferiora negligẽdo reſpectum ſuum ad ſupremam ſapientiam diviſit, quæ eſt ejus guſtus & alma nutrix, in qua ſita eſt infallibilis omnium rerum notio, ipſa nec falli, aut deludi vel ſeduci poteſt, atque per iſtam viſionem, quæ res intuetur, quæ nec corporeæ ſunt, nec corporum formas habent, (quas ſuperius recenſuimus) poteſt animus ſeu intelligentia ad veram animæ agnitionem pervenire, & nullo modo per priores videlicet ſenſus & imaginationes, quatenus hæ potius fallunt animum, & faciunt, quód ibi illa videantur, quæ revera non ſunt. Per receſſum igitur á ſenſibus & corporum ſimulacris ad ſui ipſius & Dei, ejuſque ſapientiæ atque angelorum cognitionem pertingere ſolet, homo internus ſeu ſpiritualis; recedendo (inquam) á ſenſibus, animumque ſuum á multitudine

unitatem versus distrahendo, hoc est, revocando radios suos extrinsecus dispersos ad se eosque in se retinēdo: Nam sensibus impeditur anima necernere seipsam & creaturam valeat. Si ergo anima versatur circa Deum, tunc exultat & gaudet in suo bono, quippe quod bonum animę est Deus: At si versatur circa mundana, tunc lętari videbitur in exterioribus & in bono carnis: Ascendere autem ad Deum, hoc est, gustare de suprema sapientia, est intrare in se ipsum & ad intima sui penetrare. Qui ergo ita in altum speculatur, ut transcendat se ipsum, & de suprema sapientia sapiat, ille veré ad Deum ascendit. Hęc ergo est vita animę & cordis hominis, dum Deum suum contemplatur: Nam qui vivit in Deo, ille suum quasi esse cognoscit, esse ipsum Deū & Dei Verbū: Vnde ait Mercurius Trismegistus: crede quod in te vidit & audit Verbū Dei: Et Euangelista: In verbo erat vita, & illa vita lux hominum: Et alibi: Vos estis Templum Spiritus sancti & membra Christi. O quàm nobilis existit spiritus ille, qui veræ sapientiæ gustu ductus oculis spiritualibus percipit, se ex luce & vita creatū esse: Nam spiritus deprehendens se ipsum ex vita & luce compositum ad vitam rursus & lucem transcendet. Hac igitur ratione anima seipsam transcendens se pro libitu ad inferiora & superiora delatat & ad cognoscendum & contēplándum Deum supra se, seipsum in se; & angelos juxta se, & quicquid cœli ambitu continetur: infra se divinitus illuminatur. Tunc ipsa in hac sua conditione mediante sensu, corpora sine errore speculatur; imaginatione corporum similitudines, ratione eorum naturas; intellectu spiritum creatum & intelligentia illum increatum: Nam discernere potest intelligentia post summæ sapientiæ gustum inter verum & falsum, quando sensus informat imaginationem & imaginatio rationem, & exinde faciat scientiam illam, quæ prudentia dicitur (ut tum postea rationem instruat divinâ præsentiâ ac sapientiâ verum producat. Atque hæc est vera & unica hominis spiritualis & mente erecti visio, qua illam sapientiam speculatur, quæ descendit desuper, quæ est Iesus Christus, in quo sunt omnes thesauri sapiētiæ & scientiæ absconditi, quam homo animalis sive naturalis comprehendere nequeat, sed ipsam (teste Apostolo) pro stultitia æstimat. Verba viri istius spiritualis sunt ista. Non spiritum hujus mundi accepimus, sed spiritum, qui ex Deo est, ut sciamus, quæ à Deo Donata sint nobis, quæ & loquimur, non in doctis humanæ sapientiæ verbis, sed in doctrina spiritus, spiritualibus spiritualia comparantes: Animalis enim homo non percipit ea, quæ sunt Spiritus Dei: stultitia enim est illi, & non potest intelligere &c. Super istam igitur sapientiam est philosophia vera Moysaica fundata, à viris spiritualibus & theodidactis in Biblijs sacris allegatis per instinctum Spiritus Sancti mundo revelata: Estque in omnibus Philosophiæ mundanæ & ab hominibus animalibus traditæ contradictoria. Agnoscit enim hæc vera Philosophia, Deum esse purum & incomprehensibilem spiritum in phantasiæ marginibus minimè comprehensum, nec non & verbum ejus ac æternam ipsius sapientiam. Angelos facit Spiritus divino numini atque etiam Dæmones inservientes, ab intellectu hominis naturalis minimè in sua essentia concipiendos; multò magis essentialiter in ejus phantasia, pro ut revera existunt describendos. Fatetur etiam contra Ethnicorum leges, mundum & consequenter terram, aquam & cætera eleēta, atque cœlum, stellas, & cætera in mundo fuisse à divino verbo creatas: & per consequens non ab æterno (ut ipsi falsò opinantur) Fortunam Peripatetiam in mundo locum nullum habere concludit, neque agendi necessitatem Deo imponit, sed ipsum secundum voluntatem suam in hoc mundo operari testatur. De vacuitate substantiæ mundanæ non loquitur, sed mentionem facit de inanitate seu absentia Spiritus divini omnia informantis, cujus præsentia omnia dicuntur plena. Cœlos in æterna & non primi mobilis coactione mediante sapientia conversi asserunt: Meteora non è fumis & vaporibus fieri, sed ex æfflatu divino ex cœlo, quod est ejus arca thesauraria, produci narrant; idque sine ulla aut solis aut stellarum attractione: quippe quarum est proprietas, non attrahere sed discutere potius. Terræ motus à potestate occulta angelica & non à ventis terræ inclusis causari volunt: Nubes non à vaporibus, sed aëris condensatione, mediante sapientiæ actu produci statuunt: Ventos ex thesauris Dei derivari & non ab exhalationibus imaginarijs generari ajunt: Tonitru non ex nubium & exhalationum collisione oriri scribunt: Cum sit vox Iehovæ: Nec procedunt fulgura ex exhalationum accensione, sed ex ore & throno Dei. Atque ita in cæteris. Hæc sunt sapientiæ veræ instituta sacrarum literarum authoritate statuminata. Vnde evidens est, quid sit sapientia humana seu mundana: nimirum illa, quæ fit ex visione intelligentiæ exteriori seu sensibili & apparitione notionum corporalium, seu corporum sensibus exterioribus subjectorum vel simulacrorum in corporum Spiritu phantasiæ impressorum, ex qua orta est Philosophia humana seu ex traditione hominum seu ex elementis hujus mundi parta: Et per consequens quid sit homo animalis seu naturalis, facilimū erit ex istis discutere: Videlicet intelligētia, cujus ulterius, quàm ad res mundanas sensibiles & phantasticas percipere nequit; Quippe cui de sapiētia suprema gustare vel mētis aciem ad Spirituales & ideales verbi divini notiones convertere nescit: Similiter è regione ex istis colligere fas est quid sit

Ioh. 1.

1. Cor. 2. 12. 13.

vera

vera ſapientia, nimirum illa, quæ deſcendit ab alto à Patre Luminum, videlicet, quæ ab intelligentia ſive animo eſt orta, quæ inferiora & ſenſibilia negligẽdo intuitũ ſuum fixum ad ſuperiora habet, hoc eſt, corpora & eorum ſimulachra reſpuẽdo, in ea luminis ſui aciem flectit, quæ nec corpora nec corporum ſimilitudines ſunt, ſed nudæ atque infallibilis veritatis ideæ: Nam ſi ad verbi ſeu ſapientiæ ſúpremæ ſeu Chriſti ſpiritualis exiſtentiam viſus ſui aciem fidenter dirigat, ibi illum, qui eſt omnia in omnibus inveniet, & conſequenter omnia in eo, qui eſt omnia ſine fallacia aut deceptione ſpeculabitur: Nam cujus Spiritus unicus eſt Chriſto, ejus ſpiritus unus erit factus in ipſo, & per conſequens omnia ei ſine dubitationis alea ſcire non erit difficile: Nec tibi Lectori hoc videatur mirum, cum omnia in mundo majore ſecundum proportionem debitam in microcoſmo retineantur: Nec equidem eſt ea increata divinitas, quæ mundum & omnia in mundo implet, hominemque centraliter & per irradiationem à centro totum occupat ab invicem diviſa: Quarè certum eſt, quód ea, quæ de Deo, Verbo, Æternâ ſapientiâ, Iuſtitiâ, Virtute, & alijs in microcoſmo ubique in ſcripturis ſunt intellecta, in ipſo etiam microcoſmo ſunt intelligenda: Vt enim terra, aqua, aër, ignis, æther & ſpiritus empyreus, intellectus, ratio, mens, ſapientia, verbum & Deus in microcoſmo comprehenduntur: ita etiam iſta omnia proportionaliter ita in microcoſmo comprehenduntur, ut non ſint ab illis in microcoſmo magis, quàm radij Solares à ſoledivisa. Verùm, ut eſt in natura humana quandoque ad mundi inferiora reſpicere, quod eſt hominis animalis ſive naturalis munus & nonnunquam ad ſuperiora vertere ſuæ contemplationis aciem, quod eſt hominis ſpiritualis affectio: Ita redditur quidem homo in genere pronior vel ad ſapientiam humanam; & conſequenter ad philoſophiam mundanam inveniendam & fingendam, quæ eſt falſa, ut pote ſtultitia & inanitas coram Deo; vel ad illam divinam in utroque mundo euangelizandam & ſtatuminandam, quæ eſt juſta & acceptabilis apud Deum. His igitur cum diligentia conſideratis, ut omnis ſcrupulus ab hujus mundi literarijs in philoſophiæ hujuſce noſtræ inquiſitione dematur, in hunc modum progrediemur.

CAPVT. III.

In quo veræ ſapientiæ & philoſophiæ origo ac eſſentiale principium explicatur, naturaque & poteſtas ipſius realiter: idque paucis detegitur.

VT methodicé in hoc noſtro negocio procedamus, reſtat jam, ut in loco priori Sapientiæ philoſophiæque eſſentialis originem, fontem ac ſcaturiginem cum diligentia ex literarum ſacrarum teſtimonijs perquiramus; definitionem naturamque ipſi maxime convenientem tum poſteà majore cum facilitate exprimanus: Deinde oſtendamus, quòd ſit reale non modò philoſophiæ veræ cum Scientijs ex ea dependentibus fundamentum; ſed etiam myſteriorum ſive arcanorum omnium abditorum; imò verò rerum cunctarum, tum præteritarum, quàm futurarum revelatrix atque detectrix. Ad originem autem hujus ſapientiæ ſacroſanctæ quòd ſpectat, teſtimonio & conſenſu paginæ ſacræ probabo, quòd illius fons ſit ipſe Deus, qui eſt Luminis Pater: Vnde patet, quòd ſit ſapientiæ mundanæ omnino oppoſita, quippe quæ eſt terrena & animalis. Hinc Apoſtolus: ſapientiæ dator & inventor Deus eſt: & alibi: ſapientia & fortitudo Domini ſunt. Et Iob: Sapientia in antiquis eſt & in multo tempore prudentia. Et vir ſapiens: Sapientiam dat dominus, ex ore ejus prudentia & ſcientia. Et alibi Sapientiam poſſidet Deus in principio viarum ſuarum, antequam quicquam faceret, à principio, ab æterno ordinata eſt. Concepta erat, cùm nondum erant abyſſi. Et Syriacus ait: Sapientia à Deo profecta eſt & prior omnium eſt creata. Atque iterum: Ex ore altiſſimi prodij primo genita ante omnem creaturam. Et Salomon: Sapientia cœlitus mittitur de ſanctis cœlis, ut mecum ſit & mecum laboret. Et alibi tempus electionis, ipſius modum exaltationis, & viam ſeparationis veritatis ipſius à falſitate ſeu figmento, in his paucis, ſed plané aureis enucleat Salomon: Sapientiam Dei ab initio nativitatis inveſtigabo & ponam in lucem, nec prę teribo veritatem &c: Hiſce quidem locis & multis alijs (quos brevitatis gratia omittam) patet, quòd ſapientia, ex qua dependet vera & eſſentiales philoſophia, ſit omnium puriſſima & ſimpliciſſima, quatenus initium ſuum à Patre luminum ducit uti etiam expreſſé nos docet D. Iacobus.

Baruch.1. Daniel 2.21.

Iob.12.12. Proverb.2.6.

Prov.8.22. Eccleſ.1 4. Eccleſ.24.5. Sap.9.10.

Sap.6.24.

Sequitur jam, ut: Quid ſit Sapientia iſta, & quomodo à Divinitate ſitparta, ſecundum dicti Sapientis mentem explicemus: Sapientia (inquit) eſt vapor virtutis Dei & candor Lucis æternæ & ſpeculum ſine macula Dei Majeſtatis & imago bonitatis

Sap. 7.25.26.

bonitatis illius. Et Apostolus: Christus est effulgentia gloriæ & character personæ Hebr.1.3. Dei, qui sustinet omnia verbo suo potenti: Quibus discernere queamus, quám immanis sit differentia inter falsam seu mundanam & sapientiam terrenam Ethnicorum, atque illam veram, syncera & essentialem, cujus radix est Deus, quatenus ejus fons est verbum seu vox Patris luminum. Eccles.1.6. Sapientiæ fons (ait textus) est verbum in excelsis: & ingressus illius mandata æterna. Existis igitur luculenter satis veré sapientibus liquet, quid sit sapientia illa æterna. Iam veró operam dabo, ut mirabiles ipsius virtutis operationesque catholicas vobis tã universaliter quám particulariter detegam, quibus agit & operatur per totam machinam mundi inque creaturis ejusdē: Ob istam etiam rationem dictus est Christus (qui est vera Sapientia) sustinere omnia Hebr.1.3. verbo virtutis suæ. Verùm hæc omnipotens ipsius potentia in & super omnia per excellentiã hisce Philosophi & Theosophi Pauli verbis enucleatur. Christus (inquit) est imago Dei invisibilis, primogenitus omnis creaturæ: Quoniam in ipso condita sunt universa in cœlis & in terra, visibiliá & invisibilia; sive Throni sive Dominationes; sive Principatus, sive Potestates, omnia per ipsum & in ipso creata sunt, & ipse est ante omnes & omnia in ipso constant. etc: Quæ Apostoli Doctrina admodum aliena sive extranea Academicis illis procul dubio videbitur, qui Philosophiæ Ethnicorum rudimentis nimium confidunt, quippe quæ sapientiam nullam talem, nimirum cœlestem sive Dei verbum, nec quód mediante eo cœlum, terra & Intelligentæ Angelicæ sint creatæ, agnovit, aut quód in eo & per illud cuncta fuerunt & àd huc in suo statu existunt: Sed nobis præ supponit permultas naturas efficientes subalternas nimirum illas intelligentiarum, stellarum, elementorum, meteororum & similium, quas volunt operari omnia tam superius quam inferius ex semet ipsis: & mundum statuunt esse æternũ, hoc est, sine principio & fine: cúm é regione verâ & sacrâ istâ Philosophiâ doceamur, quód Deus omnia verbo seu Sapientia sua creaverit, quod ipse operetur omnia in omnibus, & quod sit omnia in omnibus: Nam textus prædictus expressé ait, quod omnia in ipso constant. Coloss.2. Sed ad propositum: Præcedens antiquitatē & virtutem hujus sapientis textus videtur Prov.8.22. confirmare hoc: Sapientiã (inquit) possidebat Iehova Principio viæ suæ ante operam suã ante ullũ tēpus ante ullum seculũ: Cum nullæ essent abyssi, edita erat: cum nulli essent fontes, abundantes aquis: ante montes fundati essent: cùm nondum fecerat Iehova terram: Cum aptaret cœlos ibi erat: Cúm statueret ambitum in superficie abyssi: cúm fortificaret superiores nubes superné: Quando roborabat fontes abyssi: quando ponebat mari statutum suum: Quando statuebat ambitum in superficie abyssi: cum fortificaret superiores nubes superné: quando roborabat fontes abyssi: Cum statueret fundamenta terræ, erat sapientia apud eum cuncta componens &c: Quo sermonis filo, primúm antiquitatem istius sapientiæ sacrosanctæ depingit & tum posteá docet, ipsam fuisse cœli & terræ, & consequenter cujuslibet reicreatæ, sive sit invisibilis, sive visibilis compositrix. Hoc totum cum sensu & opinione philosophi sacri Moysis convenit, ut pote qui agnoscit in primo ordine, Abyssum fuisse sine forma. In secundo narrat, materiam hujus abyssi fuisse informem atque inanem præsentiã istius Spiritus divini: Elohim Ruach universaliter fuisse informatam & aquarum nomine insignitam: In serie tertia ostendit, quomodo operatione & actu istius Spiritus Divini & essentialis sive Vocis seu Verbi FIAT ab omnipotente prolati, efficacissima illa creatura Lux, quasi forma creata, esset ab origine in aquarum massam producta Quarto loco docet, quód spagyrica secunda vice editi virtute, aquæ superiores per interpositionem firmamenti ab inferioribus essent divisæ, atque ita per secundũ FIAT statuti sunt cœli, quēadmodum illo ipso Dei verbo tertia serie emissæ aquæ inferiores in Elementa essent dispositæ: Vel potius unicum mundi inferioris Elementum aqueum quadrifariè, seu in quadruplicem spiritus seu ventorum naturam alteratum, quas naturas in uno eodemque elemento seu Spiritu aqueo sic alteratas Ethnici Elementá dictitarunt: Nonne videtur psaltes hoc idem hisce verbis Psal.32.6. paucis asseverare? Verbo (ait) Domini firmati sunt cœli & spiritu ab ore ejus omnis virtus eorum? Atque iterum: In sapientia Psal.103.24. omnia fecisti. Et D. Petrus: Cœli erant 2.Pet.3.5. prius & terra ex aqua & in aqua existentes 1. Iohan 1. Verbo Dei. similiter D. Iohannes: Ab eo omnia sunt facta & sine eo factum erat nihil: Mundus nimirum ab ipso spiritu luminoso factus est & mundus non novit eum. Et Salomon: Sapientiâ Deus fundavit cœlos, stabilivit terram in prudentia: Denique Prov.3.19. tota harmonia paginæ sacræ (quam hoc in loco recitare longum nimis foret) hoc idem expressé videtur confirmare, videlicet, quod rei cujuscunque naturæ sive conditionis esset facta, dispositæ & completa, per, & mediante virtute, sive emanationem istam divinam, quæ est divinus ille actus, cujus radix est verbum: Ex ipso (ait divus Paulus) per ipsum & in ipso sunt omnia: Sed quoniam nonnulli (sat scio) hujus mundi replicabunt, quód, etiamsi sit verum, quod Deus divino suo spiritu sine verbo creaverit omnia, tamen non sequitur ipsum immediaté agere & essentialiter existere in requalibet: verum postquam spiritus iste æternæ sapientiæ creaturæ cuilibet virtutem increationepeculiarem assignasset; tunc restat, ut creatura agat per se, hoc

est,

ſtat, ut creatura agat per ſe, hoc eſt, libero quodam arbitrio ſeu voluntate propria, quæ dividitur abſolutè & diſtinguitur planè ab immediato actu Divinitatis. Hiſce ſibi malè conſtantibus, juxta fundatas noſtras in Divinitate regulas ſive canones reſpondeo, quòd eſſentia divina ſit individua: Quare evidens eſt, quòd Deus non ſoleat actum ullum eſſentialem, cujuſmodi eſt anima, vita & functiones exinde dependentes cuiquam creaturarum impartire, quæ ab ipſius natura diſcontinuari aut ſeparari queat, juxta axioma illud: quod dedit Deus, nunquam dimiſit. Atque ob iſtam rationem Chriſtus, qui eſt æternus ſapientiæ ſpiritus, dicitur omnia implere. Imo verò (replicabit mundanus iſtius ſeculi ſapiens) qui homines à ſimplici veritate diſtinctionibus vanis diſtrahere aggreditur: iſta præſentia divinitatis ineſt omni rei virtualiter & non eſſentialiter ſeu ſubſtantialiter. Cui ego: libenter ſcire velim (diſtinctiones ejusmodi academicas pro nihilo exiſtimans) Nam D. Paulus mandat Timotheo: ſi quis, ait, doceat doctrinam aliam & non accedat ad ſermones ſanos Domini noſtri Ieſus Chriſti & ad doctrinam timoris Dei, is eſt, qui ſe extollit, & cum nihil ſciat, ſed infirmus eſt circa diſputationem & quæſtionem verborum, ex quibus fit invidia & contentio & maledicentia & ſuſpitio mala: Et attritio, filiorum hominis, quorum corrupta mens eſt, & deſtituuntur veritate & putant, quòd quæſtus ſit reverentia Dei. Tu autem elonga te ab iſtis: Libenter (dico) velim ſcire, an virtus Dei non ſit ejus eſſentia, aut an una ab altera diſtingui aut ſeparari queat? Si autem reſpondeat, quod virtus divina non ſit eſſentia, ſed accidens, pro certo credendum eſt, tale reſponſum eſſe erroneum. Cum ſit manifeſtum atque ipſis etiam Iudæis & gentilibus notum, quòd Deus ab omni accidente ſit liber, quippe qui eſt eſſentia omnium eſſentialiſſima in ſe & per ſe exiſtens, nulli accidenti obnoxia. Porro ubi actus ejus eſſentialis adeſt, ibi etiam eſt ejus virtus, & ubi ejus virtus, ibi pariter adeſt ejus eſſentia: Quod quidem ni eſſet, verbum Dei ſive actus divinus, cujus eſt omnia vivificare; omnemque creaturam reddere agilem atque mobilem, videretur eſſe nihil, niſi merum accidens; imò verò accidens à divina eſſentia diviſum: quod quidem quam foret abſurdum, radicis ipſius immortalitas arguit: Nam David textu prædicto habet: ſpiritu ab ore ejus omnis virtus eorum, nimirum cœlorum &c. Credo neminem eſſe adeò mentis inopem, ut virtutem iſtam pro accidente habeat: Sequitur ergo, quod virtus divina ſit idem, quod eſſentia divina, & per conſequens in ipſo Deo & à Deo, hoc eſt, à ſpiritu divino nunquam diviſa. Sed quid plura? Cùm hoc expreſſè à ſcripturis confirmatum habemus: Spiritus (ait Salomon) eſt vapor virtutis Dei & ſyncerus fluxus á gloria Omnipotentis & ſplendor à luce æterna &c. Quid? An virtutem vel ſplendorem iſtum à luce æterna procedentem dicemus accidens, cùm ſit ſpiritus ſapientiæ ſanctus, ut fatetur ſapiens? Hinc etiã divus Paulus loco antea citato: In ipſo condita ſunt univerſa in cœlis & in terra, tam viſibilia, quam inviſibilia omnia in ipſo & per ipſum creata ſunt & omnia conſiſtunt in ipſo &c. Quibus patet, quòd extra illum, ſpiritũ ſit nihil. Et Iohannes: In verbo erat vita &c. Et per conſequens liquet, quòd creatura ſit continuata & annexa divinitati per vinculum divinæ iſtius naturæ, hoc eſt, per unũ & eundẽ ſpiritum Vitę; qui ineſt ei: ſine quo nexu, unione vel relatione ad invicẽ impoſſibile eſt, ut creatura poſſit momento temporis exiſtere: Hinc igitur dicit pſalmiſta Regius: Omnes creaturæ in te expectationẽ habent, ut des eſcam ipſis in tempore ſuo: Te dante ipſis, colligunt; aperiente manum tuã ſatiantur bono: Abſcondente faciem tuam conturbantur, recipiente ſpiritum eorum expirant; Emittente ſpiritum tuum, recreantur bono &c. Quo videre liceat, quòd ſit actus iſtius ſapientiæ immediatus, qui facit creaturam vivere & exiſtere, & quòd ſit ea, quę operatur omnia: Nam ſcripturæ teſtantur, quòd Deus vivificat omnia: Et quòd in eo vivimus, movemur & ſumus, & non modò nos, ſed etiam omnis caro in genere, uti ex hoc ipſo textu colligimus: Atque etiam ex iſto Iobi teſtimonio: Si Deus apponens ad hominẽ animã ſuam, ſpiritum ſive flatum ejus ad ſe reciperet, deficeret & expiraret omnis caro ſimul & homo in cinerẽ reverteretur &c. Ecce ergo lapidẽ Angularem, ſuper quem ædificatur omnis caro, & ſine quo ipſa in nihilũ redigitur. Porro Propheta, Deus dat flatum populo, qui eſt ſuper terram, & ſpiritum calcantibus eam &c. Quomodo (vos obſecro) poſſibile eſt, quòd iſte viræ ſpiritus ſit in & cum omnibus præſens, atque ideò eſſentialiter in omni re, & tamẽ à ſua actione immediata ceſſaret & requieſceret, cum ſit in ſe omnium velociſſimus, maximéque agilis & mobilis, ut à Salomone docemur? Quòd iſte ſpiritus ſit omnibus præſens, in eo liquet, quatenus omnia agunt, moventur, & vivunt in ipſo & per ipſum: Nam textus ſuperior habet: Omnia in ipſo conſtãt. Et alibi: ipſe operatur omnia in omnibus. Et D. Petrus: Cœli & terra & conſequẽter omnia, quæ erãt ex aqua conſiſtunt Verbo Dei. Et Salomon: Incorruptibilis Dei ſpiritus, in eſt omni rei: Atque ſpiritus diſciplinę ſanctus, implet terrarum orbem. Et pſaltes: Quò irem à ſpiritu tuo, aut quò à facie tua fugerem? Si aſcenderem cœlos, illic es, aut ſtratum ponerem in ſepulchro, ecce ades: Si aſſumerem alas auroræ habitaturus in extremitate maris, etiã illuc manus tua deduceret me & prehenderet me dextra tua: Sin autem dicerem,

Coloſſ.1 16. Ioh.1.

Pſal.104.24. &c.

Iob.34.14.

Sap.7.

Coloſſ.1. 1.Cor 2.Petri.3.5. Sap.12.1. Pſal.139.7.

Pſal.32.6.

Sap.7.25.26.

rem, utique tenebræ velut crepusculo obvoluant me, atque nox est lux circa me, tenebræ quidem ita obtenebrare possunt, quin tu prævideas; sed nox ut dies illustrat &c. Quamobrem manifestum est, quòd sit realis spiritus Dei & non aliqua virtus accidentalis (uti nonnulli falsó imaginantur) qui implet omnia. De quo propheta Isaias hæc: Cœlum est sedes mea; terra autem scabellum pedum meorum: Et Ieremias: Cœlum & terram nunquid impleo. Iam verò ut sciatis, quomodo hoc fiat, sedulò verbo Davidis Regij auscultetis velim, dicentis: In sapientia omnia fecisti: repleta est terra possessione tua &c: hoc est, spiritu tuo, qui implet omnia, informat & in actum reducit omnia. Vnde etiam filius Syrach: sapientiam suam effudit Deus super omnia opera sua & super omnem carnem juxta datum suum, Ac si dixisset, quòd spiritus sit secundum plus vel minus in omni re, nimirum juxta illam proportionem, quam Creatori placuit, vel huic sive illi creaturæ eam assignare. Atque ista est ratio, quòd Salomon in alio loco asserit, sapientiam operari omnia, juxta illud etiam Apostoli supra dictum: Deus operatur omnia in omnibus: Quòd cùm ita sit, quid quæso obstat, quin audacter inferamus, quòd spiritus iste sit præsentialiter & essentialiter ubique, & per consequens in omni re? Quid plura, nonne nos docet Moyses egregius ille noster in philosophia sacra præceptor, quòd statutis cœlorum & Elementorum fundamentis quælibet creatura ex ipsis conflata, & in ipsis movens ac vivens, tam existentiam, quàm præservationem suam ab illo unico spiritu acciperet: videlicet, quod Sol, Luna & cætera cœli sydera, & semina rerum, & arbores, & herbæ, & omnia alia in genere vegetabilia, atque ex animali regno reptilia & quadrupedia, volatilia atque etiam ipse homo fuerint ab uno eodemque Spiritu creata: Verùm enim verò Deus majorem spiritus sui portionem homini assignavit, ut ampliori ipsius præsentia & possessione cætera animantia excelleret.

Ierem.23.24. Psal.104.24. Eccles.1,10. Sap.8.5.1

Integrum hujus negocij philosophici scopum scriptis, uti à scripturis expressé & aperté recitatur, mandare nimis foret laboriosum: Nam si introspiciamus opera Moysis, libros Iosuæ & Iudicum legamus, historiam Regum & Chronicorum observemus, Narrationem Iobi auscultemus, Psalmos Davidis, proverbia & Ecclesiasten, Canticum Canticorum & Sapientiam Salomonis perquiramus: monumenta Prophetarum, subjectum Ecclesiastici atque Maccabæorum scrutemur, ac tandem, relationes ac dicta Christi & Apostolorum cum diligentia animadvertamus; percipiemus evidenter, quód ista sacra sapientia, cum essentialibus ipsius virtutibus, actibus & effectibus in vasta totius tam superni, quàm inferni mundi caritate sit basis & fundamentum totius doctrinæ & scientiæ, tam in rebus naturalibus, quàm supernaturalibus, seu potius, quæ concernunt actus Dei in tabernaculis suis creatis, seu aqueis tegumentis, quæ ipse vel induit vel exuit secundum voluntatem suam, uti scripta illa sacra ubique feré loci testantur.

Iam verò relictis generalibus ad particularia descendam, & ostendam, quomodo sit Sapientia ista æterna centralis fons & Lapis Angularis, in primis artium omnium: scilicet Theologiæ & Medicinæ, Astronomiæ, Musices, Arithmeticæ, Geometriæ, Rhetoricæ, ac tum postea, quomodo scientia Meteorologica in ipsius actu & virtute dependeat: Deinde quatiòne scientia Ethica seu Moralis & Gubernatio politica ab instructionibus & directionibus ipsius oriantur: Ac tandem declarabo, quomodo omnes actus secreti, revelationes mysticæ atque miraculosæ ab ipsa perficiantur; illum confirmando locum scripturæ, ubi dicitur: Cæteræ scientiæ sunt ancillæ hujus. De hisce ergo omnibus ordine in sequentibus.

CAPVT. IV.

In hoc capite probatur, quòd vera Sophia seu sapientia sit basis & fundamentum omnium artium; & per consequens, quòd si ipsa homini debita inquisitione reveletur, ille ab ea quasi unica sapientissima & essentialissima magistra doceri atque erudiri potest.

Coloss.2.3. Prov.2.6. Eccl.24.46. Ioh.14.26. Ioh.16.13.

IN Christo (ait Apostolus) sunt omnes thesauri sapientiæ & scientiæ absconditi: Et Salomon. Sapientiam dat Dominus, ex ore ejus prudentia & scientia: & Ecclesiasticus: Thesauri zabit super virum scientiam & intellectum justitiæ. Atque iterum: Ego doctrinam, quasi prophetiam effundam & relinquam illam quærentibus sapientiam: Et verbum incarnatum, seu Christus Iesus ait: Spiritus sanctus vos docebit omnia. Et alibi: Cum venerit ille spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem. Esdras gustavit de sapientia ista essentiali, induta vestè materiali, nimirum in forma poculi cujusdam ignei, cujus haustu adeò spiritu divino erat repletus, ut volumina sapientiæ per integros quadraginta dies dictaret: quorum omnium eà scriptis mandantes recordati sunt ejus scribæ. Et Salomon ait: Sapientiam optavi, & datus est mihi sensus: invocavi & venit in me spiritus sapientiæ. Sed ne istius mundi scrupulosi Sap.7.7.

losi dicant, quòd verba ista Salomonis in sensu alio intelligantur, quàm illa earum scientiarum, quæ sub philosophia naturali comprehunduntur: Moneo ergo tales, ut pro meliori ipsorum directione ad sapientis documenta suas convertant mentes, qui satis apertè hisce dubitationem delere aggreditur: Spiritu(inquit) sapientiæ mihi datum est, ut cognoscerem constitutionem Sap.7.17. mundi & vim Elementorũ & Principium, medium & finem temporum, sol stitiorum mutationes, & varietates temporum seu tempestatum, & anni circuitus, & stellarum situs, & naturas animantium & animos seu iras bestiarũ, & ventorũ seu spirituum vim, & cogitationes hominum, & differentias plantarum & radicum facultates: Etiam cognovi, quæcunque sunt occulta & manifesta: omnium enim artifex me docuit sapientia &c. Ex quibus colligimus, quod hujusce spiritus divini revelatione, rex iste sapientissimus ad rerum & scientiarum omnium cognitionem pervenerit: Nam cum sapientia sit radix centralis, sive lapis Angularis omnium, quomodò est possibile, ut ad centri notitiam pertingamus, cùm circumferentiæ arcana ignoremus; idque præsertim cùm circumferentia seu externum rei sit nihil, præterquam illud solum, quod ordinatur & disponitur à centro. Et ob istam causam spiritus iste divinus haud immeritò à profundissimo Philosopho Hermete dicitur centrum cujuslibet rei, cujus circumferentia est nullibi, at nihilominus omnes in se comprehendit circumferentias. Ex prædicto igitur Salomonis sermone addiscere possumus inprimis quòd sapientia ipsi haud aliter, quàm Moysi abstrusa illa mysteria, quæ concernunt mundi fabricam revelârit: Secundò, quòd ipsum naturam & potestatem Elementorum cũ occulto actu & miraculosa generatione & proprietatibus meteororum, quæ fabricata sunt ex materia elementari docuerit: Tertiò quòd rationem & modum ortus & productionis ventorum, & Astronomicæ anni divisionis, & situs sive positionis stellarum in cœlo atque naturarum earum astrologicarum ei præbuerit. Quarto, quòd mysteria artis medicandi Præcipua aperuerit: Nam fatetur, se à sua magistra sapientia naturas omnium creaturarum & conditiones bestiarum, & differentias plantarum & facultates radicum didicisse. Quintò narrat, quòd mediante isto spiritu particeps esset factus rerum omnium occultarum seu abditarum & consequentiæ Mysteriorum Angelorum; imò verò & arcanorum ipsius Dei.

THEOLOGIA. De mundo æterno.

Ad Theologiam autem quod attinet, constat ipsam à verbo *Theos* Deus & *Logos* sermo derivari, quasi sermo de Deo. Hæc alta scientia super divinas hasce etiam bases fundatur, unde sapiens: Spiritus sapientiæ trans feret scipsum in animas Sanctas Sap.7.27. & amicos Dei, & prophetas constituit: Neminem enim diligit Deus, nisi cum, qui cum sapientia habitat. Iterum alibi: Sapientiam emittit Deus è sanctis cœlis, à throno gloriæ suæ mittit illam homini, ut præsens versetur secum in labore, ut cognoscat, quid gratum sit apud ipsum: Illa enim novit omnia. Ob hanc etiam rationem inquit sapientia: Ego illuminabo omnes sperantes in Domino. Et alibi: Ego sum liber vitæ, testamentum altissimi & agnitio veritatis. Et Salomon: Sapientiæ concupiscentia conducit ad regnum perpetuum. Atque iterum Sapientia doctrix est disciplinæ Dei & electrix operum illius, Et alibi: Per sapientiam habebo immortalitatem &c. Animo tædium foret, & lectori videretur fortasse superfluum, si plures Theologicæ doctrinæ confirmationes, quæ ab isto spiritu indicantur & manifestantur, hoc in loco enumerarem: Paucis dico, quòd iste esset Spiritus ille in Christo Carneo & Apostolis suis, qui fecit eorum organa corporea linguas videlicet loqui, mannusque & plumas mandare scriptis totam illam Theologicam doctrinam & sapientiam, quæ à novo testamento continetur: Atque etiam erat iste spiritus, qui sermones in veteri Testamento quasi oracula divinitatis per plena Patriarcharum & Prophetarum ora edidit. Quare opus est, ut ad ea quasi fontes Theologiæ literales retrospiciamus, quippe sub quorum typicis seu griphicis institutionibus occultus spiritus hujus secreti sensus delitescit; qui mediantibus mysticæ Theologiæ preceptis extrahi atque enucleari potest. Eccles.24.45. Eccles.24.32. Sap.6.21. Sap.8.4. Sap.8.13.

DE MUNDO ANGELICO. Procedam jam secundo loco ad scientiam illam, quam habere basin cum Theologia probabo, quæ ad mundum ævialẽ spectat: In ipso (ait D. Paulus loco antèà citato) condita sunt universà in cœlis, sive Dominationes, sive Throni, sive Principatus, sive Potestates. Et alibi: in Christo habitabat omnis plenitudo divinitatis corporaliter, qui est caput omnis Principatus & potestatis. Atque iterum: Christus constituitur ad dextram Dei in cœlestibus & super omnem Principatum & potestatem & virtutem & Dominationem &c. Quibus testimonijs atque alijs permultis ex sacra pagina collectis (quæ brevitatis causa omitto) probatur, quod nullum mysterium secretum inter angelorum societatem comprehendatur, sive illud spectat ad ipsorum creationem, sive essentiam, sive proprietates & virtutes sive denominationes, quæ non sunt in spiritus istius superexcellentis potestate, & scientia non existat, à quo etiam & per quem revelatur, illud hominibus: Nec quidem est mirum, si in ipsius velle sit omne in omni detegere: cùm notum sit à sapientibus, ipsum esse omnia in omnibus. Coloss.1.16. Coloss.2.9. Ephes.1.20.

ASTRONOMIÆ. Quæ est scientia in

Iam verò ad proximum scalæ scientiarum gradum descendam, qui est Astronomia cujus natura essentialis super istius sapientissimi spiritus alas volare & ejus Basi

mundo temporali scientia.

sive fundamento inniti videtur. Vnde filius Syrach: Sapientia in cœlis fecit, ut oriretur indeficiens lumen &c. & verisimile est (juxta Prophetæ regij assertionē) quòd spiritus iste tabernaculum suum posuerit in sole: utcunque nonnulli haud sibi constantes locum istum in alium sensum & nihil ferè ad propositum interpretari videntur: Nam ille ipse spiritus in sua propria persona loquendo, dicit: Ego sapientia gyrum cœli circumini sola: Ac si dixisset, Ego in meo tabernaculo solari per cœli circuitum ambulavi. Et psaltes: Deus in sapientia sua numerat multitudinem stellarum, & omnibus ijs assignat nomina. Magnus Dominus noster, magna virtus ejus & sapientiæ ejus non est numerus &c: Quare manifestum est, quod si in sapientia sua seu per istum suum spiritum stellæ numerarentur, & nominibus proprijs vocarentur; sequitur etiã, quòd carũ virtutes, cursus & proprietates in ipso sint optimè cognitæ, quippe àquo fuerunt ab origine creatæ, ordinatæ, & in eodem, quo nunc existunt statu prę-servatæ: Nam David Rex confitmat, quod quælibet in cœlo virtus ab isto Dei spiritu procedat. Et Esdras: Stellæ fundatæ sunt in verbo Dei, qui novit numerum stellarum: In hoc etiam respectu Propheta Baruch; stellæ dederunt lumen in custodijs suis & lætatæ sunt ad jussum Dei. Atque hinc erat quòd, cùm spiritus iste pro Iosua pugnaret, solum fecerit fixè in cœlo per aliquot horas stare. Porro etiam splendorem solis in tenebras patiente Christo convertebat. Ad hujus etiam jussum stellæ adversus Sisaram pugnaverunt &c. Vnde liquet, quòd, ut cœli & stellæ erant in principio ab isto spiritu. creati & animati, ut pro organis ad mundum inferiorem seu sublunarem ad ministrandum inservirent: ita etiam ultra communem Naturæ microcosmicę cursum seu modum, possunt pro voluntate & imperio istius spiritus omnipotentis (qui agit in ijs haud aliter, quàm anima in corpore) à propria & consueta sua actione diverti; videlicet tam motum suum, quàm lucis & spiritus sui influentialis activitatem alterando. Ad stellas verò fixas quod attinet, Iob in persona istius spiritus hæc. Nunquid ligare poteris manibus tuis fructus delicatos vergiliarum seu Pleiadum, vel serotinos fructus Orionis aperire facies? Nunquid exire facies Mazaroth, seu signa cœlesta tempore suo & Arcturum cum stellis minoribus veluti filijs suis duces? Nunquid nosti statuta cœli? Nunquid pones dominium ejus in terra? &c: Ac si quis diceret, quòd nemo valeat cursum stellarum directé & pro certó intelligere, aut potestatem & virturem influentiarum discernere sine spiritus istius sapientissimi assistentia & indicatione. Ob hanc ergo rationem videtur Salomon gloriari, quòd cursum anni & dispositiones stellarum & mutationes solstitiorum, doctrinâ istius spiritus omniscientis intelligeret si ergo Astronomiæ professor istud verum astrologiæ fundamentum non habeat, omnes procul dubio ejus prædictiones erunt falsæ & fabulosæ, vel saltem (ut plurimum) incertæ & mendaces, ut in Astrologis vulgaribus videre licet.

Eccles. 24.6. Psal. 18.5. Eccles. 146.4. Psalm. 32.6. 4. Esdr. 6. 1°. Baruch. 3. 34. Iosuah. 10.13. Math. 27.45. Iudic. 5.20. Iob. 38.a.31. Sap. 7.10.

Sequitur, ut de scientijs ad inferiorem mundi temporalis regionem spectantibus verba in loco proximo faciamus, quo rationem operationis spiritus istius Catholici ad meteororum multiformium productionem in Catholico Elementari regno ostendamus.

METEOROLOGA in temporali elementari mundo

Pro actu & operatione istius æterni actoris & motoris in Aëre, Aqua & terra quasi in uno Catholico elemento seu spiritu sublunari humido, ad meteorum productionem. Hæc etiam à libro sacrosancto: Deus Sapientiâ sua aptat pondus aëri, & appendit aquas in mensura, & facit pluviæ statuta, & viam fulgitro tonitruum &c. Quo sermonis filo arguit Iob, quod hic spiritus æternus, in quo est tam contractionis, & condensationis, quam dilationis & rarefactionis vigor & potestas: Potest pro voluntate sua aërem vel spissiorem & ponderosiorem condensatione & consequenter in nobis consistentiam reddere, vel eum in substantiam tenuiorem & subtiliorem dilatando seu rarefaciendo in formam fulguris sive corruscationis reducere. Quare sciendũ est, quòd in omnibus istiusmodi mutationibus, formæ hujus varietatē ab actore sive alteratore isto accipiat; idque juxta voluntatem ipsius, qui est rerum omnium dispositor sive ordinator: Atque ita nubes, fulgur, Tonitru, cometa, Gelu, Nix Grando, glacies &c. id genus alia assidue ab istius spiritus actu creantur & in hoc mundo sublunari producuntur. Nonne hæc omnia à sacra scriptura habemus confirmata? Sapientiâ Dei (ait Sapiens) eruperunt abyssi, & nubis rore concrescunt. Et Syriachus in persona dicti spiritus: Ego sapientia, sicut nebula texi omnem terram. Iterum: Ego in altissimis habitavi & thronus meus est columna nubis. Et Iob: Deus nubes effecit sapientiâ. Et David: ipse educit nubes ab extremo terræ, fulgura in pluviam facit. Producit ventos de thesauris suis. Et alibi: Verbo suo quam celerrimé excurente & sermone suo in terra emisso, edit Deus nivem, sicut lanam, & pruinam, sicut cineres dispergit, Coram furore ejus quis consistat? &c: Sunt profectò multa centena aliorum locorum, quæ ex libro veritatis citari queant ad probandum, quod omnis meteorologia vera fundatur super istum spiritum: Sed quoniam uberius libro hujus ultimo de hoc subjecto agemus, in quo veram Meteororum historiam non modó recitavimus, sed etiam Meteorologiæ Aristotelicæ errores & falsitates detegimus

Prov. 3.20. Eccles. 24.6. Eccles. 24.7. Iob. 28.25. Psalm. 134.7. Psal. 147, 15.

mus & plura de ijs non dicam. Denique cum hac Salomonis confessione membrum hoc concludam. Novi (inquit) virtutes Elementorum & varietates temporum sive tempestatum & ventorum seu spirituum vires: Nam omnium artifex me docuit sapientia. Vnde manifestum est, quòd ipsa, quæ erat meteororum fabricatrix & per consequens in naturarum ipsorum inprimis cognitione est versata, ipsa (dico) Salomonem in eorum mysterijs instrueret. Sap.7.a17.

MEDICINA. Restat nunc, ut de Medecina sive curandi arte pauca dicamus: Ad istam scientiam præstantissimam quod pertinet, sapiens dicit: A Deo est omnis medela &c: Quod cum ita sit, evidens est, quod præcipuus in arte curandi actus sit immediatè ab isto spiritu, quare Propheta Regius: Misit verbum suum & sanavit eos, & eripuit eos de interitionibus eorum. Et Salomon: Neque herba, neque malagma sanavit eos, sed tuus domine, sermo, qui sanat omnia &c. Observa bene. Verbum seu sermo tuus (ait textus) qui sanat omnia: At divinum istud verbum est radix sive fons istius spiritus æterni, & consequenter basis & fundatio curationis, consistit in ipso: unde sequitur, quòd omnis curandi virtus procedat ab eo: Nam etiam hoc idem cum sensu Apostoli convenit: Discrimina, seu divisiones, ait, sunt gratiarum, sed idem spiritus: Divisiones operationum; idem verò Deus, qui operatur omnia in omnibus: Alij quidem per spiritum datur sermo sapientiæ; alij verò sermo scientiæ secundum eundem spiritum; Alij fides per eundem spiritū &c; alij dona sanationis per eundē spiritum; Iam verò, quod spiritus iste omnipotens & omneoperans sit ille, qui vitam attribuat creaturæ, ex multis sacræ scripturæ locis confirmatur: Nam inquit sapiens: Sapientia custodiet salutem. Et iterum: In sapientiæ dextra est longitudo dierum: Est lignum vitæ omnibus, qui apprehenderunt eam &c. Atque hoc tam de animo, quam de corpore est intelligendum: Quemadmodum in curationibus à Christo & Apostolis ejus feliciter peractis apparebat, qui eas mediante spiritu isto complebant. Porro, sapientiam (ait salomon) qui inveniet, inveniet vitam & hauriet salutem à Domino. Et alibi: Ipsa hos qui se observant à doloribus, liberabit. Atque iterum: Per sapientiam nati sunt, quicunque placuerunt tibi, ô Domine, à Principio &c: Imò verò quilibet prudens lector considerare debet, nullum esse animal, vegetabile, aut minerale in medicinæ arte, usurpatum, quod actum suum curativū non immediatè ab isto spiritu habeat & receperit. Propter hanc ergo causam Syrachus Altissimus de terra creavit medicinam, & vir prudens non abhorrebit eam. Quo contextu observandum est, primum quod arbores, herbæ, radices atque etiam mineralia, cum sint terrigena fuerint à Deo ab origine mundi pro curatione hominum ordinata: ac tunc postea, quod actus in ipsis salutiferus eis à spiritu isto incorruptibili sit impertitus: Quippe qui dicitur inesse omni rei, & operari in ijs omnia, tametsi varieformiter notetur in ipsis agere, ut Apostolus loco ante citato videtur asseverare, confirmans prædictam sapientis assertionem, quæ est, quod Deus verbo suo sanat omnia. Si ergo verbum sanet omnia, tunc nihil sanare potest, quam mediante verbo sive spiritu sapientiæ, cujus fons est Verbum (uti antea est dictum) sed cum incorruptibilis iste spiritus sit in omni re, & cum sit omni re hujus mundi agilior & mobilior; & cum respectu suę puritatis per omnia penetret, & per consequens in omnibus operetur: Quid, obsecro, me aut ullum Christianum impediet, dicere, quód Deus operetur omnia in omnibus, mediante Verbo per se & immediatè, & consequenter, quòd nulla creatura agere potest ex se ipso & per se ipsam: uti absurda est illa Peripateticorum doctrina, nos falsó (corda syncerorum Christianorum à veritate creatoris seducentes) instruit. Nam erroneis hujusmodi illius rudimentis homines pios allicere tentat, ut à Deo omnia creante, & qui est omne in omni, derogent, quo creaturæ (quæ sine verbi præsentia planè nihil sunt) sibi absolutam & per se agendi & operandi potestatem arrogent, quod quidem, ut melius præstare queat, multarum essentialium & distinctorum subalternatorum agentium meminit (ut antea dictum est) quæ omnia actiones & operationes habere fingit per se, hoc est, sine ope alterius, quod existant, agant & operentur; cujusmodi sunt Sol, Stellæ, venti, Elementa, seu potius Elementum Catholicum multiformiter informatum, & creaturæ tam perfectè, quàm imperfectè mixtæ. Certè in hoc faciendo deludit mundum, ipsum efficiens credere, quòd organum seu instrumentum agat essentialiter per se & non centraliter & divinitus orta virtus, quæ est cujus libet creaturæ fundamentum, & insignis summi philosophorum boni character sive meta, adversus quam veræ philosophię amator collimat. Hęc ergo est ratio) quòd Salomon, Prophetę, & Christus cum sanctis suis Apostolis Christianos omnes exhortantur, ut sint verę sapientię amatores, ut pote in qua est omnis actus tam intellectualis ad mentem humanam ad scientię & sapientię culmen sublimans, quàm materialis nimirum ille, qui operatur ad vivificationem, vegetationem, & multiplicationem. Sed de isto alibi latius, concludendo hujus capitis membrum cum ista confessione Salomonis: Naturas, ait, animalium & iras bestiarum &c. differentias virgultorum & virtutes radicum atque etiam quę sunt occulta & manifestata mihi patefecit omnium artifex sapientia &c. Quibus arguit quòd sapientia herbis, animali-

Eccl.38.2. Psal.106.20. Sap.16.11. Prover.2.7. Prover.3.16. 1.Cor.12.4.9. Prov.8.35. Sap.10.9. Sap.9.19. Eccl.38.4. Sap.12.1. Sap.7.24. Sap.16.12. Sap.7.a20.

malibus, & mineralibus virtutes eorum tam occultas, quàm apparentes impertiverit; ille, dico, spiritus suprenus, qui est omne in omni & operatur omnia in omnibus, & per consequens potest docere & instruere per revelationem externam, quid in creaturæ interno agit, & qua virtute in qualibet creatura operatur. Et quam vis Philosophi & Medici Ethnici ab effectu sola praxi percepto & observatione sensibili, quasi demonstratione à posteriore, occultas plantarum proprietates invenerint, exempli gratia, quod Tilia & Viscus Quercinum, Læoniæ Epilepsiam curent, & herba Herniaria respiciat rupturam Herniam dictam (unde suum nomen accepit) ut etiam tussilago (quatenus curare soleat tussim) & quòd Euphrasia oculorum caligini conferat, & inter animalia quòd Bufo sistat sanguinem, pes Alsæi & ranæ volcant, ad morbum caducum, quòd scorpiones curent ictum Scorpionum &c. Tamen, quia fundamentis centralibus sympathiæ & antipathiæ, quæ consistunt in voluntate & Nolentate unius & ejusdem spiritus destituuntur, nullam aliam harum rerum mirabilium & abstrusarum rationem reddere possunt, præterquam, quod sint, proprietatis occultæ, & in fine nihil ulterius de hac reinferre possunt, præterquam, quód sint talia, quia talia, atque ita pro conclusione ab eruditis istis hujusmundi Doctoribus nihil accipimus, nisi Ignotum per Ignotius.

MVSICA. Quód etiam hujus spiritus actio & virtus in omni Musices specie versetur, nimirum tam in vulgari illa & artificiali, quàm in magis essentiali & mystica, sive sit macrocosmica sive microcosmica, non modó observatione communi, sed etiam inspectione magis interna elicere fas est: Ad harmoniam verò mundanam quod spectat, & ad rationem, quomodo quod libet Elementum sublunare, & quælibet sphæra super lunaris essentiali quadam concordiæ sympatheticæ specie disponuntur, tota scripturarum series videtur confirmare: nimirum quod ipsa mediante Spiritus divini actu perficiatur. Et præcæteris Salomon ad mirabilē istius Spiritus effectum in harmonia mundana testatur in his verbis: In se Elementa dum convertuntur, sicut in organo qualitatis immutatur, & omnia suum sonum custodiunt. Sed Apostolus hoc totum cum majori excellentia & efficacia exprimit, dicens: In Christo condita sunt universa in cœlis & in terra & omnia visibilia & invisibilia, per ipsum & in ipso creata sunt, ipse est ante omnes, & omnia in ipso constant: In ipso cōplacuit omnē plenitudinē Divinitatis in habitare, & per eum reconciliari omnia in ipso, pacificans per sanguinē crucis ejus, sive quæ in cœlis sive quæ in terris &c. Ecce hic perfectū & Catholicū Amoris, Sympathiæ, Harmoniæque fontem, & ille, qui non modó tollit discordantia mundi peccata, sed etiam cœlum & terram à discordia emundat & concordiatque harmonica pace seu amore symphoniaco pacifica sua virtute adornat: atque hinc est, quod spiritus iste à sapienti & mystico philosopho dicitur esse vinculum seu ligamentum Elementorum, mediante quo discordia mundi & microcosmi sive hominis Elementa in harmoniam decentem & unionem quietam constringuntur atque rediguntur: Ad imitationem ergo istius mundanæ consonantiæ Musices externæ concentus, nimirum illius tam vocalis quam instrumentalis typicé efformatur, quæ respectu veræ & synceræ istius Spiritus Symphoniæ se habet ut umbra ad subjectum illud, cujus est umbra; aut ut imago ad realem personam, cujus est imago.

Sap. 19. 17.

Coloss. 1. 19.

Iam venimus ad Arithmeticam & Geometriam, quas vir sapiens in isto suo sermone videtur includere: Omnia mensura, numero & pondere disposuisti seu temperasti ubi per mensurā intelligit progressus rei in longitudinem, latitudinem & profunditatem, ad Arithmeticam, Cossicam spectantes: Quàm mensuram spiritus iste omnipotens in sua emanatione facit à puncto in lineam; & à linea sive radice in quadratum & tandem à quadrato ad cubum, quasi à puncto seu termino à quo ad superficiem, & à superficie ad corpus seu terminum ad quem. Per numeros intelligit Arithmeticas illas dimensiones in progressione Arithmetica, quibus spiritus iste ab unitate in multitudinem est egressus: Verbi gratia ab 1. in 10, quasi ab æterno omnium rerum centro in statum ævialem sive Angelicum, quæ quidem progressio erat primus & omnium simplicissimus compositionis seu mixtionis gradus. Deinde a 10 ad 100, qui progressus multiplicativus denotat compositionem mundi temporalis: ac tandem à 100, seu Centenario ad 1000: Atque hæc progressio arguit creaturas ab elementis seu ex varijs Elementi Catholici alterationibus compositionem. Ita, ut quilibet Christianus ex istis videre queat, quomodo Deus sit omnia in omnibus & tamen extra omnia, atque (ut in textu est) in cœlo, in mari, in abysso & inferis. Ob istam causam Pythagorici omnia in tria ista principia Arithmerica 1. 2. 3. includebant, ex quibus 1 attribuerunt Deo in abstrusa sua existentia. 2 referebant omnium rerum materiæ: & 3. formæ mundi catholicæ: Sub istis ergo tribus res omnes sunt comprehensæ: De his autem uberiorem efficiam (Deo favente) mentionem in sectione secunda, ubi de essentialibus sympathiæ & Antipathiæ efficiam mentionem. Vir Patiens in persona Iehovæ sic loquitur: Vbinam eras, quando fundabam terram? Annuntia si nosti intelligentiam. Quis disposuit mensuras ejus, aut quis extendit super eam lineam? Super quo bases ejus defixæ sunt, aut quis jecit lapidem ejus Angularem. Quibus arguit, quod spiritus iste, qui est lapis Angularis

ARITHMETICA, GEOMETRIA. Sap. 11. 22.

Iob. 38. 4.

gularis seu omnium rerum Basis (nam sine eo nihil est factum aut éxistere potest, ut D. Iohannes testatur) non modò terra situm, dimensionem & positionem geometricam habuit; sed etiam Sol Cœlectis & Luna & Stellæ, & omnia tam in cœlo quàm in terra sua pondera, proportiones & magnitudines & situs in hoc mundo acquirunt. Imo quidem ipse àèr secundum mensuras & proportiones varias in characteres seu imagines meteorologicas multiformes effingitur: Nam sacer textus habet: Deus sapientiâ aptat pondus aëri, & appendit aquas in mensura & facit pluviæ statuta & viam fulgetro tonitruum, &c.

RHETORICA. ORATORIA

Sequitur, ut virtutem & potentiam ejus in scientia Rhetorica & arte Oratoria explicemus & probabimus paucis, ipsam esse exactissimam in illis docendis magistram, atque etiam essentialissimam in animabus seu spiritibus hominum motricem, ut pote cujus actu, homines plané muti & barbari redduntur eloquentes & efficaciter persuadentes; &c quod ampluis est, ipse est essentialis ille in oratorum voce & verbis spiritus, quo mediante auditorum animi ad attentionem & ad fidem sermonibus eorum adhibendam alliciuntur & attrahuntur: Nam Moysés colloquium cum divino isto spiritu habens: Non tum, ait, vir facundus, neque unquam autem fuit, ne quidem ex quo locutus es cum servo tuo, sed impedito ore & lingua sum. Exod.4.10. Tunc dixit Iehova ad illum: Quis statuit os hominum, aut quis statuere potest aut surdum aut mutum? Nonne ego, qui sum Iehova? Nunc itaque ito & ego adero ori tuo, & docebo te, quæ te loqui convenit &c. Quo docemur: quòd eloquentia & apta verborum dispositio & sententiæ & sermones, tam in rhetorico, quam in oratore sunt à Deo, cujus solius est facundiam dare aut adimere pro placito suo. Ioh.6.45. Quare ait Euangelista erunt omnes docti à Deo. Et Propheta: universi filij tui sunt docti à Iehova. Verùm Christus exprimit hoc omne verbis adhuc magis expressis: Spiritus, inquit, sanctus, quem mittet Pater, ille vos docebit omnia, & suggeret vobis omnia, quæcunque dixero vobis. Ioh.14.26. Iam verò quòd hic spiritus sit æterna illa sapientia, qui efficit & excitat functionem istam Rhetoricam atque Oratoriam in hominibus, scripturæ alibi docent: Sap.10.21. Aperuit (ait Sapiens) os mutorum & linguas infantum fecit disertas. Et filius Syrach. Eccl.39.7. Tanquam imbres mittit eloquia sapientia sapientis & in oratione confitebitur Domino &c. Possem hoc loco permulta alia ex sacra pagina proferre exempla, ad istam meam assertionem confirmandam scilicet ad probandum, quòd Rhetorica eloquentia sit à bono isto sapientiæ spiritu: sed ea brevitatis gratia jam omittam, ut ad artes mechanicas transeam, quarum omnium inventiones probabo à boni istius spiritus instinctu & conductu ortum suum habuisse, tametsi partim temporis vetustate, partimque invidia atque ignorantiâ hominum sint pro hodierno die conspurcatæ & commaculatæ.

ARTES MECHANICÆ.

Pro artibus mechanicis sciendum, quòd ipsarum inventio & origo (ut diximus) fuerit ab inspiratione istius spiritus: Verbi gratia. Ars Sartoria sive convestitoria ab instructione hujusmodi spiritus procedebat: Hinc Iehova ad Moysem: Loqueris Exod.28. cunctis sapientibus corde, quos replevi sapientiæ spiritu, ut faciant vestes Aaroni, in quibus sanctificatus ministrat. Porro operis Aurifabrilis & gemmariorum artificij & fabrilignarij & sculptoris lignei inventis Exod.31. ab illo ipso fonte initium duxit, quare dixit Iehova Moysi: Ecce vocavi Bezaliel & implevi eum cum spiritu Dei, Sapientia & intelligentia & scientia in omni opere, & ad excogitandum, quicquid fabrificri potest ex auro, argento & ære, marmore & gemmis & diversitate lignorum, dedique ei socium Ooliab & in corde omnis eruditi posui sapientiam, ut faciant cuncta, quæ præcepi tibi &c. Quibus evidens est, quod cujuslibet vera artis mechanicæ scientia sit in spiritu Dei, in cujus sola potestate est docere homines omnia. At hoc totum alibi planius exprimitur: Dicit enim Moysés filijs Israel; Ecce vocavit Dominus Ba- Exod.35.30. zaleel, implevitque eum spiritu Dei, sapientiâ & intelligentiâ & scientiâ & omni doctrinâ ad excogitandum & faciendum opus in auro & argento & ære & ferro, sculpendisque lapidibus & opere carpentario. Quicquid fabré adinveniri potest, dedit in corde ejus: Ooliab quoque ambos erudivit sapientiâ, ut faciat opera abietarij, polymitarij at Plumarij de Hyacintho, & Purpura Coccoque bis tincto & byssо & texant omnia &c. Præterea legimus, quod Noë esset in Arcæ structura ab isto spiritu instructus: Nam textus ait: Sanavit Sap.10.4 sapientia terram per contemptibile lignum justum gubernans. Mediante ea ars Musica erat revelata Tubali: Textus enim habet: Tubal fuit Pater Canentium Cithara & organo. Et Tubal: Cain erat primus operum ferreorum & æreorum inventor. Et Ada. Iubal erat Tabernaculorum artis pastoralis Pater & author: Concludimus, quòd nulla sit vera ars mechanica quæ suam ab isto omnipotente spiritu non habet ortum, cujus est solius docere omnia.

ETHICA.

Porro etiam, quod vera Moralis philosophia sit in ista sapientia radicata ex toto sacrarum scripturarum sanctarum filo est observandum: Erat enim vox istius spiritus essentialis, quæ mundum Christianum per os & linguam Christi docebat, ut sequeretur bonum & evitaret malum. Ex ore etiam sapientis hæc: Sapientia servat semitas justitiæ, vias sanctorum custodiens: Per Prov.2.7. eam intelliges justitiam & judicium, æquitatem & omnem semitam bonam si intraverit cor tuum concilium, custodiet te,

Prov. 2.9. Prov. 7.5. prudentia ſervabit te, per eam eruêris à via mala: Cuſtodiet te prudentia à muliere extranea. Et alibi: Sapientia docet temperantiam, prudentiam, juſtitiam & fortitudinem, quibus utilius nihil in vita hominibus, Et iterum? Sapientia eſt concilium, æquitas, prudentia & fortitudo &c. quibus verbis virtutes quatuor cardinales recitantur, quæ ſunt fortiſſimæ totius philoſophiæ moralis columnæ: Nam in concilio temperantia eſt conſideranda; & tunc aderit juſtitia, prudentia & fortitudo: Iterum filius Syrach: In Sapientia eſt decor vitæ & qui operantur in ea non peccabunt &c. Eccleſi. 6.3. Iam ſciendum, quòd peccatum ſit transgreſſio legis, & lex Moyſaica fundatur tam ſuper morales civilitatis illius canones, quæ debent eſſe inter unum & alium hominem, quàm in debita Dei obſervantia & timore. Et Salomon: Cum Sapientia venerunt mihi omnia bona & innumerabilis honeſtas per mànus illius. Verùm hæc luculentius ad huc & ad vivum magis ex primitur nobis in textu anteà citato: Sapientiæ labores magnas habẽt virtutes; ſobrietatem enim & prudentiam juſtitiam & virtutem docet, quibus in vita nihil hominibus utilius. Quibus teſtimonijs cum mille alijs (quæ hoc in loco recitare non eſt opus) evidens eſt, quòd unica moralis philoſophiæ magiſtra & doctrix ſit ille Sapientiæ ſpiritus, qui deſcendit à Patre Luminis.

POLITIA. Ad gubernationem verò politicam (quæ ad reges, principes & magiſtratus hujus terræ ſpectat) quod attinet, invenimus etiam ex literarum ſacrarum veritate, quòd originem & radicem ſuam habeat in ſpiritu prædicto Sapientiæ ſeu diſciplinæ ſancto. Hinc ergo ait unus textus: Sapientia facit regem, vt digné regnet in populum. 2. Chron. 1.10 Et Salomon: Sapientiâ Reges regnant & Prov. 8.15. legum conditores juſta decernunt: Item. Sapientiâ principes imperant, & potentiâ Eccleſi. 9.18. decernunt juſtitiam. Et alibi: Sapientia Eccleſi. 4.16. melior eſt, quàm arma bellica. Iterum: Sapientiam qui audit, judicabit gentes: Et alibi: Sapientia miniſtrabit in medio Magnatum & in conſpectu præſidis apparebit. Et Salomon: ob ſapientiam habebam claritatem apud turbas & honorem apud ſeniores: juvenis acutus inveniar judicio, in conſpectu potentum admirabilis ero. Iterum: per ſapientiam diſponam populos, & nationes mihi erunt ſubditæ. Atque iterum: Sapientem timebunt audientes regis horrendi. Ob ſapientiam multitudini videbitur bonus. Et alibi: Sapientia deducit me, ut diſponam populum tuum juſtè. Hiſce ergo & multis alijs hìc brevitatis cauſa emittendis apparet, quòd Sapientia divina ſit ſola & ſalutifera in republicam gubernatrix & directrix: & quòd ubi viæ ejus à rege deſpiciantur in republica, ibi opus eſt credere, quòd talis gubernatio, ut pote à Sapientia mundana parta, debet eſſe terrena, mala & diabolica, & non ſecundum leges & regulas divinas.

MIRACVLA PROPHETIA. Iamque caput iſtud cum miraculoſis & ſupernaturalibus illis effectibus, quos producit ſpiritus iſte admirabilis, concludam. Inſtructione hujus ſpiritus actus admirabiles & ſupra captum & rationem humanam in mundum producuntur: Nam, qui de divina iſta eſſentia participat, ipſamque ſuæ naturæ valet adaptare, is procul dubio in ea & per eam mirabilia coram hominibus præſtare poteſt: Dicitur enim, quòd ſapientia intraverit in animam ſervi Dei Sap. 10.16. Moyſis, ita ut ſteterit coram regibus potentibus & horrendis in portentis & ſignis. Tranſtulit Iſraëlem per mare rubrum & inimicos demerſit. Et alibi: Sapientia multiplicem experientiam docet: Nam ſcit illa Sap. 8.8. præterita, de futuris æſtimat, ſcit verſutias ſermonum & ſolutiones ænigmatum; ſigna & monſtra, antequam fiant, præſagit, eventus quoque temporum & ſeculorum &c: Mediante iſta etiam Daniel ſomnium regis expoſuit, & Joſephus viſionem Pharaonis: Hujus revelatione prophetæ de futuris, Prophetárunt. Chriſtus & Apoſtoli atque etiam Elias & Eliſæus ægrotos curaverunt deſperatos, & mortuos ad vitam reſtituerunt: dæmones ex corporibus humanis ejecerunt, aquam in vinum transmutárunt, quinque mille homines quinque panibus & duobus piſcibus nutrierant, & farinam atque oleum multiplicaverunt; arcanos hoſtium ſermones & intentiones detexerunt; per iſtum ſpiritum à loco ad locum mirabiliter vectitarunt: ventos compeſcuit per eum Chriſtus & ſuper aquis ambulavit, à mortuis reſurrexit, intravit portam clauſis januis, in monte erat transfiguratus, & terræ motus factus eſt horribilis; & Sol præter naturæ communis leges eſt lumine orbatus. Sed procedamus: Spiritus iſte 1. Cor. 2.10. (teſte Apoſtolo) ſcrutatur omnia, etiam Rom. 15.18. profunda Dei. Et textus alibi: ſigna & Daniel. 2.22. præſtigia in virtute Spiritus ſancti effecit Chriſtus per Paulum. Per hunc ſpiritum Adam habuit virturem continendi omnia: Et Propheta Daniel hæc: Ipſe revelat profundum & abſcondita, & novit, in tenebris conſtituta, & lux cum eo eſt. Quod cum ita ſit, perſpicuéliquet, quòd nulla ſit vera & genuina ars ſeu ſcientia, ſive ſit manifeſta, ſive abſtruſa & myſtica, quæ ab iſtius veræ ſapientiæ doctrina non eſt derivata, ut pote ſine qua nihil reale ſeu eſſentiale poteſt in arte vel ſciri vel acquiri.

Sap. 8.10. Sap. 8.14. Sap. 9.12.

CAPVT. V.

CAPVT. V.

De ſapientiâ falſa, ſpuriâ philoſophiâ, philoſophoque adulterino cum characteribus eorundem.

IAm verò cùm veræ ſapientiæ & conſequenter philoſophiæ & Philoſophi puri naturam ſeu aſſentiam ſatis luculenter explicaverim, conveniens erit, ut falſam & adulterinam hujus mundi ſapientiam cum Philoſophia, quæ fundatur ſuper eam deſcribam, ſimul atque ſigna & characteres non modò hujuſe ſapientiæ & Philoſophiæ immundæ, ſed etiam Philoſophi, qui in ea & ab ea quaſi ſpurias enutritur & educatur. Apoſtolus ait, quòd vera ſapientia, Iac.3.17. quæ à Patre luminis oritur, eſt pura, pacifica, benigna, ſuaſibilis, miſericordiæ & fructus boni plena; non judicãs, ſine æmulatione aut hyprocriſi: At è regione aſſerit, quòd illa ſapientia, quæ eſt ab infra, & non à Patre Luminis, ſit terrena, animalis, Diabolica & contradicens veritati: & Conſequenter eſt liitgioſa, immodeſta, non ſuaſibilis, bono fructu deſtituta atque æmulationis, contentionis & diſputationis plena: Vt ergo baſis ſeu fundatio prioris philoſophiæ eſt Ieſus Chriſtus; ut pote qui eſt vera ſapientia: Ita quidem fundamentum poſterioris, eſt hominum mundanorum traditio & inventio præſtigioſis Diaboli ſuggeſtionibus animata, ut hac via lites, diſputationes, & oppoſitionem faceret in hoc mundo: Hinc dixit divinus ille Philoſophus in ponendo differentiam inter duo iſta oppoſita: In Chriſto ſunt omnes Theſauri ſapien- Coloſſ. 2.7.8. tæ & ſcientiæ abſconditi &c: Qua verborum ſerie aſſeverare videtur D. Paulus, quòd omnis ſapientia & ſcientia & conſequenter Philoſophia vera, ſcientiæque omnes ſynceræ, quæ ab ea derivantur & in ea comprehunduntur, continentur & ſunt quærendæ & inveniendæ in Chriſto, qui eſt æterna illa ſapientia, & lapis verè Angularis, qui implet, informat, & vivificat omnia, & nulla hominum induſtria in vana mundi & Ethnicorum ſcientia & ſapientia inveſtiganda, quippe, quæ eſt fallax & vix probabilitatis facie ornata, quatenus obſcuris & erroneis mundanorum præcepris & non Chriſti ſpiritualibus ordinationibus innixa. Et propter iſtam rationẽ Apoſtolus condemnat Philoſophiam verbis generalibus, agnoſcit inſpectione magis peculiari, quòd amor veræ ſapientiæ, atque ideò ipſius Amator ſit reſpiciendus & honore ſummo à ſapiẽtibus reverendus. Quare certum eſt, quod per Philoſophiam intelligat mundanæ ſapientiæ ſtudium. Nam ibi loci confitetur, Chriſtum eſſe veram Sapientiam, ut pote in quo habitat omnis plenitudo Divinitatis corporaliter. Quare ſequitur, quòd talis Sapientiæ amatorem ſeu amicum ſummo opere collaudet, & per conſequentiam Philoſophiam, quæ ſuper tali baſi, tali lapide, inquam, Angulari erigitur diſprobare neſciet: Quibus evidens eſt, quòd duplicem Philoſophiam in iſto Textu intendit, & quod cautelam, quam dedit Coloſſionibus in evitanda philoſophia & vana fallacia, ſolummodó illam indicavit Athenienſium, quæ ex traditione hominum & ſecundũ elementa mundi eſt parta. Verum eam approbare videbatur, quæ ſuper Chriſtũ erat ſtabilita. Quare ait Textus (& non ſecundum Chriſtum &c:) & ibidem rationem, cur talis Philoſophia ſit imprimis amplectenda, oſtendit: Quià, inquit, in eo habitat plenitudo omnis Divinitatis corporaliter: & per conſequens ipſa ait illa ſapientia à Patre Luminis deſcendens, ſuper qua fundata eſt omnis creatura; ſequitur ergo, ut is, qui eſt *Theophilos*, ſeu Chriſti Philus ſit verus Philoſophus, quoniam ipſe eſt verà illa ſapientia, quæ revera eſt radix & baſis rerum omnium. Senſus ergo hujuſce loci Apoſtoli eſt, quod Vox Philoſophia, cùm eſſet vocabulum juxta Ethnicorum inventionem, ideò reijcienda erat reſpectu rudimentorum & regularum ejuſdem erronearum: Quatenus facta & fabricata erat juxta traditionem hominum infidelium, quæ Chriſtianos ipſos & multò magis Ethnicos ſive gentiles in errores & à vera Dei cognitione deducit, quàm ut eos in viam veritatis & divinorum ſcientiam dirigat: Et ob hanc cauſam, multi fariæ Idololatriæ conditio eſt orta, quæ ut cauſa eſt neglectus veri cultus creatoris. Imò verò & contemptus nominis ejus: adeò, ut ad venerationem & cultum creaturarum loco creatoris, per quem ipſæ vivunt & exiſtunt, incitentur. Hinc ergo eſt, quòd admonemur, ut ejuſmodi philoſophiam ſummoperè evitemus. De hujuſmodi ergo Philoſophis, qui ſuam ſcientiam ſuper lapide Angulari non poſuerunt, & Chriſtianis talibus, qui talibus Ethnicorum figmentis innituntur. Apoſtolus idem hæc: Revelatur ira Dei de cœlo ſuper omnem impietatem & injuſtitiam hominum eorum, qui veritatem Dei in injuſtitia detinent: Quia quod notum Dei, manifeſtum eſt illis: Deus enim illis revelavit: Inviſibilia enim ipſius à creatura mundi per ea quæ facta ſunc intecta, con- Rom. 1.18. ſpiciuntur: Sempiterna quoque ejus veritas & divinitas, ita ut ſint in excuſabiles, quoniam cùm Deum cognoverunt, ipſum non glorificarunt, aut ipſi dederunt gratias ſed in dicendo, quòd eſſent ſapientes evanuerunt in imaginationibus ſuis: Nam mutaverunt gloriam incorrupti Dei in ſimilitudinem hominis & avium, & quadrapedum & ſerpentium &c. Quibus intimat D.

Paulus, quanta sit in istius mundi sapientibus seu Philosophis iniquitas, qui veritatem divinam, imo verò Divinitatem incorruptibilem, quæ inest cuilibet creaturæ, eamque falsis hominum inventionibus ita à mundanis abscondunt, ac si dixisset, quòd falsi hujus mundi Philosophi omnimodè conantur fictis suis delusionibus ab ethnicis partis, ut tenebræ humanæ non comprehendant vitam sive lucem illam essentialem & cœlitus dimissam creaturarum ac Præcipuè hominis, quæ lucet in tenebris, tametsi fas non sit ijs istam divinitatem in creaturis discernere. De hisce etiam Salomon: Vani sunt homines omnes à natura in quibus inest ignorantia Dei, & qui ex ijs, quæ spectantur bonis, eum, qui est, intelligere non potuerunt, neque ex operibus consideratis, ipsum artificem agnoverunt &c. Quòd autem Spiritus iste divinus sit in omni creatura in eo alibi arguit affirmando, spiritum Dei incorruptibilem inesse omni rei &c. Hoc etiam confirmatur multis alijs locis, ut antea est dictum. Quare opus habet quilibet Christianus, ut sit in legendo philosophiæ Ethnicorum cautus, & ut sibi optimè constet, secumque iterum iterumque duorum prædictorum philosophorum sententias idque seriò ponderet. Sed præcipuè præceptorum prioris eorum (D. nimirum Pauli) recordetur, qui, quando mundanos Athenæ Philosophos ignotum Deum adorantes inveniisset, novam ipsis philosophiam & sapientiam ijs omnino incognitam, Iesum videlicet Christum prædicabat, quæ quidem Doctrina videbatur illis aliena, ita ut irabundi in hæc verba prorumperēt: Quid vult seminiverbius hic dicere? Alij verò novorum dæmoniorum videtur esse annuntiator, quia Iesum & ejus resurrectionem annuntiabat: Quibus sat liquidò constat, quòd vera sapientia nec ad aures eorum pervenerit, nec in corde eorū radicem habuerit, unquam. Imò consideret velim, quòd de spurijs istis Philosophis cum ipsorum sapientia seu Philosophia Apostolus intellexerit in loco anteà citato, ubi, ait: Videte ne quis vos decipiat per Philosophiam & inanem fallaciam &c: Hoc est, ut Athenis docebatur: Videlicet cum vanis fallacijs, subtilitatibus & contentiosis cavillationibus & Proteoricis distinctionibus: ut pote quibus philosophus talis instar Protei sensum suum in quamcunque significationem sive veram sive falsam convertere poterit: unde fit, ut homines tali doctrina dubijs impleantur, quatenus viam doctrinæ sapientiæque veræ planam relinquendo per suos labyrinthos & semitas nebulosas & incertas faciāt inquisitiones: Nonne docemur, quòd spiritus, qui est veræ philosophiæ fundamentum sive subjectum unicum & simplex: & per consequens in omni simplicitate quærendus? Nonne dicitur, quòd sit modestus, suavis, perspicuus, benignus, pacificus & sine æmulatione? Et tamen nos Christiani volumus potius amplecti spiritum & philosophiam jurgijs, fallacijs, disputationibus contentiosis & ambignitatibus deformatam. Sapientia ergo vera, cùm sit pacifica & nulla ambignitate freta, disputationibus & cavillationibus litigiosis non habet opus, nec requirit ad ejus investigationem distinctiones infinitas, aut quidditates vanas ex inventione humana partas, quæ potius discipulum ratione sua multiplicitatis in ignorantiam ducit, quàm ut eum in nudæ veritatis lumen introducat: cùm é regione sapientia falsa tam abundat distinctionibus, tot scatet evasionibus subtilibus, ita obnoxia est disputationibus sophisticatis & contentiosis, tantâ multiplicitate est conflata & in conclusione tam difficilis est, & fructu bono vacua, ut loco grani veri & essentialis veritatis nihil præter aceres, verba, dico, loco realitatis invenerimus, & (ut verbo dicam) apparet, sed non est reale. Corpus videtur, cùm revera sit mera umbra. Quod etiam Apostolus sic confirmat: Prædicatio mea non est in persuasivis humanæ sapientiæ verbis, sed ostensione spiritus & veritatis. Et alibi: signa apostolatus mei facta sunt super vos in omni potentia, in signis, virtutibus & prodigijs. Atque iterum: qui tribuit vobis spiritum & operatur virtutes seu miracula in vobis &c. Ecce ergo, quomodo sapientia ista Christianorum secum ferre solet potentiam & virtutē, quas D. Iacobus in textu anteà citato appellat bonos fructus: Cùm é contrario, D. Paulus vocat philosophiam Paganorum fallaciam inanem, & consequenter bonis fructibus orbatam sive destitutam: Vnde concludere videntur, quòd nulla sit philosophia fructificans aut philosophus bene fructificatus, præterquam illa, quæ in vera & essentiali sapientia Iesu Christo versatur. Hæc nos Christiani videmus esse vera, & tamen in isto seculo caduco (in quo Satan videtur habere dominium) philosophia prædicta vana & terrena, quæ est præstigiosa confusione obfuscata, tantam habet in mundo isto æstimationem, quòd Christus, qui est vera sapientia assiduè inter philosophicos ejus cultores ob eorum ignorantiam crucifigitur, & sepelitur in nebulis seu obscura abysso philosophiæ istius Ethnicæ, quam ipsi tanta veneratione videntur adorare & fervore insigni & tanta devotione amplecti Aristotelemque ejus inventorem sequi, ac si esset alter Iesus Christus, qui à cœlis ad terram pro salute populi & ad aperiendum generi humano scientiarum & sapientiæ veræ thesaurum descendisset. Sed observetis obsecro, quibus characteribus ac coloribus Apostolus istiusmodi philosophos vanos cum eorum contentionibus & sophisticationibus describit: Si quis, inquit, aliter docet & non acquiescit in sanis sermonibus Domini nostri Iesu Christi, & qui secundum pietatem

Sap. 13. 1.

Sap. 12. 1.

Act 17. 18.

Sap. 7. 22.

Iacob. 3. 15.

1. Cor. 2. 4.
1. Cor. 12. 12.
Galat. 3. 5.

est

est doctrinæ, superbus est, nihil sciens, sed
1.Tim.6.5. languens circa quæstiones & pugnas verborum, ex quibus oriantur invidiæ, contentiones, blasphemiæ, suspiciones malæ, conflictationes hominum mente corruptorum & qui veritate privatę sunt, existimantium, quæstum esse pictatem: A talibus separa te &c. Vehementer opto, ut quilibet Peripateticus Christianus, qui suum tempus secundum Aristotelis leges & morem in vanis disputationibus & cavillationibus conterit, & seipsum insipientem cogitat tali conatu ad summum illud philosophorum pertingere sperat; ipsum, inquam, opto & admoneo, ut ista patienter (omni partialitate & invidia sepositis) consideret, & serio secum cogitet, quòd nulla sit talis in Ecclesia Dei, hoc est circa quam philosophia vera versatur, veræ Sophiæ tabernaculis, vel (si vultis) in syncera philosophia seu sapientiæ veræ domo consuetudo, uti nos docet Apostolus: Nam ista multiformis inventionis humanæ sapientia, tam dissonans est à vera illa, unica & simplici Dei, qui infinitæ hujus mundi philosophiæ religiones ab illa vera & unica, quæ est à Deo, dissentientes sint ortę. Hinc ergo est, quòd tot sint nimirum philosophiæ istius sectæ differentes, Peripatetica, Stoica, Epicuræa &c. quarum quælibet infinitis disputationibus & litigiosis cavillationibus suam sectam statuminare & sustinere est aggressa. Hæc etiam erat illa causa errorum tantorum in Ecclesia Dei, tam inter Christianos, quàm Turcas & Iudæos: Nam inter Christianos erat multorum schismatum & hæresium origo, quas omnes nihilominus ad unius veri Dei (qui est æterna unitas) & ipsius sapientiæ simplicis inquisitionem æstimare videtur.
1.Cor.11.16. Hinc ergo D.Paulus: Convenientibus vobis in Ecclesia, si quis videtur contentiosus nos talem consuetudinem in Ecclesia non habemus &c. At sciendum est, quòd sanctæ sapientiæ domus est Ecclesia: utpote, quæ est Christi domus. Concludimus ergo, quòd tot sint in Christiano hoc mundo deceptionis viæ ratione evasionum & distinctionum, atque sophisticationum Aristotelicarum, quæ more alterius Protei subjectum argumenti in sensum varium & multiformem transmutare solent, ut sæpiculé veritatem præstigioso falsitatis velo occultare nitantur, ita ut veritatem (quæ per se est nuda & simplex) quasi nasum ex cera efformatū, quocunque pro libito volunt, convertant & in speciem variam mutent. Hîc ergo non modo violatur veritas, sed etiam homo simplex & bonæ voluntatis deluditur & in malum loco boni seducitur. Apostolus hoc hujusce seculi philosophorum ænigmaticorum seu sophistarum genus, quòd instar Thrasonum glorioforum in suis imaginationibus elevantur) vivis hisce coloribus depingit: In novissimis, ait, diebus instabunt tempora pe-
2.Tim.3.1. riculosa &c. erunt homines seipsos amantes, cupidi, elati, superbi &c, semper discentes & nunquam ad scientiam Veritatis pervenientes; quemadmodum autem Iamnes & Mambres restiterunt Moysi; ita & hi resistunt veritati, homines corrupti mente & reprobri circa fidem & ultra non perficient: Insipientia enim eorum erit manifesta omnibus, sicut illorum fuit, Tu autem assecutus es meam doctrinam &c. Iam vero certum est, quod doctrina ejus circa veram versabatur philosophiam, cujus fundamentum erat Iesus Christus; veram, dico, sapientiam & lapidem Angularem, qui universam creaturæ fabricam sustinet & inest omne in omni, & implet sua virtute essentiali omnia, ac denique operatur omnia in omnibus: Quæ quidem doctrina est intentioni & rudimentis Ethnicorum contraria, qui infinita statuunt in isto mundo (ut dictum est) agentia, cujusmodi sunt Angeli, Dæmones, Stellæ, Elementa, Meteora, Ignis, Aqua, calidum & frigidum: Homo, bestia, Plantæ, mineralia & cætera, quos omnes volunt loco subalternarum causarum agentium se habere: Hos enim ex seipsis & sine numinis cujuspiam assistentia operari putant: cùm tamen nihilominus certum sit, & à sacra pagina decretum, quòd non sit præter unicum agens Catholicum Essentiâ indivisibile in multis & quasi infinitis hujus orbis mansionibus seu organicis velhiculis, quòd in illis operatur omnia in omnibus & supra omnia. Et hæc eorum doctrina tanto ignorantiæ & erroris veneno intoxicavit Christiani mundi philosophos, qui firmiter ejus sectæ adhærent; ut distinguendo dicant, Deum ubique esse præsentem virtualiter sed non substantialiter seu essentialiter, quasi verò Dei virtus possit esse sine ipsius essentia, ut ab ipsius Divinitate, quæ est indivisibilis, possit separari: atque ita somniare videntur, accidentia esse in Deo, quæ ab ipsius essentia possunt dividi: vel saltem distinguunt & dicunt, quod ipse operetur omnia principaliter & mediatè, hoc est, ut prima rerum causa: atque (inquiunt) infinitæ sunt causæ secundariæ, ut antea diximus, quæ ex se & per se soleant operari. Sed si ista eorum asseveratio sit vera, admiror ego, quomodo Deus dici possit implere omnia & operari omnia in omnibus; si sit solummodò primaria seu efficiens causa causarum, & non causa omnium actionum mundanarum universalis, mediante ejus verbo seu spiritu, quem misit in mundum: At voluntatem suam tam in cœlo, quam in terra præstantiam? Quid pluribus opus est verbis? Cum Apostolus expressé nos do-
1.Cor.8.5. ceat: Quod sint, qui dicuntur Dij sive in cœlo sive in terra (si quidem sunt Dij multi & domini multi) Nobis tamen est unus Deus Pater, ex quo omnia & nos in illo, & unus Dominus Iesus Christus, per quem omnia & nos per ipsum: sed non in omni-

bus est hæc scientia. Hæc ille: Quo Theophilosophi sermone quilibet sagax Christianus decernere queat, quàm adversus ipse sit virtuti imaginariæ actuique immediato aut Dæmonum & intelligentiarum, aut stellarum cum influxibus earum, aut qualitatum elementorum, aut ventorum & aliorum meteororum, aut aliarum creaturarum juxta decretum Petipateticorum, cum ejus verbo important, quod omnes actus, sive sint mediati sive immediati sunt à Deo Patre per Filium Iesum Christum. Et quam vis ejusmodi creaturæ appareant in externa demonstratione, quòd per se & sine aliquo agento magis interno & centrali agunt & operantur: tamen philosophus iste noster facer nos docet per Regulas suæ philosophiæ (cujus basis est vera sapientia Iesus Christus) quòd ipse causam nullam aliam agentem veré essentialem apprehendere possit, præter unam, ex qua sunt omnia; & aliam, per quam sunt omnia: quas nihilominus ambas personas agnoscit esse in essentia non nisi unam: Nam cum unum agens non sit nisi emanatio alterius; & per consequens nullo modo ab essentia alterius magis divisus, quàm radius Solis à Sole, non est equidem mirum, si ipse solus in bina proprietate operetur omnia in omnibus haud mutatâ Essentiâ, idque præcipué, quoniam inest omnibus essentialiter (ut Salomon habet) Hæc est firmissima, & verissima puræ philosophiæ asseveratio: Quare quicquid philosophi mundani seu Aristotelisci dicunt, & subtilitate fallaci nobis persuadere videntur, quod est veræ philosophiæ axiomatibus oppositum, illi quidem nullo modo credere debemus. Atque huic rei videtur D. Paulus istiusmodi sermonis filo astipulari. Miror, quòd tam citò transferemini ab eo, qui vos vocavit ad gratiam Christi in aliud Euangelium. Sunt aliqui, qui vos conturbant, & volunt convertere Euangelium Christi: sed licet nos aut Angelus de cœlo Euangelizet vobis, præterquam quod euangelizavimus, anathema sit &c. Quare cùm Aristotelis doctrina & sapientia sit magna ex parte positionibus & rudimentis veræ sapientiæ & philosophi puri opposita, non decet, pium aliquem Christianum fidem ei adhibere, quatenus (juxta D. Iacobi sententiam) contradicit veritati & doctrinæ Bibliorum sacrorum est contraria. Quare talis doctrina seu sapientia spuria dicitur ab ipso esse terrena animalis, diabolica. Atque hinc est, quòd D. Paulus discipulo suo Timotheo hæc scribit. O Timothee depositum custodi, evitans profanas vocum novitates, & oppositiones falsi nominis scientiæ, quam quidam promittentes circa fidem excederunt gratia tecum. Quo videtur discipulos suos præmonere, ut sophisticis philosophiæ mundanę allectationibus minimé capiantur vel decipiantur, quippe quæ est veritati contradictoria, nec est pacifica, sed perturbationibus verbosis & vanis disputationibus plena, & expressè intimat, talem, Philosophiam falsó & non rei veritati debere pro scientia haberi, non minus, quàm aliæ scientiæ spuriæ, quæ exinde dependent. Porro etiam insinuare videtur suis discipulis, quòd tales Christiani, qui nimia devotione & fervore eam profitentur, sint mediante astutia ipsius & fallaci ejusdem suavitate introducti in errores insignes in respectu fidei, quæ æternæ istius sapientiæ anchoræ firmè adhæret. Porro etiam istā in eodem sensu dat Colossensibus suis discipulis cautelam antea à me citatam: Cavete (inquit) ne quis vos decipiat per Philosophiam & vanam fallaciam secundum traditionem hominum & secundum Elementa hujus mundi, & non secundum Christum Iesum &c: Quibus nos Christianos jubet, ut relinquamus falsam Athenæ Philosophiam, & ut amplectamur illam veram quæ est secundum Christum. Et ob hanc rationē ait, in eodem Textu: In Christo ambulate radicati & ædificati in ipsō &c. Quo arguit, Christum esse unicū lapidē Angularē & basin veræ Philosophiæ: Quatemus omnes creaturæ; imo verò & universus mundus ipsum pro existētiæ & essētie suæ (quæ sunt Philosophiæ subjectum) fundamento habeant. Et consequenter liquet, quòd fundatio Philosophiæ Ethnicæ sit arenosa sive fabulosa & nullius proinde valoris, vigoris aut existimationis. Hinc alibi D. Paulus Fundamentum aliud nemo potest ponere præter id quod positum est, quod est Iesus Christus: At jam, quòd hoc falsis gentilium fundamentis opponitur, idem Apostolus sic probat. Hoc dico, ne ambuletis sicut & gentes ambulant in vanitute sensus sui, tenebris obscuratum habentes intellectum, alienati à vita Dei per ignorantiam, quæ est in illis propter cæcitatem cordis eorum &c: Ac si diceret. Ne ambulate secundum vanitatem philosophiæ seu sapientiæ gentium, & Ethnicorum, quoniam ipsi intellectum tenebris obfuscatum habent, hoc est, sapientiâ fulsâ & imaginariâ ducuntur & per consequens à vijs veræ sapientiæ Iesus Christi alienantur propter suam ignorantiam.

Sap. 12. 1.

Galat. 1. 8.

1. Tim 6. 20.

Coloss. 2. 8.

Ephes. 4. 17. 18.

Restat jam, ut in proximo loco ad errores particulares falsasque philosophiæ Aristotelicæ positiones aperiendas & enucleandas perveniamus, ut eos hac via mundo judicioso per comparationem, vanitatem, falsitatem illius cum bonitate & perfectione alterius clarius & luculentius exponam.

CAPVT. VI.

CAPVT. VI.

In quo doctrina Ethnicorum Philosophorum falsa ac erronea; ac illa præcipuè Peripateticorum explicatur: ubi etiam probatur, quasdam ob rationes, quod illa sit super hujus mundi sapientiæ bases & non super illas sapientiæ à Deo descendentis ædificata.

NOn nullos Aristotelicorum ingenio acutiores jam nunc (ut mihi videtur) replicantes & dicentes audio: Quomodo potest vir iste verbosus probare, quòd sapientia illa, quæ est philosophiæ peripateticæ fundamentum non sit de supra, hoc est, de Deo, qui est luminis Pater.

1.Cor.1.20. 1.Cor.3.19. Ad objectionem istam discutiendam, necesse est, ut duas illas sapientias ab Apostolo propositas ad invicem conferamus. Inprimis D. Paulus ait. Deus stultam fecit hujus mundi sapientiam. Et alibi: Sapientia hujus mundi est stultitia apud Deum: Deus enim novit cogitationes sapientum, quod stultæ sunt. Atque ob istam causam Apostolus hæc alibi: 1.Cor.2.12. Nos non spiritum hujus mundi accepimus, sed spiritum, qui ex Deo est, & quæ à Deo donata sunt nobis, loquimur, non in doctis humanæ sapientiæ verbis, sed in doctrina spiritus, spiritualia spiritualibus comparantes: Animalis enim homo non percipit ea, quæ sunt Spiritus Dei: Stulta enim sunt illi & non potest intelligere &c: His Apostoli verbis bene ponderatis, inquirendum est inprimis, an Aristoteles esset homo animalis nec ne. Si verò inveniatur talis, quid ab ipso est ex pectandũ præter sapientiam mundanam cum Philosophia tali, quam D. Iacobus vocat animalem, terrenam & Diabolicam, quæ ex se ipsa nihil est, nisi mera stultitia: Cum animalis homo (ut ejus verbis utar) non percipiat illas res, quæ sunt spiritus Dei: Stultitia enim est illi. Ab hujus modi ergo Philosophia jubet nos Apostolus cavere, quoniam fundatur super traditionibus hominum & elementis hujus mundi & nõ super Christo. Verùm sapientiam græcanicam magis directè sic explicat, eamque ab illa Iudæorum & Christianorum distinguit: Sapientiam græci quærunt; Iudæi signa; nos Christũ crucifixum prædicamus &c: Quibus arguit, quòd græci quærunt sapientiam mundanam, quæ præcipuè consistit in speculatione seu contemplatione, ut è regione illa Iudæorum versatur in praxi, nimirum in signis & ocularibus demonstrationibus, ut pote sine quibus fidem adhibere nolunt: Ac tandem tertiam nominat Sapientiam nimirum veram, Iesum Christum, in quo erat plenitudo divinitatis corporaliter. Atque hæc est illa realis ac syncera de sursum à Patre Luminis sapientia, quæ à Christianis est omni diligentia inquirenda, quippe super qua quilibet verus Philosophus suæ Philosophiæ fundamentum, juxta hoc Apostoli ponere debet: Fundamentum aliud nemo potest ponere, præter id, quod positum est, quod est Christus Iesus. Si autẽ replicant hujus seculi sophistæ, quòd fortè Aristoteles ad Christi cognitionem aliquo modo pervenerit, vel saltem in sapientiam Moysis & Prophetarum, licet de longinquo inspexerit; hisce respondeo, quód, ut Aristotelis ætas verbi incarnationem præcederet, ita etiam manifestum redditur, quod in doctrina Moysaica, quæ in creatione & ordinatione mundi per spagyricum divini verbi actum consistit, quatenus scriptis suis mundum ab æterno fuisse tradidit, parum aut nihil omnino, intellexit. Fateor Platonem, qui huic erat magister, magis in sapientiæ veræ subjecto fuisse versatum, uti ex illius scriptis colligere fas est. Verum ejus discipulus Aristoteles, vanâ gloriâ elatus, per quandam immanem à disciplina Stoica seu Platonica deviationem unicè in mundo Sapientis nomen sibi arrogare cupiens, novam sapientiam seu Philosophiam mundanam, quam postmodum Peripateticam (ipsam ab alijs distinguendo, seque ejusdem principem esse ebuccinat) nomianvit, atque ita Philautiâ insigni inflatus veritatem figmentis & falsitatibus infinitis ab imaginatione seu conceptu proprio partis eo inquinavit. Hinc orta est Philosophia Aristotelica ex malo bonoque; falso, inquam, & vero ex sapientiæ modico & stultitiæ plurimo conflata: Cum è regione sapientia pura & simplex ex sola veritate sit constituta; quippe à solo spiritu Dei ordinata. Prætera à si doctrina Peripatetica stoica, aut Epicurea fuisset perfecta & secundum institutiones veræ sapientiæ Iesu Christi; cur tanto odio verum & sacrum illum philosophum D. Paulum persecuti sunt spurij Athenæ sapientes, quando ipsis veram sapientiam Christum Iesum prædicaret? Hisce ergo colligere fas est, qualis sit illa sapientia, super quam Aristoteles suam ædificavit Philosophiam, nempe ex se ipso inventa & tradita, & per consequens mundana & humana, & non illa syncera, quæ est de Deo. Verum ut propius Enucleo tenus quasi ad rem ipsam accedam: Ambas sapientias ab Apostolo Iacobo propositas ad invicem comparabo, ut exinde intelligatis, quæ earum sit dignior & à pijs hominibus magis amplexanda: In quit Iacobus: Sapientia contradicens veritati non est à Patre Luminis, nec est pacifica, nec modesta, sed terrena, animalis & Diabolica. At sapientia & Philosophia Aristotelica; est hujusmodi, quippe quæ est ligitiosa, & dis-

Act.17.

Iacob.3.15.

Coloss.2.8.9. 1.Cor.1.22. Coloss.2.9. 1.Cor.3.11.

putationum, fallaciarum cavillationum ac controversiarum plena: Quæ omnes ipsius proprietates naturæ & conditioni veræ
2. Tim. 2. 23. sapientiæ opponuntur. Hinc erat, quod Timotheus à magistro suo Paulo erat admonitus, ut se à societate eorum separaret, qui doctrinam à vera sapientia differentem docent: affirmando, quod ipsi, qui ita faciunt superbiâ sint elati & nihil sciant, sed circa quæstiones vanas & contentiones verbosas, versantur, ex quibus oritur litigium &c. At talis est Aristotelicorum Christianorum doctrina ac Philosophia, ut pote cujus mos & consuetudo est semper in quæstionibus, disputationibus, & cavillationibus versari: Atque hæc est ratio (ut dictum est) tantæ æquivocationis & distinctionum multitudinis, quæ viam struunt tam ad falsitates, quam ad veritates sustinendas & defendendas: Vnde ortæ sunt inter homines tot non modò (ut supra declaravimus) Philosophorum, verùm etiã Religionũ atque opinionum sectæ, ex quibus disputationes, litigiosæ contentiones non modò in Academiarum scholis, sed etiam inter differentes vulgi in religione factiones: At verò, si eorum Philosophia aut sapientia esset super Iesum Christum lapidem unicum Angularem erecta (qui, ut est omne in omni, ita quidem, est essentia unica & simplex) convenirent procul dubio tam scholares docti, quàm homines imioris vel minoris conditionis in unitate unica cũ ipso, qui est non nisi unus & idem in nobis omnibus: Nam in ipso & per ipsum facti sumus fratres, atque etiam hæredes cum ipso, regni æterni: Atque iterum cum ipso vivamus, moveamur, & habeamus nostram existentiam (ut D. Paulus testatur) Debemus sine
Act. 17. ulla quæstione aut disputatione noscere, illud summum bonum in nobis met ipsis, quod sapientes veri cujuslibet seculi, tanta Deligentiâ quæsiuerum & appetitu Tantaleo affectarunt: Nonne nos docet
Luce. 17. 21. Philosophia Christiana, quòd regnum Dei
1. Cor. 6. a. 19. sit intra nos? Et quód in nobis sit omnium mirabilium operator: & quod simus Templum Dei & Spiritus Sancti. Et quòd simus membra Christi? Quòd cùm ita sit, cur inter nos orerentur contentiones, disputationes & cavillationes vanæ circa quæstionũm multiformium & verborum ambignitates? Aut cur sensus nostros maturiores stolidis corrumperemus & perturbaremus distinctionibus, ab inventionibus humanis & stultâ ac Diabolicâ hujus mundi sapientiâ ab Vnitate derivatis recedimus: Cùm in ita faciendo, in abyssum multitudinis, seu barathrum ignorantiæ nos immergamus? Nam solum & unicum veritatis conamen est, ut in via recta per obscuras erroris nebulas (in quibus stulta hujus mundi sapientia & Philosophia super ipsam fundata, intellectus nostros miserè involuit) ad fontem unitatis & concordiæ quæ est æterna sapientia nos conducat. Hinc ergo videmus, quàm contraria sapientia Græcorum sit illi Apostolorũ. Vnde fit, ut D. Paulus admonere videtur discipulũ suum Timotheum, ut evitet profana & vana jurgia & oppositionem scientiarum falsò sic dictarum:
1. Tim. 6. 20. Quam dum aliqui sunt professi, erraverunt circa fidem. Quare omnes Christiani, qui habent suam fidei anchoram nimis firmiter philosophię Aristotelicę affixam, debent serio secum ponderare, quod magister eorum supereminens D. Paulus tanto fervore & zelo ipsos videtur pręmonere, nimis diligentem observationem philosophię Ethnicę, (quę consistit in litibus, quęstionibus, sive dubijs, verbositate vana & oppositione scientiarum) esse in causa, quod Christiani zelosi sine intellectu decipiantur, & respectu fidei in vera sapientia erraverint, ut testatur Apostolus.

Prętereà Apostolus dicit: Sapientia con-
Iacob. 3. tradicens veritati non est de supernis, sed terrena, animalis & Diabolica &c: Iam verò certus sum, quòd quilibet fidelis Christianus strenuè defendat & sustinebit sacrum Biblion esse ipsius veritatis fontem. Quod cum ita sit, quid respondebunt Aristotelici Christiani, si planè & expressè probavero, doctrinam Aristotelicam esse solido sacrarum literarum sensui & menti çontrariam & contradictoriam? Communis est inter Sophistas elegantes asseverare, cùm aliqua contradictio inveniatur inter philosophiam Grecanicam & assertionem sacram: quod verum est secundum philosophiam; verùm in scripturis aliter longé invenitur: Quibus respondeo, quod si aliqua inveniatur in contentis unius & alterius disciplinę differentia, ibi procul dubio magnus reperiendus est error in istarum aliqua & per consequens una est contradictoria alteri, sequitur ergo, quòd harum doctrinarum unica debeat ortum suum à sapientia terrena & mundana habere. Iam velim, ut quilibet Christianus pius cum, diligentia perpendat, an Dei verbo ad hærere potius conveniat, quod est summa, veritas, quam aut affirmationibus & assertionibus, Aristotelicis, qui suam sapientiam à patre mendaciorum derivavit. Alij dicunt, quòd homines se tam profunde in naturę secretis seu philosophia naturali immergant, ut ex Christianis Atheistę fiant, ut pote qui (ut ajunt) nullam volunt divinitatem agnoscere. Necesse habemus credere, quod de philosophia Greca & non de illa Iesu Christi intelligant, ut pote quę spiritum hominis intellectualem dirigit & conducit ad Thronum & sedem majestatis divinę, ipsique assidué suadet, ut evitet ac relinquat pessimam hujusce mundi multitudinem, ut ad unionem beatam contrahatur, à qua sui spiritus essentia erat ab origine extracta. Tertia hominum species, animo videntur infestari & graviter ferre, quod philosophus aliquis discursum de divinitate habeat; imò verò credunt, esse in

quo

quopiam audaciam & præsumptionem haud exiguam, axiomata seu testimonia scripturarum ad principia & causas philosophiæ veræ confirmandas allegare, audacter, sed inconsultè satis asseverantes: Biblia sacra hominem solummodò, quid sit ad ejus salvationem conveniens, docere, hoc est, ut timeamus Deum ac proximos diligamus, quasi vero scripturæ sacræ aliquid in vanum scripsissent: Et tamen expressè & aperte ex ijs intelligimus Quòd omnis Thesaurus sapientiæ & scientiæ Coloss.2. abscondatur in Christo. Et alibi: à me Ioh.14.26. discetis omnia: atque iterum: Spiritus Sanctus vos docebit omnia. Porro etiam ex ijs elicere fas est, tria illa principia, ex quibus Deus creavit omnia, nimirum tenebrosum abyssum, quasi materiam primam, à qua primordialiter omnia; aquas, ex quibus omnia, & spiritum formalissimum Dei, per quem omnia: Ex ea etiam elicimus veram & infallibilem meteororum generandorum rationem, & condensationis & rarefactionis mysterium, causam internam & generationis & corruptionis & actionis atque passionis omniumque aliarum rerum, quæ in scientia philosophica excogitari possunt, quæ omnia Aristotelici vocant naturalia: Hæc, dico omnia directè, planè, sine ulla sophisticatione in pagina sacra pertractantur: Atque etiam scientia illa, quæ ad moralitatem & gubernationē politicam spectat, cum cæteris scientijs tum liberalibus, tum mechanicis, quemadmodum est ante declaratum. Quid, Anne erant hæc vanè & inaniter à spiritu veritatis expressa? Minimè profectò, sed hos scrupulosos & intellectu destitutos potius culpare debemus, qui minimè scripturarum sensum percipientes, tanta temeritate de eo indicare præsumant. Nam si istiusmodi curiosi cum diligentia considerare velint, quòd philosophia in sensu suo originali importet sophiam seu sapientiam, agnoscerent profectò & confiterentur, quòd vera & essentialis philosophia seu sophia, sit nihil aliud, quàm sacra ista sapientia, sive spiritus disciplinæ sanctus, qui præcipuum est utriusque testamenti sacrosancti subjectum; & consequenter tam philosophiæ veræ, quàm Theologiæ fundamentum. Vnde etiam apparebit, quòd sacra philosophia sit quasi radix, ex qua Theologia oritur: cùm sit expressio Divinitatis & actionum ejusdem in creaturis: Nam nullibi in pagina sacra reperitur, quòd Deus esset unquam à scripturis nominatus, nisi quatenus considerabatur in hoc mundo quem Psalm. 103. 2. creavit & creaturas ejusdem. Ita dicitur Deut.9.3. Heb 12.22. quòd indueret lumen quasi vestimentum: Et quòd sit ignis consumens: Et Isai.66. Eph.4.8. quòd impleat cœlos, & quòd faciat terram scabellum pedum suorum: Et quòd 2 Sam 18.5. posuerit suum tabernaculum in Sole: Et quòd fecerit tenebrosam nubem suum tabernaculum: Et quòd locutus sit à cœlo in tonitru, Et quód sermonem habuisset cum Iobo in turbine, Et quòd spiret à Septentrione & Austro, Et quòd sit ubique. Etiam dictum est, quòd spiritus ejus in forma columbæ descenderet à cœlo, atque etiam in forma linguarum ignitarum: & quód impleat terram: & quód hominem feciſſet suum templum: & quod sit in omni re: Et, ut verbo dicam, scripturæ mentionem faciunt de Deo in nulla alia re, quàm essentialibus hujusce spiritus in omni creatura operationibus. Quare affirmare mihi liceat verâ philosophiâ, quòd, quatenus ejus fundatio sancta est, disciplinæ spiritus, sit nihil aliud in effectu, quàm Theologia, & nihilominus distinctionis cujusdam causa dicere liceat, quòd philosophia essentialis inquisitionem faciat de summo bono, movenda à circumferentia aut externo versus centrum vel internū ad inveniendem vel enucleandam eternam illam essentiam, quæ est omnium creaturarum centrum, cujus circumferentia est nullibi: & est solum bonum & in omnibus rebus actor, atque ita procedit (ut alibi est dictum) à demonstratione à posteriori, hoc est, à visibili creatura ad invisibilem creatorem: juxta D. Pauli & Salomonis antea citata præcepta, quorum prior dicit: invisibilia Dei à creatura mundi per ea, quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur, sempiterna quoque ejus veritas & divinitas &c: Posterior: Vani sunt hominis omnes naturâ, in quibus est ignorātia Dei, & qui ex ijs, quæ spectantur bonis, eum, qui est, intelligere non potuerunt: Neque ex operibus cōsideraris, ipsum opificem agnoverunt. At Theologia videtur perviam oppositā movere, nimirum à radiculi centro seu invisibilitate Dei atque interno actu creaturæ, quasi demonstratione à priori ad circumferentiā seu creaturæ externum. Quibus videre liceat, quòd utraque scientia ad unam metam sive finē, hoc est, ad unum summum bonum collinet: Et tamē sunt nonnulli hujus mundi academici, qui ultra limites creaturæ in sua inquisitione se elevant, hoc est spiritum istum ultra sphæram Lunæ, imò verò & ultra mundi concavitatis imagines quærunt; atque hoc modó ipsum absolutè à creatura dividere & distinguere conantur: qua ipsorum imaginatione & progressu scalam sine gradibus ascendere tentant: volunt (inquam) ad summum rerum cacumen seu fastigium scandere nulla consideratione ad infimum ejus gradum habitâ, in eo, quód Deum & sapientiam æternam sine ullo ad creaturas respectu investigato aggrediantur, cum à Textu sacro instruamur, quòd spiritus iste non sit à quolibet nostrum remotus: & per consequens, opus non est, ut illum, ultra ignis sphæram aut in cœlis superius inquiramus; cum propinquior sit nobis, quàm quis imaginari queat (ut divi Pauli verbis utar) At non est

Rom.1.18.

Sap.13.1.

Act.17.

mirum, quòd Academicorum noſtrorum nonnulli, philoſophiæ Peripateticæ ſpatio 7. annorum vel ulterius addicti, falſis ipſius rudimentis adeò corrumpantur, & tam parum de eſſentiali Divinitatis in creaturis natura intelligunt, ut cum ipſo (expirato illo tempore) ad altiorem promoveantur functionem ſive profeſſionem, Theologiam nimirum, reddãtur ijs adverſiſſimi qui myſterium divinitatis in creaturis agnoſcunt: Et quamvis ſcripturas pluribus in locis, verbum Dei ſeu ſpiritum incorruptibilem, tamẽ aſſeverare animadvertunt diſtinctionibus Academicis, quas ex philoſophis plané ethnicis & agilibus atque obſequioſis eorum commentatoribus accipiunt, ita nudam & ſimplicem veritatem nobulis æ qui vocationum involuunt, ut eam profundioris dubij & ambignitatis abyſſo, quam fuit antea immergant: Verbi gratia, cùm integer Biblij divini concentus ſit, quòd Deus ſit in omnibus & ſuper omnia & quòd ſpiritus diſciplinæ ſanctus ſit in omni re: ipſorum ſtatim nonnulli diſtinguendo reſpondent (uti ſupra eſt declaratum) quòd in omnibus ſit virtualiter, ſed non eſſentialiter: Quaſi verò ipſius virtus à ſua eſſentia diſtingui queat. Iterum: ubi dicitur: quòd Deus operetur omnia in omnibus. Verum eſt (dicunt) quatenus cauſa principalis & primaria: ſed (inquiunt) ſunt multa ſecundaria & ſubalterna agentia, quæ ſine prima rerum cauſa per ſe & in ſe agunt: ut ſunt Angeli, Stellæ, Elementa, Meteora, & creaturæ compoſitæ &c. Atque ita Ariſtotelicis iſtiuſmodi ſophiſticationibus, rei à ſcripturis teſtificatæ veritatem, quippe quæ ſimpliciter & plano ſermone dicunt, quòd Deus operetur omnia in omnibus commaculare aggrediuntur: Nam ſi Deus cum, in & per ſpiritum ſuum eſſentialem implet omnia, neceſſe habemus credere, quòd ſpiritus ille operetur omnia in omnibus & in omni creatura, quam immediaté implet: idque ſine ulla creaturæ aſſiſtentia, utpote quæ nihil habet, quòd non à creatore acceperit: Quod autem à Deo accepit, à Deo ſeparari non poteſt: Nam quomodò poſſibile eſt, ut organum creatum poſſit ullo ſuo actu creatorem ſuum adjuvare, qui ipſum implet & in ipſo tantummodò agit & operatur quid & quando vult? Ego (ait propheta) ſum Dominus faciens omnia ſolus & nullus mecum. Neque videretur hoc cuipiam alienum, cum ipſæ ſcripturæ teſtentur, quòd ipſe ſit omnia in omnibus. Atque iterum (ut antea) Incorruptibilis Dei Spiritus eſt in omni re. Et idem alibi: In Chriſto omnia ſunt condita per Chriſtũ & in Chriſto omnia ſunt creata, omnia in ipſo conſtant, ipſe eſt in omnibus primatũ tenẽs &c. Non intelligit, iſtam Dei præſentiam eſſe per accidens, ſed eſſentialiter. Quod cùm ita ſit, ſequitur, quod iſta Diſtinctio cum omnibus alijs ejuſdem farinæ ſit falſa, quæ dicit Deum operari mediaté, ſed non immediaté, & conſequenter, quòd creatura poſſit agere per ſe ſive immediaté ſine actus divine aſſiſtẽtia. Ac ſiquis diceret, divinam eſſentiã ſive virtutẽ poſſe eſſe diviſibilẽ, vel naturam divinã debere ideò eſſe partibilẽ & a divina radice ſeparabilẽ, quoniã eſt in diverſis organis. Poſſum ergo audacter concludere & omnibus notum facere, quod ſi ſcholaſtici Chriſtiani 7. illos annos, quos ad philoſophiæ Ariſtotelicæ diſciplinã aſſequendã conterunt, in veræ & ſacræ cognitione & doctrina addiſcenda, impenderent, noluiſſent procul dubio tam immaniter more gentilium errare & tot quæſtionibus, diſputationibus, contradictionibus & jurgijs veræ ſapientia præcepta & leges tã immaniter in fine illius tẽporis oppugnare; ſed è regione aptiores ſeu paratiores tum poſteà redderentur ad procedendum in ſtricta & directa inquiſitionis & acquiſitionis ſapientiæ illius myſticæ viâ, quam Deus (teſte Apoſtolo) patefecit atque ordinavit, ut electis & optimè à Deo merentibus ſuo tempore revelaretur, quo tandẽ in ſanctæ illius inquiſitionis fine juxta Apoſtolorum & virorum ſanctorum Exempla, tam potentes in virtute & poteſtate deveniant, quàm in vulgari iſto ſtatu ſuo verbis ſolis ſine eſſentiali aliquo effectu evidenti, videntur in hoc mundo pollere: Nam bono illo fructu, qui veram ſapientiam concomitare ſolet, erroneâ ſeducentis ſui magiſtri doctrinâ privantur. Sed ni crederent Academici noſtri Ariſtotelici, verba mea eſſe vana aut publicarent, aut replicarent doctrinam iſtam peripatericam majorem illis fructum & utilitatem, quàm ulla alia, quæ ex Textu ſacro elicitur, afferre queat: Liceat mihi in primis fructus illos hoc in loco enumetare, quos philoſophia noſtra ſacra mundo conferre poteſt, & tunc poſteà videant iſtiuſmodi philoſophi mundani, an tam realem & eſſentialem ex Textu Ariſtotelico utilitatem extrahere valeant: Sin minus; conticeant, velim, & laudes atque honorem ſapientiæ digniori concedant, & deteriorem in exilium ſempiternum ex hominum memoria relegent, hoc eſt, diligentiâ ſummâ meliorem ſequantur Philoſophiam, eamque ſeria veneratione Chriſtianâ amplectantur: Pro fructu, utilitate, virtute & potentia, quæ ſapiẽs philoſophus ex philoſophia ſua vera ſeu ſapientia eſſẽtiali haurire poteſt hæc ex contextu ſacro colligimus. Sapientiæ pretiũ non novit homo, qui eam conſequitur, beatus: Nam melior eſt ejus acquiſitio auro, & præcifior carbunculis, & omnia delectamenta tua non poſſunt æquari ei: Longitudo dierum in dextra eſt, in ſiniſtrà ejus divitiæ & honor. Viæ ejus ſunt viæ amœnitatis & omnes ſemitæ ejus pacis: Arbor vitæ eſt prehendentibus eam. Denique tenentibus eam beatus quiſque. Ejus eruditio pecunijs & auro effoſſo electiſſimo præferenda: Nam melior eſt ipſa Carbunculis, & omnia delectamenta non poſſunt

Iſai.44.24.

1.Cor.15.25. Sap.12.1. Coloſſ.1.16.

Iob.28.

Prov.3.15.

Prov.8.14.

possunt æquari ei. Ejus est consilium & æquitas & prudentia & fortitudo, & robur, per eam Reges regnant & dominatores decernunt judicium, Divitiæ & honos penes eam sunt. Melior est fructus ejus auro effosso & purgatissimo, & proventus ipsius argento lectissimo. Per sapientiam multiplicabuntur dies tui & adjcientur tibi anni vitæ. Sapientia spiritus præferendus est sceptris & Thronis, nec comparandæ sunt divitiæ ei, nec lapides pretiosi & aurum respectu ejus est, ut arena; & argentum, ut Lutum: Ipsa est thesaurus hominibus, qui nunquam deficit, quo qui utuntur, cum Deo contrahunt amicitiam, Ipsa cum sit artifex omnium, docet omnia, etiam facit hominē cognoscere tam occulta, quàm manifesta, atque etiam cogitationes hominum: Neminem diliget Deus, nisi eum, qui cum sapientia habitat: Est ipsa speciosior sole: Ipsa docet prudentiam, temperantiam, justitiam, & fortitudinem, quibus utilius nihil est in vita hominibus. Per ipsam habebit homo immortalitatem & memoriam æternam posteris relinquit: Emittitur illa à Deo è sanctis cælis, à Throno gloriæ, ut præsens versetur cum homine in labore, ut cognoscat, quid gratum sit apud ipsum: Illa enim novit atque intelligit omnia: Ipsâ homines servati fuerunt: Hæc conservavit Adamum, & potentiam dedit ei dominandi omnibus rebus: Ipsa mutorum os aperit, & linguas infantum disertas reddit. Infinitum foret, omnes sapientiæ istius facultates in Textu sacro allegatas, virtutes & potentias recitare: Cùm legamus, sanctos per eam dæmonia ejecisse, omnes morbos curasse, & mirabilia ac stupenda præstitisse &c. Restat jam, ut Peripatetici enumerent virtutes & actus suæ fictæ seu humanæ sapientiæ, & observet quilibet sagax, an quid reale aut ullius momenti mediante ea queant producere. Profectò meras umbras invenient pro substantia & figmenta pro realibus reperient. At dicent, sat scio, multa narras de tua illa sapientia, sed qua ratione est ipsa invenienda? Anne cui quam pro hodierno die datū est talem invenire sapientiam? Quare igitur de impossibilibus loqueris? Debitè & rite præparatis respondeo, quòd Philosophiæ istius divinæ scrutatoribus procul ex sacrarum literarum profundis ad ipsam inquirendam & comparādam proponitur: Nec enim debilior & segnior, aut malevolentior est spiritus istius benigni & clementis virtus & actus hoc nostro, quàm in seculis præcedē: tibus, in quibus se benigniter suis patefecit: Hoc copiosè à sacris scriptis expressum habemus. Ego (ait ista sapientia) amantes mei amo, & studiosè quærentes me inveniunt me: Nam deliciæ meæ vel delectationes meæ sunt cum filijs hominum: Venite, vescimini cibo meo, bibite de vino meo, quod miscui: Sapientia quærenti derisori ea non extat, scientia autem prudenti facilis est: Ipsa requiescit in animo prudentis: Non ingreditur in animam malitiosam, neque habitat in corpore, quod subjectum est peccato: Ipsa facilè conspicitur ab ijs, qui diligunt eam, & invenitur ab ijs, qui quærunt ipsam: Imo occurrit cupientibus. Ipsa se dignos circumeundo quærit, atque in vijs se benevole illis ostendit, atquè in omni cogitatione occurrit eis. Ipsa dicit: Accedite ad me, qui cupitis me & fructibus meis, quos gigno, implemini. Denique pro modo acquirendi talis thesauri, docemur à Christo, pulsemus, ut aperiatur nobis, atque quæramus more debito, ut inveniamus: Et Ecclesiasticus multis in locis & præcipuè capite 2. a versū 1. nos modùm ad sapientiam quærendam docet. Imò verò quilibet ferè Textus sacri locus, si mysticè, hoc est, spiritualiter intelligatur, atque etiam sensus ejus moralis, licet typicè aliquo modo nos ducit atque dirigit ad viam & aditum thesauri istius pretiosi investigandum, quam ego fideliter & ex animo sequar, deprecorque summum illum sapientiæ concessorem, ut mihi concedat gratiam ut ad optatam hujus summi boni metam in hac vita pertingam. Verùm enim verò, sat scio, alius adhuc scrupalus mundanis ex isto nostro discursu exsurget. Replicabunt, non esse hoc tempore opus, ut sint miracula, ut pote quæ signa solummodò in Ecclesia primitiva essent necessaria, ut mediantibus illis infideles ad fidē Christianam converterētur. Sed accedam jam propinquius ad probationes meas, quibus ostendam evidenter, quòd doctrina Aristotelis sit apertus & oppositissimus sacræ veritati adversarius: Vnde fit, quòd ab Apostolo pro illo sapientiæ ramo condemnetur, quem vocat terrenum, animalem, Diabolicum & veritati contradicentem.

Prov.9.12. Sapien.7. Sapien.7.14. Sap.7.a.17. Sap.7.a.27. Sap.8.7. Sap.8. Sap.9.10. Sap.10. Sap.10.21. Prov.8.14. Prov.8.22. Prov.9.5. Prov.14.6.14 33. Sap.14. Sap.6.13. Eccles.24.22. Eccles.2.1. Iac.3.

Hisce ergo apparet perspicuè & ex sacro veritatis testimonio inferius ulterius explicabitur, quòd virtus illa, mediāte qua Deus manifestè in hoc mundo aut per contractionem à circumferentia ad centrum, aut per expulsionem seu dilationem à centro versus circumferentiam operatur. Nam in mysterio hujusmodi actionis contrariæ in una essentia, tam condensatio, quam rarefactio, quibus cœlū, terra & omnia derivantur ex istis videlicet composita corpora, tam meteorologica, quam quæ in sua compositione seu perfectè mixta sunt, cōpleta perficiuntur. Atque iterum per istas proprietates cōtrarias operatur in mundo Deus aut sympatheticè, hoc est, per concupiscibilem attractionem, aut Antipatheticè nimirū per odibilem expulsionē, uti sectione hujus subjecti secunda declarabitur. Cū igitur res omnes hujus mūdi vel attractione sive contractione, vel expulsione aut dilatatione fiant; videamus obsecro quænā sit illa Aristotelis opinio de causa primaria, imò quidē immediata attractionis; ac tum posteà inquiramus, num ipsa cum sensu veritatis sacræ

conveniant nec ne. Peripatetici omnes in hoc conveniunt, videlicet, quod venti, fulgura, Tonitrua, Cometæ, nubes & hujusmodi alia meteora fiant ab attractiva solis atque aliarum stellarum virtute, quippe mediante qua vapores & exhalationes ex Terra & aquis in superiores aëris regiones attrahi atque elevari dicunt. Hinc ergo Velcurius secundum mentem & opinionem Aristotelis physices, cujus erat commentator, ait, Prout vapores magis minusve sunt calidi, ita altius humiliusve elevantur sursum à solis calore aliorumque astrorum, sicut videmus in sole bibente & attrahente aquam &c: At ego demonstrabo, longè aliter se rem habere, efficiamque, ut quilibet humano sensu præditus facilimè & apertis oculis decernat, quòd calor seu virtus nec solis nec stellarum, nec ignis nec creaturæ cujuspiam animalis, quicquam sibi attrahendi facultatem, sed à se pellendi atque discutiendi potius habeat. Exempli gratia: Si in ignis potestate sit attrahere vapores, ad se, tunc non permitteret fumos lignorum & carbonum terrestrium tam leviter ab ejus amplexu recedere: At experientia testatur contrarium: Quippe qua docemur, quòd integrum ignis officium sit densa vaporum & exhalationum subjecta rarefacere, eaque subtilia, penetrando & partes compactas dividendo atque dilatando reddere, & non ut vapores & fumos ita genitos ad se ullo modo attrahat: Nam oculariter videmus quòd eos, ipsius actu procreatos discutiat & per expansum mundi spiritum dissipet: Etiam, si linteum aliquod aqua madefactum igni apponamus, percipiemus quidem quòd substantia in eo aquea in vaporem fumosum virtute ignis cõvertetur: At verò tam longè abest, fumus ille ut ab igne attrahatur, ut ipsum undique per loci cavitatem sine ulla evidenti ignis attractione expandi atque dissipari animadvertæmus. Simili planè modo accidit in operativa solis natura: Nam ipse suo calore aquam & rem humidam substantiamque aliquam spissam sive grossam & combustibilem subtiliat seu rarefacit, & rarefaciendo dilatat: Quòd autem res humida in vaporem reducta sursum tendat, hoc non fit ab attractive aliqua in sole & stellis facultate: Sed naturali illo appetitu & inclinatione, qua levia elavari solent in altum. Quare sequitur, quòd aqua in vaporem subtiliata aut solidum aut unctuosum quippiam, in fumum seu exhalationem reductum non ab oliqua externi agentis coactione, sed sponte & per se adlocum ipsi à Natura destinatum ascendat: haud aliter, quam è regione, quod grave est & ponderosum, morum suum ex propria sua inclinatione deorsum facit: Sed ut clarius ad huc ipsorum elucescat error; Qui vaporum & exhalationum è terra & mari in superiores regiones, attractione solari statuunt, vos ad Instrumenti nostri experimentalis, seu vitri calendari experientiam referam; qua oculari intuitu invenietis, quòd omnis attractio à circumferentia ad Centrum (quæ propriè attractio dicitur) efficiatur à frigore & non à calore: Nam videmus, quòd frigoris virtute aqua vitro inclusa, sursum in collo vasis elevetur, & quòd hoc fiat in spissatione aëris & reductione ipsius in spatiũ vitri angustius: At è regione observamus, quod si sol vel ignis vel manus hominis sũmitatẽ vitri pertingat, eamque calefaciat, tunc aër inclusus dilatabit & subitò à caloris actione evolabit; imò quidem tam longe abest, ut aër attrahatur à calore, ut aquam antea congelativa & inspissativa frigoris facultate attractam, superius per nonnullos gradus præcipitet & deprimat. Quod cum ita sit, considerent velim Peripatetici Christiani, & sedulò animadvertant male sanam magistri sui disciplinam, quam tam sanctè & tanta cum affectione in hunc usque diem sequuntur, & secum paucis colligant, quàm immaniter & more grosso ipse in præcipuo Meteorologiæ suæ argumento erraverit. Quid ergo ulterius ab eo est expectandum, quin ut tota ipsius fabrica perse in oculis sapientium corruat? Breviter dico, quòd iste & permulti alij ipsius errores palpalibes, sunt in causa, ut varij mente saniores ejus discipuli in quam plurimis ab illius animo & sententia dissentiant: Videlicet in opinione ejus de ventorum, Tonitrus, fontium & aliorum meteororum origine: Nam Iohannes Fregius vir doctus & in disciplina Aristotelis admodum versatus, quique naturæ mysterijs juxta Peripateticorũ documentũ inquirendis, operã haud minimã dedit (quẽadmodum ex largi voluminis ab ipso editi contentis cui nomen est quæstiones physicæ, apparet) hæc in eodem volumine scribit. Quanquam, ait, tota disputatio deventis, sicut de alijs meteoris plena est admirabilium operum Dei, quorum nullæ firmæ & sufficiẽtes in natura causæ proferri possunt, tamen prodest videre, quò usque humana ratio progredi possit. Sacræ quidem literæ dicunt, Deum ventos producere de thesauris suis, unde ipsorum flatus audimus, sed unde veniãt, aut quò vadant nescimus: Hæc ille: Ex altera parte Margarita Philosophiæ (opus, quidem magnæ famæ atque æstimationis etiam inter ipsos Peripateticos respectu succi illius Aristotelici, quem comprehendit) post strictam inquisitionem ab ea in natura fulguris & Tonitrui secundum Peripateticorum normam factam: Et cum rationibus ab Aristotele de tonitrus & fulguris ortu prolatis, propter defectum atque imbecillitatem earum ad inveniendũ tanti in natura miraculi mysterium, nullo modo esset contenta aut satis facta: Ad istud secretum enucleandum coactus est librum veræ sapientiæ respicere, quippe à qua Salomon fatetur, se vim ventorum & mutationem

Velcur. com. phiũc. 3. lib. C. 5.

Fregius lib. 2 De causa ventorum.

Margar. Phil lib. 9. cad. 20.

Sap.7. Iob.28.25. tationem elementorum agnoviſſe: Nam aptat pondus aëri & appendit aquas in menſura, & facit pluviæ ſtatuta & viam fulgitro Tonitruum. Vnde Philoſophia iſta à peripatetico diſſentiens coacta eſt in hæc verba loqui: Quidam Philoſophorum (inquit) conſiderantes mirabilem fulminis operationẽ, ipſum non opus naturæ ſed ſummi Dei effectum immediatũ arbitrati ſunt. Iterum, ad fontium procreationem & originẽ quod ſpectat: Iohannes vel Curio, qui temporis multum in Peripatetica Philoſophia contrivit, tametſi commentarium ſuper phyſicam Ariſtotelis feciſſet, tamen videtur ſui magiſtri aſſertioni in fontium generatione diffidere: Quare ait. Non conſentiunt planè ſacræ literæ cum philicis de ortu fontium & fluminum, quæ ex mari per varios alveos meatusque fluere ac ad ſuos fontes refluere dicunt. Eccleſiaſtes 1. teſtatur dicens, omnia flumina intrant in mare & mare, non redundat, ad locum, unde exeunt flumina reverturtur, ut iterum fluant. Cæterùm Ariſtoteles & phyſici Peripatetici dicunt materiam iſtorum eſſe pariter vaporem reſolutũ in aquam & liquefactum à frigore & calore ſimul intra terram. Ex iſtis igitur, lector conſulte, patet ex confeſſione diſcipulorum & quaſi pediſſequarum Ariſtotelis, quàm contraria & planè contradictoria ſit opinio Ariſtotelica veræ ſapientiæ inſtitutis. Quare auſculta, quæſò verba iſta Apoſtoli: Sapientia, quæ contradicit veritati, non eſt de ſupra, ſed eſt terrena, animalis & Diabolica: Vnde etiam D. Paulus, ſi quis vobis Euangelizaverit præter id quod accepiſtis, anathema ſit. Iam verò quod iſte princeps Peripateticorum ſit in ſua doctrina erroneus & diſciplinæ ſanctæ in cauſis primarijs generationis meteororum adverſiſsimus, mundo expreſſe & coloribus vivis in libro ultimo iſtius tractatus depingam, in quo ipſum mundi Chriſtiani deceptorem & impoſtorem egregium fuiſſe demonſtrabo, ut pote, qui rationibus præſtigioſis & vix probabilitate ſtipatis ad meteorologiam ſuam ſtatuminandum utitur: quippe quæ in veritate & effectu, hoc eſt reſpectu veri fructus, quam vera ſapientia producit, nihil ſunt miſi meræ fallaciæ & ſophiſmata. Quibus omnibus viris doctis & juſtitiæ trutinis libratis, bene ponderatis, mirabile & admodum alienum procul dubio illis videbitur, quod mundus Chriſtianus fuit tam dui per iſtas nugas Ariſtotelicus deceptus: Imò quidem admodum videbitur intelligentibus & mente arrectis novum atque etiam durum, quòd illi ipſi, qui zelo Chriſtiano ſunt devoti, fontem totius ſapientiæ relinquerent, ut artes, ſcientias & intellectum ab Ethnicis quæramus ſicut fecerunt Agareni & illi, qui erant in Theman: à quibus vera ſcientia non eſt habenda: De hujuſmodi Chriſtianis tam hujus, quàm præteriti ſeculi videtur Apoſtolus in his verbis Prophetiſare:

Velcur. comm. Phyſ. Lip. 3. Cap. 6.

Iac. 3. Gal. 1. 9.

Baruch. 3.

Erit tempus, cum ſanam doctrinam non ſuſtinebunt, ſed ad ſua deſideria conacervabunt, ſibi magiſtros prurientes auribus & à veritate quidem auditum avertent, ad fabulas autem convertentur, &c. Quo ſermone intelligit ſpurios magiſtros, erroneos Doctores & precipuè adulterinos philoſophos: Nempe Epicuræos, ſtoicos, & peripateticos, quorum doctrinæ & Philoſophia, ut ſecundum traditiones hominum & ſecundum elementa mundi, & non ſecundum veram ſapientiam, Chriſtum Ieſum, ſe habent, pro ſtultitia, vanitate & fabula habentur coram Deo & ejus ſanctis. Quare Apoſtolus in prædicta ſua oratione Chriſtianos procul dubio tales ſeculorum futurorum indigitat, qui veram doctrinam ſeu ſapientiam Chriſti, Prophetarum & Apoſtolorum relinquentes, ſe inconſideratè falſorum doctorum & Philoſophorum diſciplinis addicant: Iterum Philoſophus iſte ſacer præſagire videtur, quòd erunt quam plures in ſeculis futuris, qui vana gloriâ & amore ſui elati, conſilia aliorum utcunque ſana contemnent, ſi in ulla re à fundatis & radicatis ſuis opinionibus diſſonantia inveniatur. Textus eſt talis: In noviſſimis diebus inſtabunt tempora periculoſa & erunt homines ſeipſos amantes, cupidi, elati, ſuperbi &c: Semper diſcentes & nunquam ad veritatem pervenientes, quemadmodum autem Iamnes & Mambres reſtiterunt Moyſi ita & hi reſiſtunt veritati, homines corrupti mente & reprobi circa fidem & ultra non proficient &c: Ex quibus verbis colligimus inprimis, quod nonnulli homines in ultimis hiſce diebus adeò ſuæ propriæ doctrinæ, hoc eſt, Philoſophiæ mundanæ, in qua ſunt ab initio inſtituti, erunt addicti, ut quicquid ſynceræ veritatis ipſis fuerit oblatum, ſi ſuis intentionibus & rudimentis videatur adverſum, cum deriſione & contemptu reſpuent. Secundò in ſufficientiam doctrinæ & Philoſophiæ illius, quàm amplectuntur, exprimere videtur: Nam dicit, quòd ſint ſemper diſcentes & nunquam ad veritatem ſeu perfectionem pervenientes. Hoc eſt, nunquam pertingentes ad ſupremam illam virtutem & poteſtatem, quam vera ſapientia ſuis diſcipulis promittit. Tertiò videtur, quod intelligit mundanam philoſophiam per exempla illa, quæ facit de Iamnes & Mambres, quæ in præſtigioſa Ægyptiorum philoſophia & ſapientia humana erant admodum verſati, cujus virtute nihilominus veræ Moyſis Sapientiæ reſiſtere haud potuerunt. Ac denique intimare videtur, quòd ipſi, qui tam firmiter ad hærent ſapientiæ ſpuriæ ſint ab ea corrupti & inquinati in imaginationibus ſuis, ita ut cogantur errare in punctis fidei. Quare non erit mirum, ſi Chriſtiana hæc mea admonitio ſit à pluribus iſtius farinæ hominibus rejecta & in contemptu habita, licet ſat ſciam, nonnullos eſſe, qui veritatis virtute moderantur, & ob eam

2. Tim 4.3.

2. Tim. 3. 1. 2.

rationē errores philosophiæ Aristotelis ab infallibili sacræ scripturæ veritate distinguere & judicia sua tam rectē & syncerē disponere queant, ut sacrosancta unius sapientiæ dignitas nullum ab Ethnicis & non sanctificatis alterius actionibus & asseverationibus patiatur detrimentum.

CAPVT. VII.

In quo Deus noster omnipotens Iehova spuriam hujus mundi sapientiam & sapientes sive philosophos in quæstionem pro falsa & erronea eorum, de causis rerum mundi existentiæ, & originis ac tandem de Meteororum ortu, doctrina, vocare videtur.

NOn erat pro nihilo, quòd Aristoteles à Græcis Cacodæmon, quasi spiritus malignus & seducens nuncupetur. Quippe qui subtilibus suis inventionibus & sophismatibus, mundum, non modò in illo seculo, sed etiam in seculis sequentibus decepit, & quasi igne quodam fatuo per semitas erroris & ignorantiæ à via veritatis seduxit. Nam sophista hic rationibus suis fallacibus magis, quam probabilitatis, veritatisque facie ob ductis, fingit res illas accidentia esse & fortuito sive Casu ortas, quæ revera sunt de supra & per consequens essentialiter & divinitus à spiritu sacrosancto partæ. Etiam juxta ipsius doctrinam, cœlum, terra, stellæ atque elementa fuerunt ab æterno & non creata: atque istam suam assertionem videtur rationibus è fictæ suæ philosophiæ pharethra & inventionibus à proprio cerebro depromptis, statuminare: dicendo, quod ex nihilo nihil fiat. Porro etiam rationem reddit humanum vitæ & motus, & assignat limites mari, suo more: & fingit rerum omnium causas secundum phantasiam suam, proque placito suo assignat occasionem generationis & corruptionis rerum. De prima materia & rerum forma naturalium facit, mentionem, internas earum essentias penitus suo sensu, tametsi ignoret, causas nivis, Gelu, Glacici, grandinis, pluviæ, nubium, nebularum, fulgurum &c: nos irrationabiliter satis & per conjecturam solam docere conatur, dicendo, quód morę adventitio ex vaporibus & exhalationibus sursum calore Solis & Stellarum ex terra & aqua extractis & in mediam aëris regionem attractis ab accidentali loci illius frigore condensatis, & in tales formas quas habent redactis generentur. Multas ex propria inventione producit substantias probationesque debiles, quibus ostendit se in talibus suis opinionibus minimè esse deceptum, adducit etiam, ventos forté fortuna & per accidens fieri, nimirum attractione & elevatione exhalationum calidarum & ficcarum virtute prædictorum agentium, dicitque, quòd illæ exhalationes postquam in ascendendo ad mediam aëris regionem pertingant, à loci illius frigore deorsum iterum pellantur & tum postea in ipsarum, descensu alijs exhalationibus ascendentibus occurrant, cogantur lateraliter tendere. Præsumit etiam vir iste nimiâ philantiâ elatus tonitruorum & fulminum, causas intelligere, ipsa etiam per accidens pariter cum cæteris fieri existimans, videlicet à concursu vaporum exhalationibus mixtorum cum infinitis alijs istiusmodi figmentis frivolis & vix verisimilibus: quas omnes verbis mellifluis & subtilibus sed plané externis & superficialibus probabilitatibus loco realis & centralis ipsius veritatis aspectus, obvelavit.

Sed omnipotens Deus cœli & terræ, qui est solus horum omniū author & operator, & ea omnia immediatè format per potestatem & virtutem suam æternam, & ipsa ex thesauris suis ubi & quando placuerit, emittit. Ipse (niquam) qui est summus humanarum actionum judex, istum mendaciorum inventorem cum suus asseclis illis ipsis verbis deridere videtur, quibus Iobum (ipsum ob erroneas suas imaginationes objurgando) est allocutus. Quis est iste involvens sententias sermonibus imperitis? Accinge sicut vir lumbos tuos: Interrogabo te & responde mihi, ubi eras cum ponerem fundamenta terræ, Indica mihi, si habes sapientiam & intelligentiam. Quis posuit mensuras, ejus, si nosti? Vel quis tendit super eam lineam? Super quo bases illius solidatæ sunt? Aut quis demisit lapidem ejus angularem &c: Quid, ô Peripatetice, Fuitne terra æterna & sine principio, ut tu proprio tuo sensu ductus asseverare haud erubescis? Deinde pergit sic. Quis conclusit mare ostijs, quando erumpebat, quasi de vulva procedens? Nunquid apertæ tibi sunt portæ mortis & ostia tenebrosa vidisti &c. (Quòd tu tam temerè ac tanta confidentia ac secundum imaginationis tuæ leges generationis & corruptionis rationē assignas? Nunquid ingressus es thesauros nivis aut thesauros grandinis aspexisti quæ præparavi in tēpus hostis & in diē pugnæ? &c: (quod tu secundum inventionē & mentem tuam fingas carū ortus seu generationes esse per accidens, ipsisque principia adventitia assignes) An nosti, ubinam sit via, in qua dividitur exhalatio, quæ spargit ventum super terram &c: Quis dedit vehementissimo imbri cursum & viam sonantis tonitru? Anne actor aliquis accidentalis, qualis est frigus, mediæ aëris regionis condensans vapores in nubes & per antiperistasin accendens

Iob. 38. 2. 3. 4. 5. 6. 8. 17. 22. 24. 25.

cendens exhalationes in nube incluſas)? Quis eſt pater pluviæ aut quis genuit ſtil-
28. las roris? &c: Anne credis, ſolis & ſtellarum calorē vapores ſurſum attrahentē eſſe iſtius negotij, authores & actores, ut tu falſò aſſeverare haud erubeſcis? Ex cujus utero egreſſa eſt glacies & gelu de cœlo
29. quis genuit? &c: Eſtne frigiditas mediæ aëris regionis, ut tu dicis? Nunquid conjungere valebis micantes ſtellas Plejadas,
31. autgyrum arcturi poteris diſſipare? Nunquid producis Luciferum in tempore ſuo & veſperum ſuper filios terræ conſurgere
32. facies? Nunquid noſti ordinem cœli? Et pones rationem ejus in terra? &c: Et quare non?
33. Num tu per Philoſophiam tuam peripateticam cauſas omnium rerum tam cœleſtium, quàm terreſtrium intelligere profiteris? At ille, qui cognoſcit rerum omnium myſteria mirabilia præſtare poteſt: Nam hac ratione ſervus meus Ioſuah fecit ſolem in cœlo ſivè ſtare: & pro amore Hezekiæ Spiritus meus fecit ſolem retro-
34. movere in cœlo. Nunquid iſta mediante tua ſapientia potes præſtare? Nunquid elevabis in nebula vocem tuam ut impetus aquarum operiat te? Nunquid mittes fulgura & ibunt & revertentia tibi dicent, ad-
35. ſumus &c:? Si baſes & fundamenta tuæ Philoſophiæ ſint eſſentialia & ſubſtantialia, hæc omnia & longe majora efficere poteris: Nam viri nonnulli à me electi mediante ſpiritu meo hæc omnia præſtiterunt: Verbi gratiâ poteſt longam â pluvia abſtinentiam, Elias apparere fecit nubes in cœlo, quibus terra nimis ſicca erat irrigata: Et Propheta meus Moyſes & Samuel illa ipſa virtute produxerunt Tonitrua & fulmina horrenda in terrorem inimicorum. Elias vocavit ignem ab alto & Ioſua grandines ſtu-
36. pendas) quis poſuit in viſceribus hominis ſapientiam, aut quis dedit cordi intilligentiam. Et tamen auſus es tu, frivolis & vanis tuæ inventionis effectibus fretus, quæ fundatur ſuper hujus mundi elementis, & non ſuper meo ſpiritu, qui eſt vera ſapientia, opera mea, quæ ſum unicus & ſolus omnium rerum creator & genitor creaturis meis; imò verò & Chimæreorum accidentium operationibus aſcribere. Nunquid qui contendit cum Deo tam facile conquieſcit? In hæc verba magnus Deus Iob.39.32. Iehova videtur Ariſtotelem & ejuſdem farinæ philoſophos eſſe allocutus, qui nimium ſuis proprijs conceptibus elati tantâ audaciâ & temeritate ſuper ſuam ſapientiam terrenam & animalē præſumunt, ut etiam ipſi veritati à Deo ortæ contradicere & reſiſtere audeant. Opto igitur ex profundo cordis mei, ut philoſophi iſti mundani ſe ipſos ab humana illa Ethnicorum ſapientia declinantes, humiliter ad veram ſapientiam & philoſophiam convertant, quæ fundatur ſuper eam: Nam in ita faciendo ſe coram ſolo cœli & terræ creatore humiliabunt, & cum viro tam patiente quàm pœnitente reſpondebunt Iehovæ dicentes: Ecce contemptibiles ſumus, quid reſpondebimus tibi? Manus noſtras impoſuimus Iob 39.34. Iob.42.2. oribus noſtris: Scimus quod omnia potes, & nulla te latet cogitatio, ideò inſipienter locuti ſumus, & quæ ultra modum excederent ſcientiam noſtram, ipſi nos reprehendimus & agimus pœnitentiam in favilla & cinere: Agnoſcendo jam, nullam eſſe veram ſapientiam, præterquam illam, quæ à te eſt, qui es luminis Pater, cujus virtute mirabilia, operaris. Quapropter fatemur, quod ſapientia hujus mundi ſit mera ſtultitia, & quod tales mundani, qui ſe ei addicunt, decipiantur, quatenus divinam ſapientiam, Chriſtum Ieſum negligunt, in quo eſt Theſaurus ſcientiæ & ſapientiæ abſconditus, ut nos docet Apoſtolus.

Atque ita vobis ſapientiæ duplicitatem cum varijs ipſius effectibus, & per conſequens naturalis philoſophiæ duplicem expreſſimus, & docuimus rationem, qua Chriſtiani omnes boni (contra iſtius ætatis noſtræ conſuetudinem) debeant unam cum ſuprema reverentia amplecti; aliam verò magna cum prudentia evitare atque effugere. Iam verò libro iſto ſequenti principia Moyſaica proponam, quibus integra philoſophiæ ſacræ fabrica ſtatuminatur.

SECTIONIS PRIMÆ LIB. III.

Philoſophiæ Moyſaicæ liber tertius, in quo veræ Philoſophiæ principia enucleantur.

Argumentum libri.

In libro præſenti author vera & eſſentialia divinæ philoſophiæ principia generaliter pertractat, & quàm inconſtantes & differentes philoſophi Ethnici in ſuis de rerum omnium principijs opinionibus fuerint, particulariter exprimit, ubi etiam probat quòd Græcorum Philoſophorum ſeu Naturaliſtarum præſtantiores ſuæ philoſophiæ fundamenta ſeu principia à vero & ſacro philoſopho Moyſe more ſurreptitio acceperint; cujus philoſophia digito Dei erat impreſſa ſive delineata, utpote cujus chracteres ignei in tenebroſa hyla per verbum divinum ſeu ſapientiam æternam erant quaſi ſculpti & depicti: ſimulque oſtendit, quòd, tametſi philoſophi iſti Athenienſes, hæc Moyſis principia ad ſuam condendam philoſophiam uſurpârint, & ſibi ipſis feré vendicaverint, & ut immanem iſtiuſmodi ſuam rapinam à mundo tegerent, nova ipſis nomina impoſuerint, tamen quia nec ad profundam & centralem ipſorum intellectum penetrare ſive pertingere, nec ſapientiæ ſanctæ ſeu verbi myſterium rectè & cum judicio maturo concipere, & apprehendere potuerunt, ideò non niſi adulterinam ſuper male cognita illa fundamenta ſeu principia ſtructuram ſive philoſophiam erexerunt: vanam nimirum & fallacem ſapientiam mundanam, quæ non ex eſſentiali veritatis & virtutis ſcopulo ſeu rupe exſcienditur, nec Chriſto unico Lapidi Angulari innititur, ſed ex traditione hominum procedit & ſecundum hujus mundi Elementa effingitur: Haud aliter, quam ſi arcem ex ſtramine utcunque ſuper ſcopulum ædificatam, ventis undique obnoxiam atque omni turbine & tempeſtate agitatam vidimus. Poſt hæc author vera principia Moyſaica explicat, eſſe Tenebras, Aquas, & Lucem. Deinde docet, quòd omnis plenitudo & vacuitas conſiſtat in præſentia vel abſentia lucidi & formalis Dei Spiritus. Ac denique quomodo duæ propietates activæ, ſcilicet Frigidum & calidum immediatè ex prædictis principijs, nempe tenebris & Luce oriantur, ut é regione duæ naturæ mundi paſſivæ, nimirum Humidum & ſiccum, ſuas à dictis duabus activis origines videntur ſibi vendicare.

CAPVT. I.

In quo Philoſophorum Græcorum atque Arabum in ſuis de principijs naturalibus incertitudo atque inconſtantia explicatur.

EVidens eſt Argumentum, quòd philoſophi Ethnici non eſſent in principijs ſuæ philoſophiæ bene confirmati, ſed in cauſis ſuæ naturæ primarijs admodum inconſtantes & vagabundi: quatenus inter quamlibet eorum ſectam varia & quandoque contraria inſurgebat de rerum primordijs origo. Verbi gratia, Thales Mileſius, qui in ſeptem, Græcorum ſapientum habebatur numero putavit, aquas fuiſſe omnium rerum initium: Sed Anaximines cum ſuis diſcipulis dixit aërem infinitum fuiſſe primam cauſam ſeu ſcaturiginem omnium: Et ob iſtam etiam cauſam Anaximander exiſtimavit, aërem iſtum Catholicum fuiſſe Deum: Et alia parte Zoroaſter vult, omnia ſuum ortum habere ab igne & luce: Vt etiam ipſi Pythagorici, qui affirmant, univerſalem eſſe ignem in omnibus & ſuper omnia. Et certè quælibet iſtarum opinionum, ſi rectè & debito modo conſideretur, ad veritatem Moyſaicam appropinquare videbitur: Nam ignis ſive lucis Divinæ ex profundo tenebroſæ abyſſi egredientis virtute & præſentiâ revelatæ & manifeſtatæ ſunt aquæ inviſibiles, quarum ſubtilior portio in vaſtum aëris ſpiritum eſt converſa. Hac ergo de cauſa tam Thales

quàm

quàm Anaximines videntur quodammodo in uno eodemque subjecto convenire: Verùm enim verò si aliquantulum profundius in negotium istud penetremus, percipiemus quidem, quòd isti duo philosophi non nisi unico solo Principio illo nimirum materiali seu passivo insisterent, à quo cœlum, terra & omnis alia res suam habet substantiam sive materialem existentiam: E regione verò zoroaster non inconsultè aut sine ratione ignem pro primario suo rerum omnium principio elegit, utpote qui procedebat & in actu apparebat, antequam, Aquæ seu natura humida fuerunt revelatæ: haud aliter, quàm actio passionem seu causa effectum præcedere observatur: Et tamen nihilominus videtur in eo erraſſe in ista sua assertione, quód principium activum possit nullo modo rectè considerari, nisi quatenus relationem habeat ad principium aliquod passivum. Zeno stoicus videtur cæteris aliquantulum cautior, asseverando, quód substantia ignis mediante aëre in aquam conversò primaria esset omnium rerum causa. Verùm certiorem adhuc viam tentat Empedocles, quàm Zeno, quippe qui pro radicalibus suis principijs elegit quatuor Elementa, quorum duo fecit Agentia & totidem patientia. Iamque præcipuus istorum philosophorum error in prædictis suis opinionibus de principijs rerum erat, quòd minimè considerabant divinam potentiam seu verbum sacrum fuisse majoris antiquitatis, quàm aliquod ex prænominatis ipsorum principijs: Nam si hoc judicio maturiori intellexissent, conterentur procul dubio rationibus ab æterna rerum unitate seu essentiali centro prolatis instructi, quòd divina Lux seu emanatio sancta (quam scripturæ sacrosancti spiritus titulo nominant) esset actualis creaturarum omnium origo seu principium, uti nihilominus huic præcedebat alia proprietas divina in una & eadem essentia, quæ dicta est potentia Divina, quæ suum actum seu emanationē præcedit non aliter, quàm Pater tam respectu temporis quàm ordinis & existentiæ: haud injuria dicitur, existere ante Filium aut creator ante creaturam. Atque hinc ait sapiens: Omnium prior creata est sapientia. Eccles.1.4. Nihilominus tamen est certum, quòd nonnulli è Græcanicis & Ægyptiacis philosophis, nimirum Plato & Pythagoras inter Græcos, & Hermes Trismegistus ex Ægyptijs, adeò fuerunt mentibus suis erecti atque exaltati, idque partim observatione doctrinæ prædecessorum suorum & partim ratione experientiæ, quàm in itineribus & peregrinationibus suis longis tam à sapientibus Æthiopiæ & Ægypti, quàm Hebræis, Armenicis, Arabibus, Babylonicis atque etiam Indicis acquisiverunt: Nam ab authoribus fide dignis accepimus, Platonem, Pythagoram, Hippocratem & alios per istas regiones fecisse itinera, ut scientiam & cognitionem suam augerent & multiplicarent: Quod sine dubio decernerent, tametsi de longé & quasi in nebula verùm lumen natura humida quasi vestimento indutum: & inter alios traditur, de Platone, atque etiam hoc idem ex nonnullis ipsius scriptis est eliciendum planè, quòd ipse notitiam ac visionem habuisset Dei verbo, & quòd libros Moysis legisset, & quòd admodùm profundè in mysterijs divinitatis esset versatus; quare ab ipsis Christianis Divinus vocatur. Simili etiam modo philosophus ille insignis Mercurius Trismegistus per scripta sua Divina arguere videtur se Libros Moysis perlegisse atque etiam in arcanis Dei secretis in spectionem haud minimam habuisse, quemadmodum ex sermonibus ipsius profundis sub Pimandri nomine editis colligere fas est, quippe in quibus videtur sanctam Trinitatem agnoscere, atque etiam rationem creationis mundi & Elementorum more Moysaico ibidem apprehendere, quam fatetur esse per verbum Dei factam & completam. Quare hisce duobus inter omnes alios philosophos mihi liceat Divinitatis portionem ascribere. In hoc tamen unico possum neque Trismegistum neque Platonem commendare, videlicet, quód post Moysaicarum librorum lectionem, quorum subjectum Spiritus Divinus Moysi dictavit tametsi doctrinam & veritatem, quam ex ipsis de principijs rerum extraxerunt, professi sint; tamen noluerunt magistrum suum in suis scriptis agnoscere, sed principia ipsius mutatis eorum nominibus sibi suisque philosophis usurpârunt. Verùm ut Plato cum suo magistro Moyse inhumaniter & ingratè hac in re ageret, ita quidem & ipse eodem planè modo à discipulo suo Aristotele duriter erat tractatus, ut pote qui percipiens, quod tria Moysis principia à magistro suo Platone essent sub novis titulis velata & occultata, ut pro proprijs suis haberentur, etiam ipse imitando magistrum suum, ipsum eodem nummo persolvendo nomina & titulos principiorum Platonicorum novo fuco obvelando alteravit & sibi ipsi tandem vendicavit, ut super ea philosophiam noviter à se inventam conderet. Quibus videre licet, quam malè & haud securè philosophia ab humana traditione parta, fundamentis bonis sit statuminata: Haud aliter, quàm si domus straminea vel ex re alia fragili & non durabili constructa, esset super scopulū durum ædificata, quæ nihilominus respectu infirmitatis & imperfectionis rei, ex qua est fabricata, non potest esse diuturna, quatenus ejus materia est ad substantiam solidam suæ basis heterogenea & per consequens malè compacta & cuilibet vento aut turbini obnoxia: Haud secus ac tam spuria & heterogenea, viliter dispositа est philosophiæ istius Aristotelicæ structura respectu principiorum illorum essentialiū,

ſuper quæ ſuperædificatur, ut vel minimum quidem veritatis ſeu ſapientiæ ſynceræ flatum perdurare nequeat, ſed facile corruet & in nihilum redigetur: Nonne videtur
2.Cor 3.a.10. Apoſtolus hoc idem ex iſtis innuere: fundamentum, ait, nem poteſt ponere, præter id, quod poſitum eſt, quod eſt Chriſtus Ieſus. Si quis autē ſuperædificet ſuper fundamentū hoc, aurum, argentum, lapides pretioſos, fœnum, ſtipulā, uniuſcujuſque opus manifeſtum erit: dies enim Domini declarabit, quia in igne revelabitur, & uniuſcujuſque opus, quale ſit, ignis probabit. Hiſce ergo quilibet ſagax Chriſtianus animadvertere poteſt, quomodo philoſophi Ethnicorum peritiores & majoris inter mundanos æſtimationis principia ſua ex ſcriptis Moyſaicis acceperint vel rectius ſurripuerint, quatenus ea ſibi ipſis uſurpantes magiſtrum ſuum Moyſem in ſcriptis ſuis minimé agnoverunt, qui totam ſuam doctrinam & ſcientiam ſpiritui Divino tribuit ſive arrogavit, & ejuſdem principia ſeu fundamenta more practico ex apparitione Dei ſuper montem Sinai expreſſit: Nam ſuper horum principiorum baſes (trium, dico, unius eſſentiæ) philoſophi veri & myſtici vel, ſi mavultis, Theoſophi pij annuntiaverunt, quòd Lex tam externa ſeu Moyſaica, quam interna ſive illa Ieſu Chriſti eſſent ædificatæ, quæ quidem ad aures Ariſtotelis & ipſius pediſſequarum Ethnicorum nunquam pervenerunt, utcunque videantur ſua ſapientia periti. Nam ſi legum iſtarum myſteria intellexiſſent, tunc procul dubio ſuper Lapidem iſtum angularem debito & non incongruo more ſubjectum philoſophiæ ſuæ erexiſſent, & per conſequens idoneos ſuæ ſapientiæ fructus collegiſſent: Et quamvis à magiſtro ſuo diviniori eſſent inſtructi, tamen ex ipſorum ſcriptis apparet, ipſos in centrali rerum veritate fuiſſe rudes, ignaros atque incultos. Quare mera erat in Ariſtotele ſtultitia, qui pro philoſophorum facilé principe à mundanis habebatur & magnificabatur. Privationem efficere, ſeu potius effingere, ubi nullum erat alicujus præcedentis poſitionis ſeu informationis veſtigium, idque præſertim, cum eſſet chaos, antequam ulla res erat explicité producta. Sed non eſt mirum, cum ipſe opinatus ſit, mundum omneſque in eo ſpecies fuiſſe ab æterno, hoc eſt, ſine principio & fine: Quod quidem ſi ita eſſet, non niſi veritatem protuliſſet, dicendo, quòd tenebroſa abyſſus ſeu chaos reſpectu ſuæ exiſtentiæ ſine forma, eſſet privatio alicujus actus, aut actualis præexiſtentis materiæ, ſed quod hoc ſit falſum, concentus, ſacrarum literarum confirmat, quatenus in
Sap.11.18. ijs legimus, quòd Deus creaverit mundum
2. Pet.3.5. à materia ſine forma ſive informi. Et quòd cœlum & terra eſſet prius de aqua & per aquam conſiſtens Dei verbo. Et quod uterus primarius, ex quo aquæ erant extractæ
Gen.1. (quæ erant maſſa illa materialis, ex qua res omnes ſunt conflatæ eſſet informis abyſſus, ſive Chaos ſine forma: & quòd per conſequens initium ſuæ informationis haberet à Patre lucis Eſſentialiſſimæ omnia vivificantis & informantis.

Sed ut vobis furtum horum philoſophorum egregium poſſimus directius & magis ſpecialiter indicare, ſciatis, velim, illud principium, quod Moyſes vocat tenebras ſeu tenebroſam abyſſum ſive Principium potentiale, quatenus nondum in actum reducebatur, Ariſtoteles vocat materiam ſuam primam, quam dicit eſſe aliquid ſolummodò in potentia, quoniam nondum in formatur: Atque iterum videtur illud vocare privationem, ſed inconſulté ſatis, quatenus nulla præcedebat materiæ primæ poſitio ſive informatio. Ex altera parte Plato videtur hoc principium vocare ſuam hylen ſeu hylam, quæ pro nihilo habetur: quatenus eſt inviſibile & informe quid: atque etiam alibi comparat id corpori obſcuro reſpectu ſuæ animæ & ſpiritus. Mercurius Pimand.1. Triſmegiſtus illud umbram vocat horrendam, quæ nihil erat, nec appareret, priuſquam lux divina è tenebris effulſit. Pythagoras facit illum ſuam Vnitatem Symbolicam: Nam in hoc ſtatu potentia divina ad nihil reſpicit, præterquam ad ſe ipſam: Hippocrates ipſum vocat Chaos informe: Ad ſecundum principium, quod ſpectat, eſt illud paſſivum unicum initium, ex quo materialis omnium rerum exiſtentia ſuum ortum habuit, quod Moyſes nomine aquarum inſignivit: At Ariſtoteles mutando & abſcondendo rem, materiam ſecundam nuncupat, quoniam ex primæ materiæ viſceribus orta eſt. Plato autem illud vocat principium, Spiritum: ut & Hermes ſeu Mercurius Trismegiſtus naturam humidam: Et Hippocrates cum Anaximme vaſtum & immerſum hujusmundi aërem: Pythagoras Symbolicé illud per numerum Binarium ſeu dualitatis indigitat, utpote, qui eſt indicium imperfectionis: Nam videtur indicare imperfectam materiæ per ſe & in ſe conditionem, nimirum ſi ab actu divino non informetur, & ob iſtam rationem numerus Ternarius ab omnibus ſapientibus tam philoſophis quam Theoſophis & Cabaliſtis pro radice, omnium numerorum perfectorum habetur: Denique illud vivificans & omnia animans principium, quòd Moyſes vocat Lucem, quæ eſt purus actus immediate à Ruah-Elohim emanans & ab ipſo minimé diviſus, Ariſtoteles ſine alia agnitione facit ſuum principium formale: Plato illud vocat Actum ſeu Animam mundi: & Pythagoras Symbolicé ſeu Hieroglyphicé per numerum ternarium: Hippocrates id pro immortali calido accipit, quòd cum omnia in principio à litigio eſſent perturbata, in ſuprema regionem evolavit, quam veteres æthera dixerunt. Nonne eſt ergo illud inſignis quædam rapinæ literariæ ſpecies inter electos ex

ctos ex philosophis Ethnicis illa falsò sibi mutatis nominibus ascribere, quæ erant prophetæ sancto Moysi à spiritu & quasi per digitum Dei descripta atque revelata; idque præcipué, non modo ut se in oculis gentilium sed etiam Christianorum rederent magnos & eminentes? Et tamen non possum quodammodo non excusare Platonem, & Hermetem cum hi ambo videntur, idque expresse cum Magistro suo Moyse in eo convenire: Videlicet, quòd materia, ex qua cœli & terra essent creati, esset natura humida, seu spiritus universalis madidus, & quod interna illa forma seu actus, qui illum in varieformem dispositit figuram & effigiem, esset verbum divinum, quemadmodum in operibus tam Platonis, quàm Hermetis Trismegisti sat liquidò declaratur. Verùm inter reliquos nimis alté & super imaginationis & inventionis suæ pennas est sublimatus Aristoteles. Quippe qui mundanæ suæ sapiētiæ seu philosophiæ super formam principiorum Moysaicorum merè typicam seu symbolicam & non realem posuit: Hinc inde cogitando, ut hac ratione sibi nomen & famam exquisitè docti & absoluté sapientis inter mundanos acquireret: Tametsi in conclusione longé aliter appareat in oculis Dei & electorum; imò verò omnium piorum qui sibi constant, quippe qui actus & essentiales particulares actiones solummodò que ad Deum pertinēt ascribit creaturis: Imo verò pertinaciâ & confidentia ductus, nescio qua, affirmare haud erubescit, quòd res naturales essentialiter sine immediato Dei actu per se agant: Cùm bonis Christianis liquet & ubique in sacra scriptura confirmatur, quod Deus operetur omnia in omnibus, idque immediaté (uti nobis videtur Apostolus cùm integra sacri Biblij harmonia intimare.) Atque hæc est ratio quòd mundus non assignat Deo soli rerū omniū creatori (uti par est) cujuslibet in isto mundo actionis gloriam, sed potius naturæ creatæ, nimirū aut Angelis, aut stellis, aut Elementis, aut Meteoris, aut creaturis compositis: Quæ omnes à spiritu seu verbo Dei sunt factæ & sustentatæ atque in suo esse præservatæ. Hinc inde ergo multiplicis Idololatriæ origo, videlicet venerationis solis, Lunæ & stellarum & sacrificiorum atque oblationum Idolis, dijsque falsis & dæmonibus deludentibus. Hinc impia Isidis & Osyridis veneratio, falsaque Saturni, Iovis, Martis, veneris & Mercurij adoratio. Hinc immolationes & holo causta profana ad cœlum, vestam, Cererem, Proserpinam. Vulcanum, Plutonem & Neptunum, & permulti alij in mundo errores & abusus absurdi, quibus viri ignari à vera omnipotentis Dei & Spiritus ejusdem cognitione divertuntur: Vti infra ostendetur clarius, & tamen Apostolus nullos ex istis in mundo aut actionum effectus agnoscere videtur: Vnde ait: Dij sunt, qui dicuntur, sive in cœlo, sive in terra: Nobis tamen unus Deus Pater, à quo omnia, & nos in illo, & unus Dominus, Christus Iesus, per quem omnia & nos per ipsum &c: Quibus asseverare videtur, quòd neque Angeli, neque dæmones sive intelligentiæ, neque stellæ neque creaturæ reliquæ, quibus, quasi Dijs, delusione Diaboli & seductione hominū ignari mundani oblationes offerunt, in oculis Christianorum possunt per se aliquid agere, sed ait, omnia & consequenter actiones creaturarum istarum sunt à Deo & immediatè in actum reducuntur per Iesum Christum Dominum nostrum ubique immediaté operantem, quippe qui est centrum cujuslibet rei, cujus circumferentia est nullibi; vel, ut alij habent, est centrum & circumferentia, vel, ut Apostolus, omnia in omnibus. Hic est verus lapis ille Angularis, qui sustentat fabricam cujuslibet creaturæ quam fecit, sine quo lapide fundamentali omnia in nihilum redigentur. Est ergo actus omnium à Deo & illius exsecutio fit per verbum seu spiritum divinum Iesum Christum: & illum actum edere solet ille Spiritus per infinita mundi organa, quæ creavit. Finaliter Deus agit per suum verbum in creatura quasi mediante organo, quicquid vult, ubi & quando ei placuerit. Sed ad propositum: Nam de hoc alibi latius. Hæc ipsa doctrina spuria inventione hominis subtilis parta, est in causa, quòd mundus in verbi divini cognitione erraverit, quatenus operationes & proprietates Divini Spiritus in creaturis ratione suæ ignorantiæ non perceperit: Imo quidē nonnulli ex philosophis Christianis ratione hujus debitam in creaturæ tam visibilis quam invisibilis arcanis, & divinæ Spiritus actionibus neglexerunt inquisitionem: Imò verò tantâ obstinaciâ & tam seriò, dico, Christiani, Philosophiæ Aristotelicæ pro hodierno die sunt addicti, ut oculos suos nescio quo furore instigati à vera Meteororum scientia, quæ veræ sapientiæ sunt fontes, in scripturis sacris publicata, libenter avertunt, ad incertam & vix probabilem doctrinam Peripateticam se convertant. Atque hæc est ratio, quòd ipsi non agnoscent aut saltem minimé admittent ullam veram Philosophiam meteorologicam posse per Spiritus Sancti documenta in pagina Sancta recordata doceri, sed ea solummodò, quæ ad salutem animæ humanæ exinde spectant posse hauriri credunt: cum nihilominus sit evidens, quòd sint paginæ integræ, tam in libris Moysis, Iobi, Psalmorum, Prophetarum, quàm testamenti novi, quæ inprimis Christianos ad veræ Meteorologiæ mysteria enucleanda & ad immediatos in ipsis actores cognoscendos, quo ipsis honorem & reverentiam summam præbeamus, via regia & sine ullo dolo aut fuco invitant,

pimand. I. & 3

1. Cor. 8. 3.

ut hac ratione opera mirabilia creatoris tam in cœlis, quàm in terra admiremur, quæ ideò à mundi origine ad hunc usque diem & Præcipuè in mundo isto sublunari mirabiliter mediante suo verbo producit, ut ex ijs stupendam spiritus sui æterni in creaturis potestatem hominibus declaret: Verùm de istis libro hujus quinto copiosius atque luculentius.

CAPVT. II.

Quæ fuerint Principia Moysaica, hoc est omnium rerum primordia: Quomodò ex nihilo essent extracta & producta. Deinde quid per hoc vocabulum NIHIL intelligatur: Ac denique Principium potentiale, quod est tenebrosa abyssus seu Chaos informe, satis efficaciter hoc in loco describitur.

PRincipia Moysaica sunt plana atque evidentia ijs, qui sapienter verba excellentissimi Philosophi Moysis in primo cap. gen. expressa contemplantur: Nam priusquam mentio ulla de spagyrica illa separatione, quæ virtute verbi Dei seu Spiritus, illius divini Elohim in sex dierum creationis opere erat facta, dictum est, quòd tenebræ essent super faciem abyssi, & quòd terra esset inanis & vacua. Quibus liquet, quod cœlum & terra nondum essent in actum seu formam essentialem redacta, sed manerent unum quid informe, hoc est, rudis, unica indigestaque moles: Atque ita omnia complicitè erant in unica tenebrosa abyssò comprehensa, quæ quidem erat adhuc explicite nihil. Exempli gratia: videmus, quòd magna arbor, cum radice sua, corpore, ramis, folijs & fructu complicitè in nucleo sive semine contineatur: cùm verò explicite nihil tale, præterquàm in sola imaginatione comperiamus. D. Augustinus comparat istud Moysaicum NIHIL seu quid informe cum sermone aliquo potentiali, qui dum est in sola mente locutoris, videtur ei, qui est auditor, nihil, hoc est, aliquid in sola potentia existit, sed nihil actu. At quando sermo ille viva voce editur, tunc illud, quod erat prius complicitè in animo loquentis, jam explicitè ab auditore apprehenditur. Plato illud in hoc Nullitatis statu visioni in somnio comparat, quæ quando homo exsuscitatur à somno, nihil apparet præter imaginationem. Sed, quoniam iste sermo, Deus creavit omnia ex Nihilo, mentes multorum etiam doctissimorum virorum perturbavit, atque in ipsius intellectu, seu sensu gemino ipsos haud parum hæsitare fecit. Mihi propositum est de ipso Nihilo pauca proferre, & quæ nam sit animi mei de eo sententia, hoc in loco breviter explicare.

Inquit Peripateticorum Princeps: Ex Nihilo nihil fit. Docta quidem sententia, axiomaque infallibile in persona tanta eruditione indata, si vocabuli Nihili sensus uno eodemque modo esset semper intelligendus atque interpretandus: Verùm ego bonis & securis statuminatus columnis assero, quòd, si aliqui aut præsumptione aliqua aut ignorantiâ nonnullâ ducti in eam incidunt opinionem, quod in his verbis: Deus creavit omnia ex Nihilo: vocabulum NIHILVM debeat sumi pro nihilo negativo seu absoluto nihilo illo, quod non cadit sub intellectum, seu capacitatem humanæ rationis, ipsos certiores jam facio, quòd hujusmodi Nihili species nunquam pro prima creationis materia esset intellecta aut à sapientia ullo tempore accepta: Nam apparens est tam infallibi sacri Biblij sensu, quàm syncero in Naturæ lumine, quòd & materia omnium in ipso Deo & cum Deo unum & idem ab æterno manerent: atque hoc ex divino fonte sic probabo: Ait Moyses: in Principio Deus creavit cœlum & terram: In quo sermone Principium non est pro negativo Nihilo sumendum: nam scripturæ nos docent verbis satis clucidatis, quòd ex ipso & per ipsum & in ipso sunt omnia: Quare si omnia procedant à Deo Creatore, qui omnium Entitatum est summa, sequitur, quòd materia cœli & terræ atque etiam Lux omnia in formans non procedant à Negativo Nihilo. Iterum Sapiens: Omnipotens Domine, manus tua creavit orbem terrarum, vel (ut Hieronymus habet) mundum ex materia informi: ut Tremellius interpretatur, vel, ut Hieronimus exponit, ex materia invisa & sine forma. Quare sequitur, quòd non esset absolutum aliquod nihil, ex quo mundus erat creatus. Etiam scripturæ alibi: Fide intelligimus, aptata esse secula verbo Dei, ut ex visibilibus invisibilia fierent, & consequenter non ex absolutè Nihilo. Præterea si Deus non produxisset & creasset omnia essentialiter ex se ipso, sed ex mero & vano nihilo Negativo, tunc creatio, non pertineret ad Deum, neque ad eum jure referri potest: hoc est, si omnia non fuissent essentialiter in eo, & initiũ suũ ab ipso accepissent, tunc revera sequeretur, quòd omnia non essent ab eo facta, sed suam Essentiam

Gen. 1.

Rom. 11. 36.

Sap. 11. 18.

Hebr. 11. 3.

sentiam reciperent à Nihilo, neque consisterent in eo, sed in Nihilo: Verùm apparens est, quòd res se habeat longé aliter: Nam creatio est opus Dei, & per consequēs non opus & subjectū Nihili absoluti: Ipse est Entitas Entitatū vita omnium viventiū, Principium Principiorum, & aquarum omnium fons & scaturigo: Ex quibus cœlum & terræ erant creata. Denique nihil venit unquam in existentiam, aut essentiam, habuit in alio, sed ab ipso solo, & per ipsum solum, nec possibile est, ut aliquid existat, sed in ipso solo. Quare concludendum est, quòd Deus genuerit, produxerit, fecerit & creaverit nihil, quod non erat æternum in ipso: Quod etiam. Apostolus sic videtur confirmare. In Christo sunt omnia condita sive visibilia sive invisibilia, ipse ante omnes & omnia in ipso constant, Angeli, Throni, Potestates, Dominationes per & in eo sunt creata, qui est Principium: Sed quoniam quæstio ista in Cap. 1. & 2. Libri primi sectionis hujus secundæ planius & clarius discutitur, plura de eo isto in loco non dicam, sed directé ad propositum revertar.

Coloss.1.15.

Vt ergo tenebræ Moysaicæ restè dictitantur potentia divina, ita quidem lux illa, quæ ab Ruah-Elohim dum ferebatur, super aquas emicabat, nuncupata est actus divinus, quas duas Cabalistæ per Aleph tenebrosū & lucidū explicant, uti in locis antea citatis Libri primi sectionis hujus tractatus secundæ Latius declarabitur: Atque hæc de causa scripturæ alibi affirmant, quòd Deus sit omnia in omnibus.

1.Cor.15.21. Coloss,3.18.

Dico igitur, quòd idem, quòd intelligitur per tenebrosam abyssum & terram inanem & vacuam Moysis, à Iobo nuncupatur umbra lethalis, ut pote quæ est formâ & vitâ destituta. In quo etiam sensu alibi dicit: A quilonem extendit Deus super inane & vacuum & suspendit terram super Nihilum. Quibus videre licet, quòd non esset Negativum Nihilum, sed materia quædam in potentia ad actum, quæ erat ad huc omni formâ destituta. At forma dat nomen & esse. Vnde sequitur, quòd cùm prima ista materia esset in formis, haud immeritò Nihilum est dictata, quatenus neque nomine, neque existentiâ aliquâ essentiali erat prædita: Erat enim solummodò aliquid in potentia, & per consequens in actu nihil. Atque ob istam rationem dicitur à Trismegisto Potentia divina. Atque iterum dicit, quòd in instanti seu momento apparitionis luminis appareret in forma Vmbræ horrendæ: Preterea ut Moyses dixit. Tenebræ fuerunt super faciem Abyssi. Ita Hermes alibi: Erat umbra infinita in abysso, aqua insuper & spiritus tenuis intellectualis per divinam potentiam Chao inerant &c: Quo suo sermone videtur cum Moyse exactè convenire. Iam verò, quòd aquæ atque Spiritus igneus complicitè in chaos seu tenebrosa abysso continerentur; apparet per præsentiam aquarum, super quas Ruah-Elohim seu Spiritus Domini ferebatur, uti infra declarabitur. Ita, ut per ista testimonia decerne re possimus, quid primum rerum omnium principium materiale sive potentialis existentia esset, nimirum Tenebrosa abyssus. Terra vacua & inanis Moysis. Nihilum, inane vacuum, & umbra lethalis Iobi. Materia invisa & informis Salomonis. Potentia divina ante omnia creata Esdræ, quæ erat fons & initium omnium. Vmbra horrenda & infinita in abysso & potentia divina Hermetis seu Mercurij Trismegisti. Aleph tenebrosum Cabalistarum, & ut verbo dicam, erat mysticus & complicitus ille numerus omnium, qui ab odone Abbate dicitur esse principale in animo conditoris condendorum exemplar. Ita, ut omnes res essent complicité in potentia divina, priusquam Monas æterna suam ad mundi creationem emisisset monadem seu spiritum omnia informantem: At activa Spiritus istius emissi virtute omnia ab occulta & complicita conditione in naturam & existentiam explicitam sunt redacta. Quod etiam Hermes arguit in istis: Cantabone laudes tuas in ijs, quæ in lucem è tenebris eruisti? An in ijs, quæ larent ad huc arcano sinu reconditi? Quia ejus hymni particula arguit, quòd tam ea, quæ invisibilia sunt & in obscuro Chao, sed complicitè comprehensa, quam ea, quæ sunt manifesta, existant unum & idem in oculis abstrusæ & incomprehensibilis unitatis, qui est Deus & Dominus tam eorem, quæ videntur in debili nostra capacitate, non existere & pro Nihilo haberi, quam illorum, quæ nobis per Spiritum ejus sunt revelata & sensibus nostris perspicua redduntur. Quare Propheta ait: Tenebræ sunt ei, sicut ipsa lux. Ac si dixisset: Omnia sunt coram Deo non nisi unum, qui semper est unum & idem, in quo omnia arcana quasi in Creatoris sinu sunt recondita: Vt Hermes in Textu antea citato ait: Quod etiam totum satis eleganter in loco sequenti describit: Principio, inquit, cuncta dependent, Principium ex uno solo & Principium movetur, ut rursum extet Principium, ipsum tamen unum præstat, nec recedit ab unitate. Plura non dicam hoc in loco de isto Principio. Quoniā in libro & capitibus secundę sectionis antea citatis, pleniorem de eo feci mentionem: Descendam ergo jam ad Principium Moysaicum secundum, materiam scilicet secundam, quæ est aqua ab utero litigioso ipsius Chaos seu Tenebrosæ Abyssi parta & revelata: Quæ juxta Doctrinam Prophetæ Moysis & Apostoli Petri, erat communis illa materia, sive substantia, ex qua cœlum & terra & per consequens totus mundus & omnia, quæ sunt in eo suam habuissent existentiam.

Gen.1. Iob.12.22. Sap.11.18.

4.Esdras 6.

Pim.2. Reuclin.lib.3.

Odo.abb.lib. de num.Ternario.

Pim.5.

Psal.138.11.

Pimand.3.

Pimand.1.

Pimand.3.

CAPVT. III.

De fructu seu principio materiali, quod præsentiâ spiritus divini è tenebrosæ abyssi sinu seu utero Chaos erat prius in mundi creationem editum, & quomodo substantialis mundi machina ex ipso sit fabricata.

OMnia ergo in principio complicitè in divina potentia comprehendebantur (uti est demonstratum) quæ respectu humanæ capacitatis erat informis, inanis & vacua, quatenus in una informi & invisibili aquarum massa continebatur, quæ ob istam rationem Elementorum Mater & semen omnium erat dictitata: Quemadmodum videmus quòd tota planta seu arbor in parvulo deformi semine seu nucleo includitur, & nullo modo per rationem seu sensum hominis apprehendi potest, priusquam explicitè è terræ superficie appareat. Ita etiam aqua primordialis erat invisibilis & sine forma & figura, ut pote tenebris deformibus obvelata: Nam tenebræ fuerunt super faciem abyssi, quæ dicebatur Materia prima, quæ nullum in se actum formalem à captu humano considerandum possidebat, & hanc ob causam in sola potētia extitisse dicebatur. Quidā ergo philosophus profundus, & in mysticis creationis operibus admodū versatus in hæc verba loquitur. Prima materia, ex qua aquæ egrediebantur, erat Nihil, ex quo extracta est materia aquarum, sed hoc non debet intelligi secundum intellectum seu sensum humanum, scilicet, quòd Deus creaverit aquas ex nihilo & tamen verba illa à scripturis sunt rectè prolata; quoniam in principio Nihil erat visibile. Sed si sapientes voluerint mentes suas super captum vulgarem elevare, ut aquarum originem per speculationem debitam inveniant, tunc quidem negare voluissent, quòd ante aquarum creationem esset quædam materia in supremo mysterio sive potentia divina sive Tenebrosa & informi abysso, quæ erat Catholica seu universalis arca Dei Thesauraria, ex qua aquæ in creatione emanarunt. Atque hoc ex multis Biblij Hebræorum locis confirmatur: Nam Apostolus Paulus loco anté citato ait: Fide intelligimus apta est secula verbo Dei, ut ex invisibilibus visibilia fierent: Unde patet, quod res, quæ erant visibiles, fuerint originaliter ex rebus invisibilibus factæ. Ex quibus manifestum est, quod res quæ cadunt sub sensum humanum, non apparerent primordialiter sensui & per consequens æstimabantur in judicio nostro, at si non essent. Iterum ille alibi: Deus elegit ea, quæ non sunt, ut ea, quæ sunt destrueret. Hinc etiam ait egregius ille cabalista Reuchlinus ex consensu aliorum: Scribitur, inquit, in libro Batur: Nihil est principium, nisi sapientia, & hæc est infinitudo ipsa trium summarum Cabalisticæ arboris numerationum, quas vos tres in divinis Personas appellare consueviſtis, quæ est absolutissima Essentia, quæ cum sit in abysso tenebrarum retracta & immanens otiosaquè, vel (ut ajunt) ad nihil respiciens אַיִן id est, Nihil, sive non. Ens ac non finis, quia nos tam tenui erga res divinas ingenij paupertate multati, de ijs, quæ non apparent, haud secus ac de ijs, quæ non sunt, judicamus. At ubi se ista ostenderit, ut sit aliquid & revera subsistat, tum Aleph Tenebrosum in Aleph Lucidum convertitur: Scriptum enim est, sicut Tenebræ ejus, ita lux ejus. Hæc ille. Patet ergo, quòd tametsi tenebræ & invisibilitas appareant sensibus nostris esse Nihil, in respectu eorum, quæ mediante luce videmus: Tamen sunt omnia realia & Essentialia coram Deo. Quare illud NIHIL, seu vacuum deforme respectu imbecillitatis & capacitatis nostræ, ex quo Aquæ (quæ sunt materiale omnium rerum principium, fuerunt imaginaliter extractæ) videtur materialis existentia ei, in cujus potentia divina reservabatur, quoniam nihil potest esse in Deo, quod non est essentialis realitas, aut aliquid existens, ut ex ipso per ipsum & in ipso sunt omnia, uti à Textu sacro docemur. Quare tam matrix rerum tenebrosa, seu aquarum uterus deformis, quàm infans aqueus, seu Natura humida, quæ paulatim à Tenebrosa Abysso seu chao deformi virtute verbi seu Spiritus ELOHIM scaturiebat, fuerunt realiter in Deo, antequàm comparuerint, hoc est, in Potentia omnipotentis permanserunt & in voluntatis ejus dispositione haùd aliter existerent, quam omnium rerum condendarum numerus fuit primum in animo Conditoris. Quòd autem mundus ex materia hujusmodi sine forma esset primitus creata, testantur hæc sapientis verba anteà relata: Omnipotens, manus tua creavit mundum ex materia informi (juxta Tremellij translationem: vel (ut Hieronymus interpretatur) ex materia invisa. Quare sat liquido constat, quòd illud Vocabulum Nihilum capiebatur pro materia informi, & per consequens erat sine nomine & essentia, cum forma, dare solcat nomen & esse: Vel pro re

Reuclin. lib. De Art. Caj

Rom. II. 2

Hebr. II. 3.

Sap. II. 18

1. Cor. 28.

pro re invisibili, quæ non videtur esse ideò, quoniam non apparet sensui. Iam verò, quòd generalis ista materia essent Aquæ, quas præsentia spiritus Elohim modo generali informavit & in actum redegit, ipsis nomen Shamaim imponendo, & quòd essent primordiale principium materiale, ex qua mundi existentia, haùd aliter, quam ex rudi & deformi luti massa domus effingitur, Textus Magistri mei Moysis videtur liquidò confirmare. Primùm, quòd facit mentionem de aquis super quas Spiritus Domini ferebatur, idque immediatè post nominationem abyssi Tenebrosæ, & Terræ inanis & vacuæ; hocque præcipuè priusquam ulla creatura erat explicitè formata, & antequam Spagyrica primi Diei separatio esset facta. Quo arguitur perspicuè, quòd aquæ essent Principium materiale omnium rerum, cùm à Spiritu Elohim essent informatæ seu inactuatæ: Nam nomine proprio Aquarum erant insignitæ ante primi Diei opus. Secundò, quòd esset idem spiritus Elohim, qui partem quasi obstetricis agens, uterum de formem istum suum fœtum dare sive edere fecit, ipsique formam, actum, vitamque impertivit. Iterum ex eodem Moysis Capite addiscimus, quòd aquæ fuerint omnium illarum separationum subjectum, quæ in tempore creationis à spagyrica seu ignea ejusdem Spiritus seu Verbi Dei virtute effecta est. Tertiò, quòd cœli, qui in regione mundi superiore erant dispositi ex puriori, limpidiori & digniori Aquarum portione & regio Elementaris inferior ex grossiori, spissiori, obscuriori, & viliori earum substantia esset conflata: & quòd esset quædam eorum consistentia intermedia Firmamenti nomine insignita, de utroque extremo participans, cujus officium erat, dividere portionem subtiliorem, sive superiorem à grossiori sive inferiori. Tunc infima Aquarum portio (quàm ego haùd injuriâ Elementum Catholicum voco) in alias distinguitur sphæras seu orbes, quos mundi literati vocant nomine elementorum, cum rei veritate nihil sint aliud, quàm quadriformis elementi Catholici seu aquarum inferiorum à varie-formi Spiritus Divini afflatu facta alteratio, uti infra latius. Videmus ergo ex præcedentibus, quomodò Spiritus Elohim universam mundi fabricam ex natura ista humida seu Aquis fabricaverit. Quod etiam luculenter ex istis Apostoli probatur: cœli, inquit, erant prius & terra de aqua & per aquam consistens Verbo Dei &c: Sed mundus componitur solummodo ex cœlo & ex terra; quare sequitur, quòd totus mundus fiat respectu ejus materiæ de aqua & per aquam, at quoad ejus formam sive essentiam hanc à Verbo Dei seu Spiritu Elohim habet, qui (ut ait Augustinus) ignem aquis virtutem seu vigorem impertivit. Jam verò cùm stellæ æstimantur esse nihil, præter densiores portiones suorum orbium, atque etiam quælibet regni Elementaris creatura ex materia elementari componitur, debet necessariò sequi, quòd tam stellæ firmamenti, quam creaturæ inferioris mundi, sive sint Meteorologicæ, sive mixtionis magis perfectæ, ut sunt Animalia, Vegetabilia & Mineralia suam habeant existentiam ab aquis, quæ, ut in lucem, mediante verbo Dei, ederentur, ita etiam æternum consistunt, & in essentia atque existentia sua sustinentur & præservantur, a verbo seu Spiritu æterno Elohim, quemadmodum perspicuè vobis in capite sequenti explicabitur. 2. Pet. 3. 5.

Venio jam ad principij illius Catholici descriptionem, cujus est dare vitam & esse non modò cuilibet aquarum portioni in genere, sed etiam omni creaturæ ex ipsis conflatæ.

CAPVT. IV.

Quomodo Catholicum Principium formale, per quod aquæ generales & Consequenter cœlum & regio Elementaris atque etiam res omnes particulares essent factæ, informatæ in actum specificum seu essentiam formalem redactæ, atque in sua specie à Deo immediate ad hunc usque diem præservatæ, ortum seu initium suum ducerent.

VObis in præcedentibus recitavi, quod doctissimorum Rabinorũ seu doctorum Cabalisticorum opinio esset, ipsam sapientiam æternam, quæ est radicalis omniũ origo, quando maneret quasi otiosa & sine actione evidenti (ac si esset in tenebrosa abyssо retracta) respectu exilis nostræ capacitatis pro Ain hoc est Nihilo seu non Ente & non fine æstimaretur, & tamen istud Ain nobis more mirabili tam posteà revelabatur, quatenus emanatio, splendor ve ab ea emissus erat omnia in omnibus &

tamen extra omnia : Est enim virtus illa, qua mediante universæ aquæ, quæ sunt rerũ omnium existentia é suo fonte seu puteo Tenebroso hauriebantur, rudi nimirum chaos seu abysso, vel, ut antea est demonstratum, Catholica radiorum spiritualium, seu igneæ & formalis virtutis emissio, quæ essentiam cuilibet rei impertit: Vnde liquet, quòd tam externum sive passivum omnium hujus mundi creaturarum, quàm internum earum sive activum ab æterno hoc, quo ad nos, NIHILO ortum seu initium ducunt, quòd nihilo minus respectu sui est omnia (ut dictum est) in omnibus, ut pote in cujus oculis Tenebræ & Lux, visibilitas & invisibilitas, atque adeò potentiale nostrum Nihil seu Prima materia & aliquid actuale, sunt unum & idem in essentia sine ulla distinctione aut differentia. Propter hanc causam æterna hæc infinitudo, hoc omne in Omni & supra omnia rectè describitur, primum ab Apostolo ac tum à Philosopho Diviniore Hermete hoc modo : Vnus Deus Pater omnium (ait D.Paulus) qui super omnes & per omnia & in omnibus. Et Hermes : Deus erat Circulus intellectualis, cujus centrum est omne illud, quod est ; circumferentia verò extra omnia. Atque alibi eum vocat locum, in quo mundus continetur : inferendo per hoc illud, quod scripturæ pluribus in locis annunciaverunt, nimirum; quòd impleat omnia & tamen extra omnia in se, in illa eadem Vnitatis natura manet, in qua erat ante mundi creationem, quando pro Nihilo secundum Captum nostrum habebatur. Et alibi : Quòd omnia in eo sint condita, per eum & in eo creata sunt omnia, omnia in ipso constant, & ipse est in omnibus primatum tenens : Et alibi: Ex ipso, per ipsum & in ipso sunt omnia: Ac ita in multis alijs textus sacri locis. Et quamvis ad mundi constitutionem Divinitas ista æterna è Tenebris effulserit & revelatione abditæ suæ sapientiæ sive Virtutis Essentialis, omnia tam visibilia, quàm invisibilia formaliter existere fecerit, atque ita Tenebrosum Cabalistarum Aleph, seu unitas in Aleph lucidum erat conversum: Tamen nihilominus ille idem manet spiritus iste in Se ipso non recedens à limitibus suæ uniformitatis. Sed hoc aperté in mentis humanæ dispositione, quæ est essentialis spiritus divini radius, declaratur : Nam ipsa est perpetuo stabilis & sine alteratione in se: & tametsi ejus proprietas sit, aliquando negativa, seu privativa videlicet, quando petenti non vult dare, in quo statu videtur ejus actus nihil in effectu, sive omittere radios suos positivos; & quandoque affirmativa seu positiva, nimirum cùm petenti suam concedit petitionem, sive radios suæ bonitatis emittere sit dignata. Simili planè modò, sive Divina infinitas é tenebris eluceścat, quasi à Centro versus circumferentiam, sive radios suos centraliter & in se contrahat, tamen est ipsa semper una & eadem in se sine ulla ejusdem Identitatis suæ alteratione. Sed venio ad propositum : Apostolus loquendo de æterno isto Christo, dicit, Christus est Dei virtus & Sapientia Dei &c. Et jam vobis dicam, sicut antea per os sapiẽtis annuntiavi, quid sit ista sapientia divina : Sapientia, ait Salomon, est spiritus intelligentiæ sanctus, qui est vapor virtutis seu potentiæ Dei & fluxus seu emanatio quædam claritatis omnipotentis Dei syncera, candor seu splendor lucis æternæ & speculum sive macula Dei Majestatis & imago bonitatis illius &c. Quibus patet, quòd Apostolus & sapiens ille in eodem conveniunt : Atque quòd ex consensu utriusque liquet, quòd spiritualis Christus, Sapientia, Virtus, Claritas, Candor, splendor & verbum omnipotentis. Iam verò quòd spiritus iste esset principale in creatione agens, ex hisce patet : In eo, dicit D.Paulus, omnia sunt creata. Atque iterum : Ex ipso & per ipsum sunt omnia : Et D.Iohannes : Verbo omnia sunt facta & sine eo nihil, in eo erat vita. Et Salomon clarius : Sapientiam possidebat Iehova principio vitæ suæ, ante opera sua, ante ullum tempus, ante principium, ante primordium terræ, cum nulli essent abysi, edita erat : cum nulli essent fontes, antequã montes fundati essent : Cũ aptaret cœlos, ibi erat, cum statueret ambitum in superficie abysi, cùm fortificaret superiores nubes superné, quando ponebat mari statutum : cum statueret fundamenta terræ, erat apud eum veluti alumnus, cuncta componens, & erat lætificans & ludens coram eo. Quo orationis filo narrat Apostolus, quòd Christus seu verbum seu sapientia, quam vaporem virtutis seu emanationem potentis definivit Salomon : Et Apostolus virtutem & sapientiam Dei, esset ille, qui erat ante omne ævum aut ullum creationis vestigium in occultis cum Deo: Deinde narrat, quòd esset principale in mundi creatione agens. Quo bene considerato, sic pergo. Ex prædictis ergo redditur manifestum, quòd mutatione formæ & proprietatis principij primi, quod in tenebris erat quasi verbum in principio ab Aleph Tenebroso in Aleph lucidum (quod tunc dictum est fluxus seu emanatio quædam claritatis Omnipotentis)hoc est emissione istius spiritus æterni, ignis seu Lucis, Aquæ, quæ in visceribus Tenebrosæ Abysi continebantur, fuerunt revelatæ, & ex statu nihili in conditionem Realis Entitatis redactæ : ac tum postea admirabili ipsius activitate motioneque & penetratione infatigabili (est enim hic Spiritus omni re mobilior, & attingere ubique potest propter suam subtilitatem & munditiem) Primùm tenebras à luce distinguebat & separabat : Deinde Aquas superiores splendidas à grossis & obscuris : Tum posteà cœlos disposuit in sphæras seu orbes, ac tum divisit

Eph.4 6. Asclep.7.

Eccles.1.16. Rom.12.22.

1.Cor.1.24.

Sap.7.25.

Coloss.1. Rom.11. Ioh.1. Prov. 9. a 22.

Sap.7.24.

divisit aquas grossas sive Elementum Catholicum sublunare in proprias regiones, quas veteres Elementa nuncupârunt: uti ex verbis primi Capitis geneseos atque etiam ex primo Pimandri Hermetici sermone colligimus. Sed ut de istis magis adhuc particulariter discurrere queamus, quo glorioſos actus & immortalia opera, quæ spiritus iste divinus primùm in creatione mundi effecit, & adhuc semper per generationem in specierum præservatione & assidua Meteororum novorum creatione & sustentatione operatur, observetis velim seriò locos istos ex sacra pagina collectos: Sapientiâ suâ Deus mundum ex materia informi creavit: revelavit fundamenta & obscondita, novit in tenebris constituta & lux est cum eo. Revelavit fundamenta é tenebris & educit in lucem umbram horrendam Aquilonem extendit super inane & vacuum & suspendit terram super nihilum: Nam sapientiâ ab ore ejus prodeunte rotunditatem cœlorum circumeunte solâ & in profundo Abyssi ambulante omnia fecit Deus. Aderat ipsa quando præparavit cœlum, quando certa lege & gyro velavit abyssos, ipsa aderat cuncta componens. Ipsa fundavit terram, stabilivit cœlos, erupit Abyssos, nubes rore concrescere facit: Aptat pondus aëri, appendit aquas in mensura, facit pluviæ statuta & viam fulgetro tonitruum: Cœlos creabat & extendebat eos, firmabat terram, & quæ germinant ex ea. Sapientiâ creavit terram, & stabilivit cœlos prudentiâ: facit, ut oriatur lumen in cœlis indeficiens & sicut nebula tegit omnem terram: facit anni cursus & constituit dispositiones stellarum, fecit Arcturum & Orionem: Convertit mane in Tenebras, diem in noctem mutat, vocat aquas maris & effundit eas super faciem terræ, præparavit terram in æterno tempore & replenit eam bipedibus & quadrupedibus, ipsa effudit Deus super omnia opera ejus & super omnem carnem secundum datum: Per ipsam denique Deus operatur omnia in omnibus, mediante ipsa vivificat & animat omnia. Denique in ipsa omnia fecit sive creavit: repleta est terra possessione ejus &c: In principio fundavit terram & opera manuum ipsius sunt cœli. Quibus locis evidens est, quòd hic spiritus divinitus ad mundum creandum revelatus; hæc sapientia æterna, quæ est emanatio claritatis Omnipotentis Dei, hoc verbum mysticum & mirificum, sit radicale illud principium activum omnia creans, omnia informans, omnia componens & omnia in hoc mundo sustentans & præservans. Vnde scriptum est. Deo serviat omnis creatura, quia dixisti & factæ sunt, misisti Spiritum & creatæ sunt &c: Quasi dixisset: Emanatione tua sanctâ aquæ & tenebrosa abysso sunt revelatæ & informatæ, & omnes creaturæ ex ijs compactæ vivificantur, animantur, & secundum species suas ex Nihilo creantur: Vnde testatur pagina sacra alibi, quod ipse det vitam, inspirationem & omnia: ideoque non per actum mediatum, ut Peripatetici volunt, sed immediatum, neque per operationem minus principalem & secundariam, sed principalem & primariam: Nam si Deus effuderit istum Spiritum super omnia ejus opera: si iste incorruptibilis spiritus sit in omni re: atque etiam si iste Spiritus sit magis agilis activus & mobilis omni alia re, quid, obsecro, impedire potest, quòd ipse non opererur immediatè & absolutè per se in omnibus? Quare distinctiones prædictæ, quæ ab humana inventione sunt partæ debent esse nullius respectu actionis divinæ momenti, & per consequens omnes causæ activæ seu efficientes subalternatæ debent à sapientibus relegari in exilium, cùm sit ipse Solus, qui operatur omnia in omnibus, & per consequens, animat, vivificat & agit ad præservationem omnium immediatè & per se sine ope alicujus suæ creaturæ: uti superius est demonstratum. Vnde Propheta: Ego Iehova faciens omnia solus & nullus mecum. Et alibi: Ego sapientiâ circuivi rotunditatem cœlorum sola &c: Est ergo Deus Pater, qui agit per filium seu sapientiam suam sine ullius creaturæ, sive sit Angelus, sive Dæmon, sive Sydera, sive venti, sive Meteora, sive creaturæ compositæ, adminiculo: juxta illud sæpius, sed non inutiliter à me allegatū: Licet multi sint, qui dicuntur Dij sive in cœlo, sive in terra, nobis tamen unus Deus Pater, à quo omnia & nos in illo, & unus Dominus Iesus Christus, per quem omnia & nos per ipsum. Sed non in omnibus est scientia &c: ac sidixisset, Non sunt creaturæ, quæ per se quicquam faciunt, sed est Deus, qui per spiritum suum æternum Iesum Christum mediantibus creaturis operatur immediatè in hoc mundo. Concludimus igitur, quòd spiritus iste à Deo emissus unicum sit essentiale & primarium atque etiam postremum in mundo agens: Est enim Alpha & Omega, principium activum, centralis animæ mundanæ actus, creaturarum omnium lapis Angularis, earum fabricas animans, sustentans & præservans: neque novi ego aliam in sacra mea philosophia ista naturam essentialem, præterquam solum Creatorem istum in creatura seu sacrosanctum mundanum opificem in operibus suis, ut cum Apostolo & Salomone loquar: Atque hoc modo habemus formale omnium rerum creaturarum principium rationi mundanæ, satis luculenter & graphice pro exili ingenij mei captu descriptum.

en.1. imand.1.

Act.17.25.

Eccl.1.10. Sap.12.1. Sap.7.24.

p.11.18. aniel.2.22. ob.12.22. ob.26.7. ccl.24.3 5. al.104.25. rov.8.27. rov.3.19.

ob.28.25. ai 42.5. rov.3.19. ccl.24.6. ap.7.19. aiuch.3.33. ccl.1.10. ap.8.5. Cor.12.6. .Tim.6.13. al.104.25. Coloss I. Iebr.1.1

Iudith.16.17.

Isi 44.24. Eccl.24.8.

1.Cor.8.3.

CAPVT. V.

De Pleno & vacuo, quid sit vera Plenitudo & vacuitas, & qua ratione Philosophi Ethnici in sua circa ea inquisitione erraverint.

IAm verò explicatis duorum principiorum constituentium & componentium naturis, quorum prius est existentia rerum fons; alterum Essentiæ formalis origo; necesse est, ut Pleni & vacui proprietates ordine proximo, idque juxta Philosophiam veram & Christianam intelligamus. Sed priusquam in istius rei explicationis medullam me immergam, opus est, ut Ethnicorum Philosophorum de hoc subjecto opiniones cum illis Theo-philosophis Christianis in primo loco conferam. Vt ergo videtis ex præcedentibus, quòd sit unum principium ad existentias materiales rerum spectans, quod Aquas diximus: & aliud, quod ad carum essentias formales attinet, ita quidem duas de Pleno & Vacuo inveniemus opiniones, quarum prior est Ethnicorum, utpote quorum est sententia, quòd omnis Plenitudo & Vacuitas debet esse in respectu materiæ seu substantiæ, qua repletur mundi cauitas: Vnde illud dicunt vacuum, quod non repletur aliqua materiali existentiâ: Quare ubi est nihil existentiæ aquarum, ibi vacuum esse concludunt: Hi ergo nec dolium, nec puteum volunt esse vacuum, tametsi sensibili corpore non sint repleta, quatenus ipso aëre, quem corpus esse agnoscunt, repleantur: Imò verò aërem dicunt ideò vacuum in mundo impedire & plenitudinem sempiternam omnia implere, quatenus ipsius subtile corpus penetret omnia, & ubique per mundum discurrens repleat suâ existentiâ omnia: quare utcunque ullus locus dicitur vacuus, est tamen undique rei veritate aëre plenus. Hisce ergo sic respondeo, quòd frustra sit disputatio de illis rebus, quæ nec sunt nec fuerunt, aut erunt unquam: Nam cùm aquæ essent principium illud materiale, à quo omnia habuerunt suam existentiam, utpote à quibus, per quas & in quibus cœlum & terra, ex quibus omnia constant,
2. Pet. 3. erant fabricata, ut testatur Apostolus, opus est credere, quòd cœli prius & terra deficient, ac denique tota aquarum creatarum moles & per consequens materiale rerum principium in nihilum redigetur, priusquam verum aliquod tale, quale Ethnici somniaverunt, in mundo reperietur. Quare dico, frivolam fieri quæstionem circa illud, quod nec fuit, nec erit unquam: At verò é regione scripturæ sacræ videntur aliud Plenum & Vacuum intendere, nimirum illa, quæ ad principium formale
Gen. 1. sive Essentiale pertinent: Nam ubi Spiritus seu Ruah-Elohim ante rerum primordium non appareret, & aquas tenebris obrutas, non informaret, ibi, uti dictum est, aderat Nihil, & terra erat inanis & vacua, atque ideo in eo respectu, erat Vacuum, nihil aliud, quàm absentia spiritus istius omnia animantis & vivificantis & suâ præsentiâ informantis: Vnde dicta est Tenebrosa Abyssus, potentia divina & consequenter vacua, quatenus omni actu orbata: Hinc Moyses: Terra erat inanis & vacua. Et Iohannes: Deus Aquilonem extendit super inane & vacuum & suspendit terram super Ioh. 26. 7. nihilum, hoc est, in Abysso vacua & inani, ut pote tenebris obruta: Deus sapientiâ suâ fecit cœlum & terram: Iuxta illud etiam Moysis: In principio creavit Deus cœlum & terram: ubi per principium, mysterium illud Abyssi infinitum intelligunt nonnulli ex doctioribus. Vnde etiam D. Iohannes: In principio erat verbum: Ioh. 1. Erat enim ex isto principio tenebroso, quod secundum captum humanum videbatur inane, vacuum & planè Nihil, licet Deo optimè notum, quòd Spiritus iste lucidus est ad mundi creationem egressus, ut in pluribus sacrarum literarum locis patet. Et Mercutius Trismegistus ait: Erat um- Pimand. 3. bra infinita in abysso, aqua insuper & spiritus intellectualis, per divinam potentiam in Chaos inerant &c. Liquet ergo, quod apparitione istius spiritus ex tenebroso Mysterio, tenebræ erant fugatæ, aquæ in Iob. 12. 22. lucem productæ & omnia Luce essentiali à spiritu isto emissa sunt creata, juxta illud Iobi: Revelat fundamenta é tenebris & educit in lucem umbram lethalem: ac si dixisset, à conditione vacui & nihili reduxit Aquas, quæ sunt materialia omnium rerum fundamenta, & in plenitudinem & realem existentiam convertit nihilum & vacuum virtute plenitudinis activæ & lucidæ, emissæ à spiritu, in quo habitat, teste Apostolo, omnis plenitudo divinitatis cor- Coloss. 2. 8. poraliter. Hinc dixit, idque haud insulsè Poëta: Iovis omnia plena. Et alibi: Iupiter est, quodcunque vides, quocunque moveris: Nonne etiã dicunt scripturæ, Deum omnia implere? Et iterum: Ipsum esse ubique? Atque iterum: Ipsum esse omnia in omnibus? Hîc ergo arguitur, quod vacuitas, Inanitas, Nihil & tenebræ sint unum & idem, nimirum absentia actualis & informantis præsentiæ virtutis divinæ: quoniam omnis plenitudo seu repletio consistit in immediata virtutis divinæ actione & proprietate. Sed Deus per spiritum suum nondum é tenebris ad mundi creationem effulsit. Quare constat, quòd prima & informis mundi materia, omni, quoad nos, gratiâ inactuante, creante & informante esset vacua & destituta: Vnde vacua

seu

seu inanis, vacua & Tenebrosa sive in formis erat dicta ; ut ex ante dictis Moysis verbis patet. Terra, inquit, erat inanis & vacua, hoc est, nondum desummæ plenitudinis Spiritu omnia informante gustavit: Nam tenebræ fuerunt superfaciem abyssi: Evidens profectò argumentum, quòd spiritus iste nondum comparuerit : Sed post apparationem plenitudinis Spiritus Elohim, terra non erat amplius vacua & inanis, sed ratione participationis, plenitudinis & bonitatis divinæ, dicit Textus, Deum vidisse, quòd opus istus diei esset bonum, hoc est, plenum bonitatis, divinæ, quippe cujus virtute tum posteà terra germinaret herbam virentem, facientem semen, & lignum pomiferum faciens fructum juxta genus suum, & protulit herbam virentem, facientem semen &c : Et vidit Deus, quòd esset bonum: Hinc inde arguendo, quòd terra, quæ anteà erat inanis & vacua jam salutari præsentia istius vitæ & formæ Spiritus esset plena, hoc est, igne divino & Spiritu Dei incorruptibili redundans, juxta illud Salomonis : Spiritus disciplinæ sanctus implet orbem terrarum : Et alibi. Incorruptibilis Dei spiritus inest omni rei. Et Apostolus: Christus omnia implet Quibus videre possumus quòd omnis plenitudo sit à divino actu seu essentiali Spiritus Divini præsentia, cùm è regione vacuitas dicitur adesse, ubi vita illa formalis à spiritu concessa, aquis abest, quod quidem totaliter accidere nequit sine absoluto subjecti ab ejus præsentia sic privati interitu & in statum nihili redactione. Accidit nihilominus in parte, ut quandoque à creatura recedat spiritus iste, videlicet in momento mortis seu corruptionis creaturæ spæcificatæ: Quemadmodū ex psaltis Regij verbis constat : Deo dante creaturis, recipiunt, abscondente faciē suā perturbantur, recipiente spiritū suum expirant & revertuntur in pulveres suos; emittente spiritum suum, recreantur bono &c: His ergo patet, quòd sit Spiritus Dei præsentia, quæ implet hominem & creaturas Vitæ bono, & quòd ipsius absentia fit vitæ vacuitas in spiritu humano : Sed ista vacuitas propriè dicitur privatio, quatenus actum positivum præcedentem sequitur. Hæc est igitur ratio, cur vacuum & inane sit tam horribile in rerum natura : Quatenus scilicet extrema & absoluta emanationis æternæ absentia, sive à Spiritu Aquarum mundi ablatio, minimé potest tolerari : Nam res quælibet ex aquis conflata summo naturæ suæ appetitu cupit informari. Quare abominabile est in natura, ab omni existentia privari. Sequitur ergo quòd, nisi Deus res omnes hujus mundi impleviset suo Vitæ spiritu, vacuitas, Inanitas, & deformitas ubique per mundum regnarent, & per consequens omnia manerent in statu Nihili: Sed quoniam Deus præsentia lucida spiritus sui emanantis omnia ex Nihilo creavit, sustentavit, & præservavit; igitur evidentet liquet, nihil esse in hoc mundo, quòd jam est absolutè inane & vacuum: Tametsi ante Principium mundi tenebrosa Abyssus & materia deformis cœli & terræ esset talis: Vti Moyses & Iob habent: Manifestum ergo est, quàm vana & impossibilia sint vacuum & plenum secundum intentiones Philosophorum Peripateticorum, respectu illorum, quæ à scripturis intelliguntur: Nam vacuum & Plenum, Moysaica sunt Potentia & actus, unde per reductionem potentiæ, quasi Nihili in actum mediante spiritus Elohim præsentiâ, vacuum & Inane in plenitudinem convertitur : Non est quidem mirum, si Aristoteles de ista inanitatis & seu vacuitatis & Plenitudinis specie ne cogitaverit unquam, cùm in uno loco ait: Ex Nihilo nihil fit. Et in alio loco affirmat: Lucem esse merum accidens, & per consequens non apparebat sensui ejus, quod accidens potuisset inanitatem seu Vacuitatem auferre, seu eam in plenitudinem ratione suæ essentiæ conferte. Sed ego Christianos Peripateticos proprijs jam aggredior armis, & telo ab ipsorū pharetra deprompto, talem ipsorum assertionem sic oppugno. Commune est inter ipsos axioma: Quòd Accidentis esse sit inesse. Ego igitur ipsis me istiusmodi syllogismo opponam: Si Lux sit accidens, tunc ejus esse est inesse sive inhærere subjecto : at Lux sine ulla ad aliquod subjectum ad hæsione existere potest. Ergo non est illa accidens, sed potius substantia omnium purissima & essentialissima: Major probatur & conceditur ex verbis Aristotelis, nimirum, quòd accidentis esse sit inesse : Minor confirmatur authoritate Moysis, ut pote dicentis, quòd Lux esset primo die ante omnem aliam creaturam producta sive creata : & per consequens nullam habuit præexistentem materiam, cui inhæreret Prætere à est ultra captum humanum, ut Deus crearet Accidentia tempore & ordine anté substantias sive creaturas essentiales. Porro etiam Deus fons origo & pater Luminis nuncupatur, ut scripturæ tradunt: & spiritus seu verbum ejus definitur esse Lux, in qua non sunt tenebræ ullæ. Et iterum Spiritus sapientæ dicitur esse claritas seu splendor & virtus emanans ab omnipotenti Deo. Concludimus ergo, quòd verum plenitudinis & vacuitatis mysterium esset Peripateticis penitus ignotum, quippe qui erant veræ sapientiæ, quæ (ut Apostolus testatur) descendit à Patre Luminis, penitus ignari: Hocque apparet in eo manifestius quatenus essentialem lucem seu splendorem sanctum, qui est essentialis structuræ cujuslibet creaturæ basis & lapis Angularis, esse meram qualitatem sive superficiale accidens, falsò tradiderunt.

ien. 1. 10. 11.

ap. 1.
ap 12. 1.
phes. 4. 10.

ohn. 104. 21

Iacob. 3.
1. Ioh. 1. 5.
Ioh. 1.
Sap. 7.

CAPVT. VI.

Quodmodo duæ essentiales proprietates activæ, invicem conditione oppositæ, ac tum postea totidem naturæ passivæ ex predictis duobus primarijs rerum principijs orerentur, & qua ratione omnes in mundo sublunari mutationes sive alterationes virtutibus earum efficiantur.

IN animo meo est, hoc loco partus & origines in primis duarum naturarum activarum seu virtutum essentialium referre, quæ à duobus rerum omnium principijs anteà recitatis procedunt, & tum posteà conditiones seu proprietates duas passivas, quæ à duarum virtutem activarum effectibus oriuntur, explicare paucis. Sciendum estergo, quòd, ut potentiale sive tenebrosum in proprietate sua essentiali est emanationi Spiritus actuali sive principio lucido contrarium; ita etiam quodlibet eorum sobolem sive proprietatem essentialem conditione sibi invicem contrariam & repugnantem in mundum produxerunt, nimirum Frigiditatem & Caliditatem: De modo & ratione mystica productionis harum virtutum sive proprietatum succinctè hoc capite agam & in primo loco profundum frigiditatis ortum vobis pro captus mei exilitate enucleare conabor.

Evidenter liquet ex ijs, quæ sunt, antea relata, & ad huc clarius libro primo sectionis hujus secundæ dicetur, quòd tenebræ sint effectus immediati divinæ Voluntatis, sive Divinitatis latentis sive in se contractæ: & consequenter privativæ Dei proprietatis sive Potentiæ divinæ, quæ est Privationis, Mortis, Vacuitatis, Inanitatis, Deformitatis & hujusmodi aliarum imperfectionum Mater: Nam proprietas deformis Nihili sive Tenebrosæ abyssi est naturaliter acquiescere, fixari & nullo modo agere aut operari: Ratio, quoniam in ipsius appetitu est conversationem suam in & circa centrum habere, in quo nullo est motio sive actio, qua se versus circumferentiam dilatet, ut è regione, Spiritus Dei lucidus, sive Deus in sua voluntate sive natura patente versatur circa actiones & motus, qui à centro ad circumferentiam tendunt. Ob istam ergo rationem, principium Tenebrosum sibi, idque naturali inclinatione vendicat, quietem, otium, & fixationem: Atque ista proprietas generat seu producit virtutem essentialem suæ propriæ conditionis, nimirum Frigiditatem, quæ, ut pro Agonista seu Athleta ad resistendos sui oppositi, videlicet caliditatis insultus eligitur, ex cujus societate sunt motio & Actio, ita quidem, nisi ipsa agitetur & incitetur agili caloris actione, non movetur, sed videtur pacificè & quieto more somnolentæ suæ matri, Tenebris videlicet & privationi inservire, quarum soboles, uti diximus sunt fixatio, quies, quæ quasi dormientes adhærent centro, illudque inhabitant, atque ideò est contra earum voluntatem intueri circumferentiam, nisi violentia excitentur: Et revera frigiditas est actus essentialis, qui procedit à potentia Divina, cui præcipuè in sua actione inseruit: Nam potentia Divina circa centrum magis versata, in ista sua proprietate contrahit radios suos à circumferentia in se ipsam: Iuxta illud Mercurij Trismegisti: Monas generat Monadem & in se ipsam reflexit ardorem: Ac si dixisset: Monas ista quasi potentia divina, emittens emanationem suam, quæ erat altera monas unius & ejusdem essentiæ & in se ipsam, hoc est ad punctum centrale, quo emisit Monadem, reflexit illam, ut ibi quiesceret: Atque ita hoc modo ante ullam mundi typici creationem productus erat mundus archetypicus. Cui etiam astipulari videtur Rabbi Bair, Cabalista egregius: Sapientia, ait, cùm esset in Abysso tenebrarum retracta, immanens otiosaque ad nihil respiciens, Ain quasi Nihil dicitur: & in hoc ejus statu Aleph tenebrosum dictitatur. In hoc contracto seu potius sequestrato & privato unitatis Divinæ statu, videtur operari secundum proprietatem suam negativam mediante agente suo Frigido, cujus unicus conatus est efficere, ut aquæ quiescant. Atque hoc ejus agens in eo probatur, non esse accidens (ut vana Peripateticorum doctrina docet) quatenus est certum, nullum in Deo reperiri posse accidens, ut pote, qui est summa, purissima & absoluta simplicitas & essentia meré formalis, in se & per se existens, & per consequens ab accidentibus libera. Quare, cùm divinitas non sit, nisi una essentia, potens est ex se, hoc est, à sua simplici natura pro placito proprietatem quamcunque essentialem à sua divinitate haud divisam producere: Atque hac de causa Sapientia Divina dicitur Spiritus unicus, multiplex; unicus dico respectu suæ essentiæ, & multiplex respectu proprietatum essentialium, quæ ab eo progrediuntur. Quòd aurum essentialis proprietas sive natura Frigoris sit formale illud agens, quo Deus in occulto & potentiali suo

Rimand. 3.

Reuchn. lib. De arte Caba

Sap. 7. 22.

li ſuo ſtatu ad compeſcendos & oppugnandos hoſtiles caliditatis & ipſius actionis & motionis inſultus, & ad deſtruendos & ad nihilum redigendos illos affectus, quos ipſe in patenti & poſitiva ſua natura virtute caliditatis produxit, ab affectu & experientia demonſtratur. Nam quòd Spiritus ſapientiæ in revelata & manifeſtata ſua proprietate afflatu ſuo calido ab Auſtro vel plaga Orientali eſt operatus (quippe qua ejus actione, rarefacit aquas denſas in aërem, faciendo illud, quod erat groſſum ſubtile, & quod erat opacum & tenebroſum Diaphanum & perſpicuum, imò verò & inviſibile) illud Spiritus iſte latentem ſuam induendo naturam, mediante ſuo frigore, iterum deformat, diſtruit, & in ſpeciem contrariam tranſmutat: Nam Spiritus tali proprietate præditus & ab Aquilone ſpirans condenſat & inſpiſſat aërem anteà rarefactum, illumque à ſtatu ſuo inviſibili ad ſtatum viſibilitatis reducit. Atque etiam illud opacum, quod diſſipatione & ſubtiliatione partium factum erat tranſparēs ſeu Diaphanum, jam virtute ſua frigida & contractiva proprietatis ſeptentrionalis actu & operatione à flatu divino emiſſa, in corpus opacum & denſum iterum redigitur: Ita, ut illud, quod erat agile, mobile & vivum, virtute caloris advenientis jam factum eſt ſtupidum, fixum, mortuum, & quietum per invaſionem frigoris: Illud, quod erat leve & nullius ſenſibilis ponderis, contrahitur in grave & ponderoſum corpus ſive conſiſtentiam. Quemadmodum videmus, quod vento ſpirante Boreali, aër convertatur in nivem, grandines, gelu, pruinam &c: Iam verò quòd non ſit, niſi unius ejuſdemque eſſentiæ ſpiritus, qui ambos iſtos effectus actione ſeu ſpiritu contrario pariat, ex iſtis Prophetæ dictis conſtat: Veni ſpiritus, ait, à quatuor ventis & inſuffla interfectos iſtos &c: Quo verborum filo arguit, quòd non ſit niſi unicus ſpiritus (dico unicus ſimplex in eſſentia: At multiplex in operatione, ut ſapiens loco anteà citato ait) At verò, ut ea, quæ à nobis ſunt propoſita efficiamus adhuc perſpicuiora, auſcultetis velim ad verba Prophetæ: Velociter currit ſermo Iehovæ, qui emittit nives ſicut lanam, pruinam ſicut cineres diſpergit, deijcit gelu tanquam fruſta, coram frigore ejus quis conſiſtat? Emittens verbum, liquefacit iſta, ſimul ac efflat ventum ſuum, effluunt aquæ &c: Ex quibus quam plurimas res notatu dignas obſervamus: Quarum prima eſt, quòd Deus in occulto & latenti ſuo ſtatu per eſſentialem ſuam proprietatem frigoris, res anteà verſus circumferentiam dilatatas, jam centrū verſus contrahit. Secundò, quòd proprietas frigoris attribuitur ſeu aſcribitur Spiritui Dei in Septentrionali ejus actione, ſive in privativa, ſeu occultata ſua conditione. Nam verba ſunt: Coram frigore ejus quis conſiſtat? Quamobrem evidenter patet, quòd ſit eſſentialis virtus in Divina potentia. Tertiò, quòd debeat eſſe actus Monadis ſive Vnitatis in ipſius tenebroſa, abſtruſa & privativa natura; tum quia res claras & lucidas & perſpicuas reddit obſcuras & opacus; tū quia motū, agilitatē & vitā auferre videtur ab aëre, qui anteà calore eſſentiali incitāte movebatur, agebat & vivebat: Ac denique, quia omninò opponitur actioni caloris, qui divinitati emananti & vivificanti inſervit. Quartò, quòd effectus frigoris actu revelatæ naturæ Dei, hoc eſt, per ejus verbum emiſſum, deſtruantur & in nihilum redigantur: Nam textus dicit: Emittit Verbum, & liquefacit iſta, videlicet nives, glaciem & pruinam. Quintò, quòd contrariæ iſtæ actiones ab uno eodemque Spiritu in eſſentia, ſed multiplici in conditione perficiantur admandata illius complenda, qui illum emittit. Porro etiam, quòd virtus frigida in vento ſit eſſentialis, privans aut congelans, mortificans & contrahens actus Dei, ex hiſce paginæ ſacræ indicatur: Deus fortis edit glaciem flatu ſuo, flante Deo concreſcit gelu. Concludo igitur, quòd frigiditas ſit actus eſſentialis potentiæ divinæ, aut æternæ ſapientiæ velo tenebrarum involutæ, atquæ ideò divinam voluntatem in tali ſuo ſtatu ſeu conditione, noſcimus per effectus illos, quos producit; in eo ſcilicet, quòd evidenti ſuo actu contrahit à circumferentia verſus centrum, & ob iſtam rationem iſta Dei virtus eſt cauſa congelationis, inſpiſſationis; contractionis, conſtrictionis, fixationis ſeu immobilitatis, ponderoſitatis, quietis & otij, obtenebrationis, mortificationis, privationis, ſtupefactionis & ſimilium.

Iob.27.9.

Iſa.37.9.

Pſ.147.2.15.

In contraria proprietate divina, nempe in ſpiritus iſtius natura patente, manifeſta & poſitiva, atque in illo ſtatu, qui dicitur Cabaliſtis Aleph ſeu. Vnitas lucida, in quo movet, operatur aut emanat à centro circumferentiam verſus, & ſeipſum revelat ſuper faciem tenebroſæ Abyſſi, efficiendo inviſibile non Ens aut Potentiale Nihil, ut appareat actu in forma aquarum: In hac, inquam, proprietate ejus dicitur à ſapiente eſſe omnibus mobilibus mobilior, ubique penetrans ſeu attingens propter immunditiem ejus, ita; ut, quemadmodum privativa ſeu Borealis ejus proprietas producebat quietem, otium & ceſſationem ab operatione per contractionem ſive attractionem à Circumferentia ad centrum: Ita in iſta poſitiva aut Auſtrali & Orientali proprietate per viam dilatationis ſeu emiſſionis radios ſuos à centro circumferentiam verſus, motum & actionem mediante eſſentiali caloris agilitate, procreare ſolet; ut pote, qui calor operatur aſſiduè ſuper effectus frigoris reſiſtendo, diſſolvendo & attenuando, levia ex groſſis faciendo perſpicua & tranſparentia

ex opacis & tenebrosis efficiendo &c: Ita ut formalis iste Lucis Agonista, videlicet calor, à lucis actu & motu immediatè productus bellum gerat perpetuum adversus frigidum, custodem tenebrarum: Nam unus dominium habere nequit, quousque alter paulatim extinguatur, & in exilium quasi relegetur. Quamobrem, ut Lux cum omnibus suis socijs vel adhærentibus dicitur esse positionis actus, informationis, plenitudinis, motus, vitæ, salutis & caloris genitrix; ita etiam calor operatur secundum naturam & dispositionem in fatigabilis & semper operantis suæ genetricis, nempe Lucis, ad subvertendos & in nihilum convertendos Tenebrarum & sui frigoris effectus: quemadmodum videmus in naturis Ventorum calidorum, nimirum Australis & Orientalis: Nam, ut venti Septentrionales & Occidentales plus minusve congregant, contrahunt, indurant, condensant, ponderosum efficiunt, fixant & immobilem faciunt, atque opacum reddunt non modò aërem, sed etiam res alias tam homogeneas, quàm heterogeneas: ita é converso venti prædicti calidi solent aërem dissipare, dilatare, rarefacere seu attenuare, mollem reddere, illuminare seu perspicuum & transparentem, volatilem atque agilem sive mobilem facere, quem anteà venti prædicti frigidi more prædicto alteraverunt. Atque totum hoc radicaliter à spagyrico seu separativo Spiritus seu verbi divini actu perficitur. Idque arguitur ex verbis Prophetæ in prædicto textu: Emittens, ait, verbum suum, liquefacit ista, simul ac efflat ventum suum, effluunt aquæ, &c: Ac si dixisset, quòd emisisset Verbum suum equitans super alas ventorũ, & quòd virtute activa & calida illius Verbi Nives, Glacies, Pruinæque fuerunt dissolutæ, & à fixa, opaca, grossa, ponderosa, & mortali sua dispositione in mobilem, perspicuam, tenuem, & levem aquæ & aëris consistentiam redactæ. Atque ita illud, quod Deus verbo suo operatus est in proprietate secreta, contractiva & frigida: Nam Textus ait: Velociter currit sermo Iehovæ, qui emittit nives, sicut lanam &c: Hoc, inquam, totum per verbum ejus, simul ac efflavit ventum suum loco & Naturæ oppositum convertit, in aërem agilem, transparentem levem & tenuem. Ex istis ergo perspicuè indicatur, quomodò hæ duæ virtutes oppositæ, nimirum Calidum & Frigidum ortum suum habeant ab uno eodemque Spiritu in radicali essentia, qui in latente sua natura vices agit principij informis & tenebrosi: Vnde & Aleph Tenebrosum seu Potentia Divina dicitur, in quo statu videtur quoadnos quiescere, & circa Abyssi centrum otiosus manere: At é contra in patenti sua dispositione, naturam induit Principij activi, informantis & Lucidi, Vnde jam Aleph Lucidum & actus divinus dictitatur: Atque in isto statu apparet nobis, agere & à centro circumferentiam versus movere, radiosque suæ perfectionis undique per aquas ejaculare, suamque naturam vivificam creaturis hac ratione communicare: Atque ita patet, quòd Deus sit radicale omnium principium, à quo principio duo, Naturâ & conditione opposita, existunt, ipso nihilominus unum & idem immobile, non alterabile, idem & permanenter existens. Duo ergo consistunt in uno Principio à principijs, & cum principijs duæ proprietates activæ essentiales exsurgunt, à quibus omnia existunt: Vnde rectè dicitur Deus à Scripturis Vnum & omnia: & omnia in omnibus, & sine ipso nihil: & centrum omnium, cujus circumferentia est nullibi: Et in omnibus & super omnia &c.

Psal. 147. 16.

Psal. 147. 15.

Ex his ergo luculenter intellexistis, quòd duæ istæ virtutes, videlicet Frigiditas & Caliditas (ut cunque sunt in operatione seu actu oppositæ) ab uno eodemque Divinitatis Spiritu & Essentia originem duxerint, cum fontibus duobus ab invicem itidem conditione distinctis, ex quibus emanant, & quòd Spiritus Dei mediantibus istis duabus proprietatibus, via duplici, rarefactione scilicet & condensatione operetur in mundo: Nam observatur in Elemento mundi sublunaris Catholico, oppositos parere effectus ad voluntatem Creatoris in terra, aqua atque aëre sive Elemento generali; uti inferius stylo ampliori declarabitur.

Restat jam, ut de ortu & Natura duarum proprietatum passivarum dicamus pauca, quippe, quæ videntur habere suas generationes & progressiones à proprietatibus essentialibus activis, nimirum à mutua actione & oppositione Frigiditatis & Caliditatis; quæ, uti dictum est, radices suas habent vel in Noluntate & privativa existentia divinæ naturæ, aut in Voluntate & positiva emanatione ejusdem: Vnde liquet, quòd harum passivarum naturarum existentia dependet ab activis. Et primum vobis animi mei sententiam, Humiditatis partum sive generationem explicabo, actum postèa verba de Siccitatis origine faciam.

Imaginari debemus, quod quando nulla esset Lux formalis, ad informandam sive in actum reducendam Abyssum tenebrosam sive Chaos inane, & per consequens nullus calor ad agendam & faciendam inter lucem & Tenebras divisionem, tunc Chaos informe & opacum ad siccitatem inclinaret, utpote frigoris in eo adhuc occulti actione quasi congelatum, uti in glacie & pruina videmus: Nam certum est, quòd frigus dominium seu potestatem infinitam habet, ubi Caliditas omninò abest: Quemadmodum sub Sole Septẽtrionali videre licet, ubi omnes aquæ in molem frigidã & siccam ratione absentiæ coloris Solaris conglomerantur: Contrario plané modo, ubi Sol aut Venti calidi sua

di ſua caloris ſpiracula directé emittunt, ibi in exilium relegatur frigus, omnes ipſius actiones ſeu effectus deſtruuntur, & in ſiccitatem vertuntur naturâ terræ, ita ut in maſſam ſiccam, ſitibundam & ſpongioſam redigantur: Haud aliter & per eandem plané rationem (nam tam Frigiditas & Caliditas, quàm Humiditas & ſiccitas mundi, ſuas actiones & paſſiones à principalibus prædictis habuerunt) proprietates noſtræ eſſentiales in materijs principalibus operantur: Nam Chaos erat confuſa quædam & frigida atque ſicca moles, quouſque Lux divina è tenebris apparebat & in aquarum congelatarum maſſam operabatur: Etiam Lux in ſe conſiderata nimirum ſine reſpectu ad actionem ad maſſam paſſivam, erat conditionis igneæ, utpote, in qua actus, calor & ſiccitas deprehendebantur: Quare ſequitur, quòd, ut frigiditas in effectu eſt nihil præterquam potentiæ divinæ actus, & quòd, ejus actus & Dominium redditur abſentiâ Caloris manifeſtum & notabile: Ita enim ſiccitas eſt nihil aliud, quàm natura paſſiva apparens cum duabus prædictis activis virtutibus, dum ſunt in gradibus ſuæ intenſionis, in quo activorum ſtatu Humiditas perpetuò ab eſt: Verbi gratia in extremo frigore, quandò omnia ſunt egregiè congelata, adeſt ſiccitas omninò deficiente humiditate. E regione, ubi fervor ſolis atque ventorum Orientalium ſpiracula præter modum calefaciunt terram, ibi etiam minimè reperienda eſt humiditas. Ad Humiditatem autem quòd ſpectat, dicimus, ipſam eſſe naturæ quaſi adulterinæ, vel potiùs, quòd loco Hermophroditæ ſe habet, quatenus ex duabus naturis activis eſt parta ſive derivata, ita ut de ipſarum utraque participare videatur in ortu ſuo: Hinc eſt, quòd proprietas iſta paſſiva ſit intermedia conditione inter illas duas. Quare inſervit ad ſuſcipiendas impreſſiones actionum utriuſque extremi. Atque hoc totum oculari obſervatione tali probamus atque demonſtramus. Ventus Borealis ſuo dominio convertit aëris exiſtentiam in nives, grandines, pruinam, glaciem: Hoc eſt, eum mutat à calida & humida in frigidam & ſiccam ſubſtantiam: Sed ubi venti Auſtrales & orientales incipiunt habere Dominium, tunc ipſorum ſpiramina paulatim in duras prædictas maſſas ſeu moles penetrant, ipſaſque diſtrahendo in ſubſtantiam humidam ſive madidam mutant: Secundum ſenſum Verborum Textus ſupra dicti: Emittente Iehovâ verbum ſuum, liqueſcunt nives, glacies &c: Simul ac efflat ventum ſuum, effluunt aquæ &c: Hoc eſt ex rebus ſiccis fiunt humida: Quo apparet, quod Humiditas ſit nihil aliud, quàm mixtio frigoris & Calidi in ſubſtantiâ aliquâ aëreâ ſeu aqueâ, frigore prius concretâ, quæ eſt fluxibilis in potentia: & tunc frigiditate extrema caloris præſentiâ, Paulatim decreſcente, ſiccitas recedit, locum dando paulatim humididati, ita, ut, niſi adſit Frigiditas cum caliditate, Humiditas apparere non poſſit: Sic niſi reſpiciant Auſtrini flatus Septentrionis ſuſpiria, nubes & pluvias haud producerent: Sic flatus Occidentales, quatenus participant & in medio ſunt inter Meridiem calidum; & ſeptentrionem Frigidum, humidiores ſolent producere temperies: Sed hujus fluxibilitatis ratio eſt hujuſmodi. Videmus ex prædictis, quòd frigiditas extrema reddit aërem & aquam immobilem & fixam: Per conſequens eſt ſignum evidens, quòd ventus aliquis incipiat maſſæ congelatæ prædominari, quando illa incipit humectari, moveri & reſuſcitari: Quippe quam functionem nihil puæterquam calor Præſtare queat: Simili plané modo in creatus & omnia creans Spiritus Lucis, operatus eſt in tenebroſa Abyſſo, dum ſuper faciem ejus informem ad aquarum creationem fetebatur, fecitque tenebroſam illam molem, aquis potentialibus frigore anteà ob calidi abſentiâ congelatis plenam, gradatim liqueſcere, & tunc à Moyſe nomine aquarum aperté, actualium & realium, ſunt vocatæ, & ab Hermete, nomine ſunt vocatæ Naturæ humidæ, atque in eodem ſtatu, ad hunc uſque diem manent: Cùm certum ſit, quòd tam aquæ ſubtiles ſeu aëreæ, quã groſſæ & ſpiſſæ, ut ſunt maria, fontes & flumina, ſunt humidæ & fluidæ; utcunque aſſiduè, ſic volente omnium rerum Creatore, ab una natura in aliam mutantur & alterantur: Quæ quidem in Elemento mundi inferioris Catholico, mutationes & converſiones diuturnas per miniſtros ſuos Angelicos ſuper Ventorum alas moventes fiunt, quippe quorum eſt efficere aquas, ut ab una in aliam rotent naturam, hoc eſt, ab unius in alteram formam transformentur: Sed obſervemus oportet Aquas viſibiles & omnia viſibilia, ſive ſint meteora, ſive alia compoſita ex aquis fuiſſe ſerius ab aquis inviſibilibus facta & conflatu ſecundum doctrinam D Pauli antea citatam: Et Moyſes agnoſcit mare & terram, quæ fuerunt prima viſibilia, ex aquis inferioribus, quaſi Aëre Catholico eſſe formatam: & ibidem terræ, quaſi totius maſſæ aquarum fæcem ſeu hypoſtaſin poſt ſpagyricam mundi per verbi actum diviſionem & ipſius fabricæ mundanæ complementum videtur ſtatuere.

Sed, ut myſtica iſtiuſmodi creationis arcana clarius adhuc vobis innoteſcant illud totum, quod rationibus partim ex ſacris literis & partim exactiſſimis veræ philoſophiæ regulis extractis anteà probavimus, jam expreſſius demonſtratione oculari confirmabo; quo fides diligentium lectorum & philoſophiæ veræ amatorum Zelo fidentiori ad ea, quæ dicta ſunt credenda augeatur.

Demonſtratio ocularis ſingulos proprietatum eſſentialium ſupra dictarum ortus & operationes Lectori ad amuſſim indicans.

PRiuſquam ad ocularem noſtram iſtam demonſtrationem procedamus, quæ erit in & per experimentale noſtrum inſtrumentum facta, inprimis conſiderare debemus, quòd Catholicus aër ſeu generale regionis ſublunaris Elementum, ſit ſubtilior & magis ſpiritualis Aquarum, infrà Firmamentum portio, de quibus Moyſes facit mentionem: Quare certum eſt, quod quælibet ejuſdem aëris particula correſpondeat ejus toti, & per conſequens aër incluſus in Inſtrumenti hujus vitro eſt ejuſdem naturæ & conditionis cum aëre Catholico mundano. Vnde liquet, quòd ratione continuitatis ipſorum, ut aër generalis mundi ſublunaris in ſua diſpoſitione ſe habet, ita etiam ejus aër particularis vitro incluſa, qui eſt Catholici pars, ſe habet iterum ut Spiritus Ruah-Elohim, qui ferebatur ſuper aquas, ipſas ſuâ præſentiâ animavit, vivificavit, informavit, eaſque dando ijs motionem dilatavit; ita quidem ipſius abſentiâ ſeu actus & emanationis agilis ceſſatione, ſeu radiorum activitatis ſuæ in ſeipſum contractione, aquæ ſimiliter ſunt contractæ, condenſatæ, obſcuratæ & immobiles atque quietæ factæ: Vti ex conditione Venti Borealis indicatur, quæ procedit à privativa ſeu contractiva Spiritus iſtius virtute. Sed, ut aquæ ſui exiſtentiâ cavitatem amplam mundi replent, ita etiam ſpiritus omnia informans agnoſcitur poſſidere & ineſſe omni ipſarum parSap. 7. ticulæ: ut ſcripturæ teſtantur locis antea allegatis. Quare, ut ſpiritus iſte operatur omnia in omnibus, tametſi in proprietate diverſa (unde dicitur multiplex) ita quidem quandoque operatur in aquis iſtis inferioribus in proprietate ſeu virtute ſua Privativa, nimirum in afflatu ſuo ab Aquilone & occidente ſecundum plus vel minus: & nonnunquam in poſitiva ſua natura, videlicet, quando ſpirat à Meridie & Oriente. In prima proprietate contrahit frigiditate ſua à circumferentia ad centrum, ut ſupra, in ultima nempe ſua virtute calida à centro circumferentiam verſus dilatat. Cum igitur Aquæ ſunt Catholicum paſſivum, ex quo, utpote communi omnium rerum ſubjecto figura mundi & rerum in eo omnium fuit exciſa & graphicè ſculpta & depicta, ut nos docet D. Petrus: & cùm æternus omnia inactuans & informans Spiritus Domini, ſit Catholicus actor & motor (ut Moyſes teſtatur) facit omnia in omnibus in aquis, idque in & mediantibus infinitis organis, nimirum Angelicis, Stellaribus & Ventoſis; neceſſe eſt, ut ſequatur, quòd ipſe ſolus ſit radicale agens in contractione & dilatatione generalibus, quæ factæ ſunt tam in aëre univerſali, qui eſt extra vitrum inſtrumenti, quàm in illo particulari, qui eſt intra vitrum: Quare ut Sol, venti calidi, ignis, atque calor creaturæ naturalis proprietatem ſuam dilatativam ab emanante & Spiritus iſtius informante virtute habent, & poteſtate ipſius & temperie frigida aëris, ventorum & aquarum à diſpoſitione privativa adferant: ita quidem ſequitur, quòd tam dilatatio, quàm contractio aëris inſtrumenti vitro concluſi procedat ab immediato vel poſitivæ vel privativæ proprietatis ſpiritus iſtius actu: Nam quando Spiritus iſte ſpirat ab Aquilone vel Occidente, aër plus minuſve contrahitur in locum vitri anguſtiorem. Atque quòd hoc ſit verum, probamus in eo, quòd aquæ Dominio frigoris in Elemento Catholico altius in vitri collo trahuntur ſive elevantur propter contiguitatem aquæ & aëris incluſi. Atque iterum conſtat, quòd aër in vitro contentus ſit tantò magis contractus, quantò frigus Boreale Dominium habet in externo aëre: quod in eo apparet, quoniam in locum magis arctum ſive anguſtum colligitur, quàm erat ante aquæ in vitro elevationem: Ex altera verò parte, ſi venti calidi aut Solis æſtivalis fervor aërem externum accendat, tunc aër incluſus etiam ſe ipſum dilatabit & in ſua dilatatione largius facit pro ſua exiſtentia ſpatium. Quòd autem aër ita à calore dilatetur, in eo demonſtratur evidenter, quia aqua vaſi incluſa gradatim magis deorſum pellitur, quàm fuit antea. Iterum, ſiquis nudam ſuam manum ſupra concavam globoſam vitri ſummitatem ponat, aqua in collo Matratij ſeu vitri ſuſpenſa magis deorſum tendet: nam aër incluſus ſubitò dilatabitur. Iam verò, quod ſpiritus vivificans, qui iſtam vitæ tam humanæ, quàm alterius animalis aſſignavit calorem ſit æternus ille ſpiritus, qui omnia, ut ait Apoſtolus, vivificat, ſcripturæ confirmant pluribus in locis tam anteà, quàm poſtea in hoc Tractatu aſſignatis: Atque iterum, iſte eſt ſpiritus ille, quem Propheta vocat à quatuor ventis, ut vitæ ſpiritum, carnem & oſſa interfectis reſtituat. Quibus manifeſtum redditur, & ocularitèr demonſtratur, quòd Frigidum contrahit à circumferentia ad Centrum, & quod ingroſſat & inſpiſſat aërem incluſum: qui aër incluſus & inſpiſſatus licet ocularitèr diſcerni nequeat, tamen in eo probatur, quoniam aqua apparet oculis altius in vitro frigoris prædominio elevari: Vnde neceſſe eſt, ut corpulentia aëris conſtringatur in ſpatium anguſtius, & per conſequens, quod aër reddatur magis contractus & denſus. Ex altera parte, quod caliditas dilatat & diſſipat incluſum aërem in temporibus calidis, patet ex poſitione manus ſuper vitri culmen, quam aquæ depreſſio ſequitur.

Nota

Nota (vos oro, qui non vultis esse nimis ex parte Peripateticorum parci) errores eorum palpabiles ex diligenti hujus instrumenti experimentalis observatione detectos, ex quorum, prior manifestatur in illo eorum axiomate dicente, quod calidum congreget homogenea. At percipietis hîc oculariter demonstratum, quòd calidum operetur contrarium: Nam videmus ipsum dissipare & depellere aërem, qui est homogeneus in se, quatenus est ex simplicibus ejusdem naturæ partibus conflatus, & per consequens non congregat homogenea, sed è regione est Frigidum, quòd congregat, ligat, inspissat & coarctat ea: Nam oculariter patet, quòd contrahit & contrahendo congregat dilatatum aërem in angustiorem locum, atque etiam extra vitrum videmus, aërem in nivis & gelu consistentiam congregatu per congelationem frigoris. Quare etiam eorum assertio videtur esse falsa, quæ dicit, quòd Frigidum solummodò soleat heterogenea congregare. Alter eorum error immanis est, ubi dicunt Solem, Stellas ignemve; imò verò & calorem omnem attrahere ad se vapores, exhalationes & hujusmodi alia. At invenimus hujusmodi oculari experimento, rem longé aliter se habere, quatenus ab ipso colligimus calorem Solis, ventorum; ignis & illum naturalem animalium aërem dissipando, expellere & per consequens vapores & fumos omnes à se potius propulsare, quàm allicere. Atque hoc in eo demonstratur, quòd præsentia caloris aqua vitri collo pellitur deorsum: Vnde liquet, quòd qua via tendit aqua, câdem etiam via movetur aër inclusus.

Forma Instrumenti.



Atque ita in isto libro præsenti trium omnium rerum principiorum conditiones & proprietates, idque secundum Antistitis Moysis sententiam, satis aperté, ut opinor, detectas atque enucleatas habetis: quas non ita copiosé & exacté in eo tractavi, quoniam ampliorem & luculentiorem de ipsis discursum in libro sectionis hujus secundæ efficiam, ubi de profundissimo rerum omnium sympathiæ & Antipathiæ mysterio Deo volente discurram.

Hujus libri Argumentum.

In isto libro author universum rarefactionis & condensationis mysterium radicitus & pro ingenio, quod in eo est, enucleare tentat: Vbi etiam primùm eorum causæ simul atque effectus mirabiles in mundi creatione in genere exprimuntur: Atque tum posteà recitatur magis particulariter, qua ratione mediantibus ipsis mundi fabrica esset erecta, cœlorum orbes atque stellæ in ipsis rutilantes stabilitæ, ac tandem Catholicum mundi Sublunaris Elementum in regiones quatuor ab invicem distinctæ & modo debito ordinatæ.

CAPVT. I.

Hîc communis sive Catholica Condensationis & Rarefactionis causa sive agens, lectoris consulti observationi iterum objicitur: Nam probatur, quòd duæ Proprietates seu virtutes essentiales, illa nimirum Tenebrarum, quæ est Frigiditas, & hæc Lucis, quæ est caliditas, sint præcipua & immediata in ambabus prædictis in Elemento Catholico aquarum alterationibus agentia.

VObis in præcedentibus manifestum & evidens (ut opinor) idque tam veterum philosophorum testimonijs & sapientiæ æternæ authoritate, quàm demonstratione oculari est factum, quòd cummune omnium rerum subjectum sit materiale aquarum, quæ ex Tenebrosa & informi Abysso præsentia & virtute divini Ruah-Elohim fuerunt ante omnia extractæ & in actum reductæ. Quod cum ita sit, & quoniam omnis Rarefactio & Condensatio necessario versantur circa existentiam aliquam materialem, utpote sine qua tales actiones præstari nequeant. Sequitur ergo, quòd sola materia, quæ actus & alterationes tales patitur, debet esse aqua aut humida sive madida istiusmodi substantia, utpote quæ est unicum illud subjectum materiale, quòd amplam mundi cavitatem implet, & per consequens materialis illa existentia, ex qua (juxta D Petri sententiam) cœli erant prius & Terra, & res omnes in cœlo & terra creatæ. Catholica ergo aquarum massa est condensationis & rarefactionis subjectum, quibus mediantibus res in mundo una ab altera tam forma quàm substantiæ existentia efficitur discrepare, & omnia pondere, numero & mẽsurâ à Divino Spiritu disponuntur, atque proprijs in mundo stationibus ordinantur: hoc est corũ nonnulla regione altiori collocantur & quædã imiore situ secundũ conditiones ijs a creatore assignatas, sunt retenta. Communis igitur Condensationis & Rarefactionis materiâ jam cognita, restat, ut in secundo loco actorem in opere prædicto radicalem inquiramus. In præcedentibus autem expressi, quòd esset æterna splendoris sancti emanatio, quæ à mundi origine usque ad hoc præsens tempus operatur omnia in omnibus, atque etiam tempore futuro omnia operabitur, quæ in mundo de super & in terra subter efficiuntur: Secundum illud Apostoli: Deus operatur omnia in omnibus. Et Psaltes Regius: In sapientia omnia fecisti. Et illud sapientis: Sapientia operatur omnia. Atque iterum illud D. Pauli: Christus portat omnia virtute verbi sui. Et Apostolus Petrus: Cœli erant prius & terra de Aquis & per aquas consistentes verbo Dei: Porro etiam dicit, quòd Christus sit in omnibus & impleat omnia. Et alibi: Christus est omnia & in omnibus. Iam verò iste sapientiæ spiritus dicitur omnibus mobilibus esse mobilior: & per consequens necesse est, ut ipse agat & operetur omnia in omnibus, secundum suum placitum: Iterum cum voluntate ipsius sit, radios suos essentiales emissos in se ipsum retrahere seu à rei circumferentia centrum versus contrahere, videtur quasi quiescere & otiosus manere & in momento contractionis vitæ radiorum in se, Creaturæ vita ab actione cessat, unde mors immediata sequitur: Nimirum vita sua operatione privatur. Iam verò cùm ipse sit omnibus mobilibus mobilior, virtus quidem caliditatis semper concomitatur motionem suæ Lucis, atque etiam ambæ essentialiter ipsi actori uniuntur: Haud aliter ac in sole videmus (quem Sydrachus sapiens Divinitat Trinæ assimulavit, dicendo corpus solar referre Patre, ejus radijos seu emanationem Filiem, & activam ipsius virtutem calidam, quæ progreditur ad utroque Spirituum Sanctũ) quòd radius continuus corpori

1.Cor.12.6. Psal 104.25 Sap.8.5. Hebr.1.3. 2.Petr.3. Eph.4.10. Coloss 3.11 Sap.7.24.

pori Solari, uti emanatio ſancta eſt una individua eſſentia cum æterno Luminis fonte, & virtus calida, exiens à Sole & radijs ejus, eſt pariter inſeparabilis in Eſſentia à prædictis duobus: quemadmodum videmus, quod Spiritus ſanctus à Patre & Filio emiſſus, ſit unus eſſentia cum ambobus: Ob iſtam ergo rationem Mercurius Triſmegiſtus: Mens ab eſſentia Dei nequaquam diviſa, ſed illi potius eo modo connexa, quo Solis corpori lumen. Quare evidens eſt, quòd Caloris virtus inſit in luce eſſentialiter, haud aliter, quam motus ab emanatione Lucida abeſſe non poteſt. Concludo ergo, quòd rarefactio ſit nihil aliud, quàm exiſtentiæ aquarum dilatatio, caloris virtute peracta, quæ anteà erant frigoris actu contractæ. È regione verò condenſatio eſt ſubſtantiæ aquarum contractio, ſive in molem unicam virtute frigoris congregatio, quæ anteà fuit virtute calida dilatata & attenuata, ita ut pater, quòd ſubjectum commune, in quod tum Condenſatio, tum Rarefactio operatur, eſt aqua mundi Catholica, aqua nimirum ſubtilis, cujuſmodi eſt Catholicum aëris ſive mundi inferioris elementum, quod iſtiuſmodi operatione, videlicet condenſatione, fit vel cometa, vel nebula, vel nubes, vel aqua pluvialis, vel nix, vel pruina, vel grando, vel terra, ut in lapide Cerannio apparet; vel rarefactione fit ignis, vel fulgur, vel ventus, vel coruſcatio &c: Denique fons & origo tam Privativi, quàm poſitivi Agentis eſt vel Noluntas vel Voluntas, hoc eſt, aut negativa aut affirmativa ſolius unitatis æternæ, quæ eſt ille omnia informans & operans ſpiritus, qui agit, & accomplet voluntatem ſuam in omnibus & ſuper omnia: idque mediantibus ſuis organis tam Angelicis, quàm cœleſtibus & Elementaribus, quæ ſecundum ſuas in diſpoſitione & Natura diverſitates ab interno & centrali actu ab eodem ſpiritu ijs aſſignato ad velle Creatoris tam privativum, quam poſitivum in hoc mundo exequendum ſeriò moventur atque cum fervore agitantur, ut in capite ſequenti luculentius & latius explicabitur.

Pimand. 12.

CAPVT. II.

Quomodo Spiritus Divinus, hoc eſt, Ruah-Elohim, cum ſit Eſſentiâ unus, quadriformiter nihilominus mediantibus ſuis organis ſeu miniſtris tam Angelicis, quam Aſtralibus in mundo iſto ſublunari operari obſervatur.

ÆTernus Spiritus ſapientiæ, qui eſt radicale omnium rerum principium, & in quo & per quem (uti Apoſtolus docet) Angeli, Throni, Poteſtates, & Dominationes erant creati, ſolet in Catholico mundi inferioris Elemento mediantibus Angelis contrariæ fortitudinis, effectus Condenſationis & Rarefactionis operari. Atque hoc ex ſacris ſcriptis ſic confirmamus. Legimus inprimis, quòd ſpiritus iſte unicus ſit ſupremus dominus & princeps quatuor Ventorum: Quod quidem niſi eſſet, Propheta ex mandato Dei non diceret: A quatuor ventis veni Spiritus & inſuffla ſuper infectos iſtos & reviviſcant. Iam verò, quòd hic unicus Spiritus operatur in Organis Spiritualibus & Angelis & mediantibus ijs, ex verbis Apocalypſeos videre licet. Vidi, inquit, quatuor Angelos ſtantes ſuper quatuor angulos terræ, tenentes quatuor ventos terræ, ne flarent ſuper terram nec ſuper mare, nec ſuper ullam arborem &c: Quibus manifeſtum eſt, quod quatuor iſti Ventorum præſides fuiſſent miniſtri & organa in & per quæ verborum quatuor flatus aut emitterentur, aut in locis ſuis retinerentur juxta voluntatem ſpiritus iſtius Omnipotentis, qui ipſis pro voluntate ſua dominatur. At nos invenimus quotidiana obſervatione docti, quod virtus eſſentialis in vento Septentrionali ſit frigiditas atque ideò contractiva ſeu attractiva a circumferentia ad centrum, & conſequenter Condenſationis & congelationis effector: Per ejuſmodi ergo virtutes Angelicas Spiritus divinus privativos ſuos effectus producit, nimirum illos inſpiſſationis, fixationis & conditionis terreſtris in Elemento ſublunari: Sed è contra animadvertimus, quòd mediantibus Spiritibus Angelicis ex plagis Auſtrali & orientali ſpirantibus, poteſtas illa æterna rarefactionem & attenuationem in aquis inferioribus per Caliditatis actum producit. Atque ob iſtam rationem prædicti venti deſtruunt & peſſundant eorum rarefactione, totum illud, quod frigidum Septentrionale per viam congelationis effecit: Hinc ergo eſt, quod potens & Princeps ille Angelus á Cabaliſtis præſidens & gubernator Solis cœleſtis dicitur, illumque vocant Chael, hoc eſt, quis ſicut Deus? De quo infra copioſius. Similiter, quod ad organa ipſius Angelica ſpectat, quæ quatuor angulis terræ dicuntur ſtare: de ipſis alibi. Quod Filius hominis ſeu ſpiritus ille potens emittet angelos ſuos a quatuor ventis cœli &c: Præterea invenimus in Textu anteà allegato, quod Angelus ſive Spiritus iſte imperialis, qui omnia vivificat & inanimat (unde à quatuor ventis ad oſſa mortua reſuſcitanda, incarnanda & vivificanda vocatus erat) ab angulo Orientali aſcenderet & ſupremo

Ezech. 37. 9.

Apoc. 7. 1.

Matth. 24.

Apoc. 7. 3.

premo more imperaverit quatuor Angelis, qui habebant Dominium supra quatuor ventos : Nam Textus sequens est: Et vidi alium Angelum ascendentem ab ortu solis, habentem signum Dei vivi & clamavit voce magna quatuor Angelis, quibus datum est nocere terræ & mari : Dicens : Nolite nocere terræ & mari neque arboribus, quoadusque signemus servos Dei nostri in frontibus eorum &c : Quo confirmare videtur locus hic, quòd quatuor gubernatores ventorum magno illi Angelo subijciantur, qui est potens illa intelligentia, quæ gubernat & movet non modo solem cœlestem, sed etiam rès omnes alias, virtute verbi sustentat. Atque ille Angelus Omnipotens erat procul dubio iste, cujus videtur revelator primo capite suæ revelationis meminisse: Qui dixit ei : Ego sum Alpha & Omega. Iam verò quòd sol virtute istius spiritus Omnipotentis, cujus organum immediatum Angelicum erat Michaël, spiritum aëreum tam superioris, quàm inferioris mundi gubernet, videtur sapiens hisce agnoscere : Sol, inquit, lustrans cuncta in circuitu pergit spiritus: At virtus ista æterna posuit tabernaculum suum in sole, teste Propheta David. Vnde liquet, quòd quatuor Angeli ventorum gubernentur & ordinentur ab interno agente & informante in sole. Atque hæc est ratio, cur Philosophi veteres Ethnici ventos Titanis filios nuncupaverint. Apparet igitur, quòd spiritus increatus, qui supereminenter operatur & movetur in Creatura Angelica Michaël (quare El sive Deus fortis ipsi annexus est) est Princeps ille spiritus à Propheta Ezechiele nominatus, ut anteà, qui potenter inhabitat tabernaculum Michaëlis, qui ascendens ab Oriente quatuor ventorum Angelis imperavit: Vnde manifestum est, quòd omnes Angeli suos habent actus & potentias essentiales ipsis immediatè à spiritu isto Catholico assignatos, quos pro placito advoluntates suas in mundo tam privativé, quàm positivé exequendas emittit. Hinc ait David : Angeli Dei validissimi robore, efficientes verbum ejus, auscultantes voci ejus, ministri ejus facientes placitum. Atque iterum: Qui facis Angelos tuos ventos & ministros tuos ignem urentem : Ventos (inquit) nam רוח Ruach est spiritus, ventus, flatus. Quibus constat, quòd æternus afflatus sit illud, quod animat Angelos, Angeli perillum afflatum sibi communicatum infundunt virtutem & vigorem Astris; astra spiritum istum deorsum ventis trans fundunt; venti operantibus Angelis quatuor ventis imperantibus multiformiter commune aëris Elementum alterant, de statu in statum convertunt & quadrupliciter secundum radicis sive Angeli venti prædominantis naturam informant & varia in eo meteora juxta ventorum flantium naturas producere solent. Sed ut possim magis pertinenter de isto negocio discurrere, simul atque difficultates & scrupulos haud paucos concernentes tabernaculum principale spiritus istius Omnipotentis in mundo discutere, qui philosophos & Theosophos hujus nostri seculi haud parum perturbârunt; priusquam ulterius in discursu isto de Condensatione & Rarefactione prograediar, meam de tali dubio opinionem, idque verbis haud paucis aperiam, quoniam liquida rei tanti momenti enucleatio non parcum requirit sermonem, quatenus ad integrum Rarefactionis & subtiliationis; imò verò & condensationis mysterium aperiendum & revelandum inprimis cõducit : Nam iste spiritus in principali suo Tabernaculo non solùm mundi per condensationem & Rarefactionem creationis in genere, sed etiam supremæ spiritus mundani gubernationis & formalis in meteoris producendis rationis causa & origo, est immediata.

Eccles. 1. 3. Psal. Psal. 103.

CAPVT. III.

Quæ fuerint inter hujus ætatis doctos de principali Spiritus istius Catholici, omnia informantis, generantis & multiplicantis in isto mundo situ, sede, tabernaculo opiniones: Hîc etiam probatur, quòd illa Hieronimi interpretatio super Textum istum Davidis: Posuit Tabernaculum suum in Sole: *Sit secundum verum scripturarum sensum: Ac tandem errorum in recentiorum translatione ratio, hoc in loco secundum Authoris capacitatem explicatur.*

Psal. 18. 6.

FAteor, magnam fuisse inter hujus seculi doctos controversiam seu disputationem, an Heronimi seu Tremellij & Pagnini, nec non quorundam aliorum super Textum seu versus 8. Psalmi 18. interpretatio sit potius à mundi literatis recipienda : Nam Hieronimus (qui erat majoris Antiquitatis cæteris, in hunc sensum transfert. *Posuit Tabernaculum* sum in *Sole*. Pagninus verò illum à scripto originali fortasse alteratum & corruptum hoc modo Hæbreum in latinum sermonem mutat : In cœlis posuit soli tabernaculum : Et Tremellius consentiens Pagnino. Soli dispositit tentorium in ijs. Verùm enim verò si omnia rei veritare, prout sunt consideremus, inveniemus, quòd vel Textus temporis ignorantiâ

tiâ possit esse corruptus, & ab originali manuscripto, quod procul dubio Hieronimus possidebat, alienatus, aut istius viri reverendi authoritas, doctrina & dignitas debet necessariò in quæstionem pro errore tam grosso & palpabili vocari. Ad personam verò ejus quod spectat, verisimile est, quòd universa Ecclesia Christiana virum mediocris scientiæ & in lingua Hebraica versati, ad opus seu negotium tanti momenti & communi totius Ecclesiæ Catholicæ Bono, quale erat Biblij sacrosancti ex Hebræo idiomate in Latinum translatio obeundum eligere noluisset: Noluit, inquam, homini tam exigui cum in lingua Hebraica, tum misterijs divinis judicij inniti. Quare ex ista consideratione Personæ, cujus diligentiæ & curæ tantum opus est commissum, sufficientia constat, & per consequens fructus laboris ipsius in justitiæ trutinis nullo modo cum illis aut Pagnini aut Tremellij sunt ponderandi aut comparandi. Porro etiam nemo negare potest, quòd Papa & integra Romanæ Ecclesiæ turba ipsi in hoc negotio assisterent, ei antiquæ manuscripta præbentes, quæ ipsum in vera interpretandi via & sensu dirigerent, ita ut antiquæ authoritatis consensus minimè illi deesset in sua interpretatione, quo inter verum & corruptum textum discernere potuit: Atque ideò, ut neque interpretes recentiores pro sua translatione accusemus, neque à laboribus & meritis Hieronimi quicquam derogemus, ut pote quæ æterno laudis monumento insculpuntur, debemus potius errorem curruptioni vel adulterationi Textus Hebræici ascribere, quàm ipsorum cuiquam: Idque præcipuè, quoniam scripturarum harmonia in genere & subjectum totius istius Psalmi, in quo Textus ille recitatur in specie magis ad Hieronimi, quàm ad illorum interpretationē inclinari, quemadmodum magis particulariter his argumentis sequentibus comprobabo: Quorum primum sumitur à radicali capitis subjecto, in quo hæc verba (posuit Tabernaculum suum in sole) reperiuntur: Atque etiam ab alijs paginæ sanctæ locis: Secundò à mystica & Cabalistica vocabuli Hebraici solem significantis: Tertiò à Resolutione Theologorum, cum alijs circumstantijs ad ea pertinentibus: Quartò ab Astronomica observatione atque etiam à dignitate & excellentia solaris creaturæ. Quintò ab Arithmetica consideratione: Sexto à puncto & Circulo in geometria: Septimo à majoris in Musica seu harmonia perfectionis consonantia: Octavò à Physico seu naturali respectu.: Ac in postremo loco à sapientissimorum ac divinissimorum Theo-Philosophorum consensu & asseveratione, qui etiam exactè cum scripturæ sacræ symphonia conveniunt. De istorum quolibet suo ordine. Ad primum quod spectat, evidenter patet, quòd radicale Psalmi 18. subjectum Creatoris in creaturis cœlestibus divinitatem digito quasi indicare videtur, & consequenter per excellentiam exprinit ipsam in splendidissimo corpore solari inhabitare: Quid enim aliud vult primi versus sensus, qui dicit: Cœli enarrant gloriam Dei & opera manuum ejus annunciat firmamentum. Quibus innuere videtur, quòd gloria creatoris, quæ inest creaturæ revelat nobis Creatorem in creatura. At ubi gloria est præsens, ibi essentia non abest: Vnde sequitur, quòd iste Creator, qui solem cœlestem suâ gloriâ & influentiâ vitæ & lucis implevit, se ipsum in universa mundi fabrica in sole & mediante sole, atque à suo tabernaculo solari perspicuè revelavit, quemadmodum per effectus ejus naturales in ordine octavo explicatis expressè declarabitur. Nonne hoc idem verbis Apostoli colligitur: Invisibilia (ait) Dei à creatura mundi per ea, quæ facta sunt intellecta conspiciuntur, sempiterna quoque ejus virtus & divinitas &c. Quibus innotescit, quòd sempiterna Virtus, imò verò & divinitas Dei conspiciantur in creaturis & multùm magis in sole, quoniam ipse est omni alia creatura luce plenior & clarior: At D. Augustinus ait, quantò plus aliquid lucis in se habet, tantum magis Dei sibi vendicare videtur: Nonne habemus hoc totum à sapiente luculentius explicatum? Sol, inquit, illuminans per omnia respexit & gloria Domini plenum est opus ejus &c: Hoc est plenus est essentiâ divinâ seu spiritu Domini: Non tamen intenditur, divinitatem esse inclusivè in sole, quatenus ipsa etiam est exclusivè in & super omnia: Non aliter quàm spiritus humani sanguinis dicitur habere cor pro principali suo tabernaculo, & tamen inest omni totius spiritus & corporis particulæ. Iterum apparet ex istis verbis, quod æternus sapientiæ spiritus solem Cœlestem eligeret pro vase seu subjecto purissimo, ut in ipso ad creaturarum omnium vivificationem, animationem & multiplicationem ageret sive operaretur: Ob hanc igitur causam ipsa in propria sua persona ait: Ex ore Altissimi prodij primogenita, in cœlis feci, ut orcretur lumen indeficiens &c: Hisce arguit Catholicus hujus mundi agens, quod sol movetur in & super ipsum &c: Vnde & alibi: Sol in aspectu annuntians in exitu vas admirabile, Excelsi opus: Magnus Dominus, qui fecit illum, & in sermonibus ejus festinavit iter &c: Ac si dixisset, solem divino verbo suum efficere iter: Et siquis bene istius capitis sapientis sensum animadvertere velit, illum cum isto Psalmo Davidis optimè sentiet convenire. Pro secundo argumento, quod in Cabalistica Elementorum vocabuli Hebraici שמש hoc est, sol, expositione consistit: Invenimus in eo duplex ש seu schin, quod Cabalistæ

Psal.18.1.

Rom.1.20.

Eccles.42.16.

Eccles.24.5.

Eccles.43.5.

faciunt expreſſionem ſeu characterem ſymbolicum ignis ſive Lucis, ut è regione ☉ in vocabuli medio conſiſtens, quòd laquæ exiſtentiam arguit. Ac ſi per vocabuli eſſentiam intenderemus naturam cœlorum humidam, in centro contractam, & duplici proportione lucis ſeu emanutionis, ſanctæ à numeratione Cabaliſtica Tiphereth, quaſi pulchritudine & ſplendore deſcendentis illuminatam. Quo docetur, quòd maſſa illa cœleſtis aquea, ſeu ex puriſſima ætherea ſubſtantia globoſo more contracta, adaptata & præparata ſit pro Tabernaculo ſolis Spiritualis, qui eſt puriſſima & eſſentialiſſima Lux illa, in qua non ſunt tenebræ ullæ: Non quòd in eo, uti diximus, includatur, ſed (ut dicunt ſcripturæ, quòd ſpiritus Dei Sanctus eſſet in Chriſto carnali tam abundanter, unde verbum dictus eſt incarnatum, ſeu quòd caro eſſet verbum factum) & tamen verbum ſeu ſpiritus ille non erat ab ulla creaturarum abſens, quatenus omnia eſſentialiter & præſentialiter implet: Nam ſpiritus iſte Dei in eſt omnibus, ut ſcriptum ſacrum ſparſim habet.

Tertium quòd attinet, in libro, cui Titulus eſt Reſolutio Theologorum, invenimus ex Theologorum omnium conſenſu, quòd lux illa, quæ ubique per cœlorum & mundi cavitatem ante quartum creationis diem eſſet expanſa & in tribus ejuſdem diebus, loco ſolis inſerviebat, eſſet die quarta in corpus ſolare contracta & congregata: At lux iſta, quæ ſic erat diſperſa, immediatus actus ſeu emanatio illius ſpiritus ſeu Ruah Elohim, qui ferebatur ſuper aquas, & per conſequens illa lux, quæ eſt in ſole participat procul dubio abundanter cum Divinitate, ut in octavi ſeu ultimi Argumenti diſcuſſione claré demonſtratibur.

Quartum, quod ex cœleſti ſeu Aſtronomica dignitate elicitur: Evidens eſt, quòd ſolaris manſio in ſe Divinitatis haud parum comprehendat, quoniam, quantum magis perfectionis aliquid habet in ſe, & cæteris antecellit gloriâ & dignitate, tantò magis Divinitati accedere videtur: Nam ab Hermete docemur (in hoc haud à Chriſti doctrina diſſentiente) quòd Bonum & Perfectum ſunt ſolius Dei. Iam verò ſolis macrocoſmici dignitas & perfectio facilé in eo diſcernitur, quòd regalis iſte Phœbus igneo ſuo curru per cœlorum Centrum ſive meditullium vehitur, aureis comis effulgens, ſuper eminens ſceptrum & gubernationem mundi quaſi imperator ſupremus tenet: Vt pote ſub cujus ditione & imperio, virtutes & actiones omnium aliorum corporum cœleſtium conſiſtunt: Vt Iamblichus & multi alij docti aſſerunt: Et Proclus dicit, quòd omnis ſtellarum poteſtas ſeu potentia ad aſpectum ſolis in unum congragetur, quæ tum poſtcà, mediante igneo dicti ſolis ſpiraculo ſuper terram diſſeminantur: Nonne etiam ratione gloriæ vaſis ſeu organi illius Cœleſtis, comparat ſapiens claritatem ſolis increati ſive divinæ emanationis cum eo, ratione ſuæ pulchritudinis & fulgoris? Nonne itidem ait Syriachus, ſolis fabricam eſſe gloria Domini plenam? Sed plura de his, ubi argumentum octavum diſcutiemus. Sap. 7. 29.

Quintum docet, qua ratione more Arithmetico probatur, Divinitatem inſignem debere ineſſe Tabernaculo ſolari, nimirum, ut eſt unica ſola virtus ſtellaris, à qua omnis ſtellarum Cœleſtium multitudo ſuam eſſentiam formalem, ſeu Lucem atque influentiam deducunt: Non aliter, quàm ab Vnitate Arithmetica omnes numeri, quicunque derivantur: Nam binarius habet formam Vnitatis bis conceptæ; & Vnitas ter concepta producit ternarium, atque ita in infinitum. Vel ut una candela accendit alteram, ut ſecundam & tertiam & ſic in infinitum: Sic candela iſta informat lumine ſuo innumeras cœli ſtellas, & tamen ſuam propriam unitatem intactam & ſine ullo dignitatis aut gloriæ aut virtutis detrimento reſervat. Quid denique tot eſſentiales virtutes, tot gratias & ornamenta Stellis impertire queat, quod non eſt Divinitate locuples? Aut quid perfectionis poteſt dare quod non habet, aut à tanta Divinitate non accepit?

Ad ſextum Argumentum, quod in Geometria verſatur. Cum ergo reſpectu Geometrico ſol ſit corpus ſphæricum, neceſſe eſt, ut puncto ſuo centrali ſit præditus, in quo poteſtas ſeu virtus ejus illuminans conſiſtit: Quia circumferentia nihil eſt aliud, quàm quædam ſemidiametralis dilatatio exiſtentiæ & eſſentiæ punctualis à centro ad circumferentiam. Atque hoc idem eſt, quod Philoſophi pro hoc eorum axiomate intendunt. IN MEDIO CONSISTIT VIRTVS & veritas. Iam verò ſi admirabilis pulchritudo & virtus ſplendida in ſole non eſſet ab ejus Centro verſus circumferentiam emiſſa, ſequeretur, quòd illa à Principio interno non procederet, & per conſequens, quod ipſe more, Lunæ aliquem alium illuminatorem extrinſeum requireret: Sed quòd hoc longe aliter habeat, in eo declaratur, quoniam nullum in mundo univerſo corpus eſt, huic claritate & ſplendore lucido coæquandum. Quo arguitur plané, quod corpus hoc ſplendoris & gloriæ ſuæ initium à quadam Divinitate Centrali ſeu virtute Dei lucida & apparente habeat, quæ inſtar animæ in creaturæ centro vivificat & inactuat, movendo à centro, circumferentiam ejuſdem verſus: Atque ita corporis ſolaris ſuperficiem ſeu aſpectum-

ſpectum reddendo igneum , lucidum & coloratum : Efficit, ut ſecundum centralis agentis infinitatem radiantem, ſuam emanationem ad omnes vaſti orbis mundani limites transfundat ſive emittat : Hinc ideò dicitur , quòd Deus ſit Centrum & circumferentia : Nec cuiquam videatur alienum , quòd lucem increatam ab effectu , hoc eſt , reſpectu ad tabernaculum ejus ſolare habito, viſibilem faciam: Quoniam ſcripturæ multis locis teſtantur, quòd ſit ignis conſumens : & alibi Spiritus ſapientiæ ſolem & Aſtra Luce & claritate excellere dicitur : Atque iterum, quòd lumine tanquam veſtimento induitur : Ac ſi quis diceret , lucidum ſolare corpus, eſſe quaſi veſtimentum ; vel ut in Textu eſt : Tabernaculum Divinitatis: Denique fons & Pater luminis vocatur Deus, & conſequenter , nulla poteſt eſſe Lux ſive ſit viſibilis ſive inviſibilis , quæ ab iſto fonte lucido inviſibili ortum ſuum non habeat : Nonne agnoſcit Apoſtolus, quòd per fidem ſit credendum , quòd ea, quæ ſunt viſibilia , fuerint prius ab inviſibilibus? Quare ſequitur, quòd Lux in ſole corporali viſibilis ſit, à luce ſolis ſpiritualis nimirum à Spiritu Divinitatis inviſibili, quæ lux inviſibilis eſt cõtinua in eſſentia cum illa lucis tam inviſibilis , quam viſibilis portionibus , quas creaturis omnibus impertivit.

Septimum Argumentum , quòd Spiritus Divinus *Poſuerit Tabernaculum ſuum in Sole* , obſervatione Muſicâ ex ſolis in cœlo poſitione confirmatur : Nam ſi nobiſcum reputare velimus, quòd Deus , ut per ſe exiſtere dicitur , reputatur à ſcripturis in cœlo cœlorum ſedem ſuam habere , & tamen ad cœlum reſpicere non dedignatur : Poſſumus quidem ipſum comparare uniſono in Muſica(ſi ſacra cum profanis componere fas ſit) Nam ſi chorda inſtrumenti Muſices aperté pulſetur , ſonabit uniſonum à ponte ſeu baſi inſtrumenti ad ejus caput. Simili ratione , ſi imaginemur chordam à cœlorum ſummitate uſque ad centrum ſeu terram eſſe extenſam: Nam totum hoc ſpatium repletur Divinitate:Non aliter , quam chorda inſtrumenti percuſſa ſonat æqualiter à capite ad pontem inſtrumenti. Iterum, ſi chordam illam , inſtrumenti directé in medietate ſeu puncto centrali lineæ premamus , producet perfectiſſimam conſonantiam diapaſon : Nam ſi aliqua chordæ medietas per ſe pulſetur , ſonabit Diapaſon ad totum. Quibus patet, quòd in uniſoni centro conſiſtit ſive ſita eſt totius perfectio: Nam quamlibet chordæ æqualiter diviſæ portio , conſonantiam perfectiſſimam , ad totum adæquabitur ita, ut iſtud medium aſſignabit centrum ad circulum , cujus Diameter erit chorda illa integra. Pari etiam relatione ad Monochordum Marcrocoſmicum , neceſſe eſt , ut medius punctus ſive chordæ ſemidiameter à ſummo cœlo ad imam terram extenſæ, ſit conſonantiæ ſummæ perfectionis ſedes, quæ uniſono correſpondet , ut unum ad duo , hoc eſt , in proportione dupla. Sequitur ergo & per effectum patet , quòd ſol (qui eſt Dei Tabernaculum poſitionem ſuam habeat in loco iſto mundi centrali , qui reſpondet toti mundi ſemidiametro , ſive Monochordi mundani chordæ,ut 1.ad 2.Hoc etiam confirmant Aſtronomi , dicentes , ſolem haberé ſuam ſedem in centro cœli. Iam verò obſervetis velim , quomodò conſonantia ſive concordia hæc perfecta myſtica ex Divina & radicali unitate ſeu uniſono , qui ſonavit ſive edidit verbum FIAT & FACTVM EST , fuiſſet formata. Vnitas dixit Fiat , atque ita uniſonus produxit emanationem Divinam , numerum binarium arguentem , atque iſta emanatio eundem habuit reſpectum ad Veritatem, unde egreſſa eſt , ut Diapaſon ſeu perfectio ad Vniſonum : Verùm emanatio iſta ſplendidiſſima, à qua omnia ſunt creata, & formata in vera Harmonia , procul dubio in iſto mundo locum regalis ſui ad creaturas aſpectus perfectiſſimum in puncto diapaſontis eligebat , qui eſt perpetuò in medio uniſoni , & per conſequens in centro Cœlorum ; ſed apparet etiam oculis noſtris , quòd ſol à ſummo Creatore diſponatur in medio ſeptem Planetarum : Atque iterum evidens eſt ex Divina illa gloria,quæ emicat ab eo , quòd ſit ſedes Diviniſſimæ perfectionis : Hæc ergo erat ratio , quòd Platonici ſint imaginati, ſolarem orbem ſive ſphæram eſſe mundi Animæ ſedem. Iam verò , ut regalis iſta conſonantia Diapaſon comprehendit in ſe alias Muſicæ conſonantias duas, nimirum illam Diapente & Diateſſaron (nam ex iſtis duabus conflatur Diapaſon) Veriſimile eſt , quòd tota cœlorum harmonia & conſequenter univerſi mundi ad actum in iſto organo creato redigitur , cujus actor ſeu Muſicus agens eſt Spiritus æternus, qui omni minuto edit creaturis abiſto glorioſo organo vitæ & ſalutis tonos , & virtutes impertit illis vivificantes, multiplicantes & præſervantes : Nam hoc eſt unicum Chriſti ſeu verbi æterni in hoc mundo officium , ut pote in quo (teſte D. Iohanne) eſt vita. Ioh.1.

Argumentum octavum probatur phyſica ſive naturali conſideratione : Nam nos atque etiam cætera animalia obſervamus ; imò quidem & ipſæ herbæ & vegetabilia terræ videntur agnoſcere, quòd in ſole conſiſtat vivificationis & multiplicationis Theſaurus : Vnde ſatis liquidum redditur , quòd ſole nobis appropinquante , herbæ & Arbores,

quæ tempore hyemali videbantur quasi mortuæ) incipiant jam resurgere, vivificari, & virides suas vestes de novo induendo reflorescere animadvertuntur. E regione verò recedente Sole, ultra lineam æquinoctialem, exuunt non modò suos flores, & semina & quasi amictu lugubri ob Solis recessum seu elongationem ab ipsis sunt vestitæ : At ait D. Paulus : Deus vivificat omnia : sequitur ergo, quòd si Sol sui præsentiâ afferat mundo Elementari vivificationem, manifestum est, quòd ipse hoc acquirat donum ab illo Dei spiraculo, qui est vitæ Spiritus, quem Deus affluenter in istud vasculum suâ gloriâ plenum effundens, ipsum reddit organum idoneum ad tales actus vivificos creaturis mundanis inferioribus liberaliter impluendum. Nonne ait Textus, quòd hunc spiritum effuderit Deus super omnia opera sua secundum datum suum ? Cur igitur quæstionem aut scrupulum efficeret quispiam de habitatione Spiritus istius in Sole ? Hoc ergo est præcipuum Psalmi hujusce 18. Subjectum : hæc summa ejus intentio, ut Mortalibus narret cum D. Paulo Rom. 1. & Salomone Sap. 13. 1. quòd gloria atque Divinitas Dei appareat ex & in creaturis cœlestibus homini, hoc est ex ipsâ creatura seu organo solari Spiritus æternus effulgeat, gloriamque suam nobis revelat ex ijs. Quod etiam confirmare videtur Iob: Cœlos, inquit, ornavit Deus Spiritu suo. Atque hic est Spiritus iste, qui sui splendoris admirabilis præsentiâ Solem reddidit cæteris stellis pulchritudine eminentiorem : & ob istam rationem à Platonicis (qui in hoc divinum Orphea sunt imitati) mundi oculus dictitatur, quippe in quo & per quem, tanquam in claro & posito speculo omnia sunt detecta, redduntur que manifesta. Atque iterum Heraclitus Philosophus : Si Solem é mundo sustuleris, quid est nostrum corpusculum, si desit anima ? Nulla ibi contrectatur vena pulsatilis, nullus in eo vitalis habitus aut respiratio : Hac etiam de causa appellatur fons sanguinis, qui irrigat & humectat alia corporis membra : Ita etiam ab effectu patet, quòd virtus vegetationis & conservationis rerum tam inferiorum, quàm superiorum à Sole oriatur: quatenus ipse impertit & inspirat suo lumine vitam & calorem inferioribus & lucem formalem assignat superioribus. Iamque Lux ista est simplex quidam actus, qui in se mediante calore vivifico & calore innato convertit omnia, omniaque penetrat, & eorum virtutes per omnia conducit, simul atque tenebras & obscuritates dissipat & expellit. Quibus sat liquidò constat, quòd si vita in genere sit in verbo, ut D. Iohannes ait : Si iste Spiritus vitæ vivificat omnia. Vt D. Paulus & Iudith affirmant. Si Spiritus Sapientiæ sit splendor Majestatis & Sole luculentior, simul atque purus Spiritus, qui est omni re mobilior & agilior, si res omnes penetret ratione suæ puritatis, ut Salomon habet. Ac denique si omnes hæ proprietates in virtute Solari inveniantur, Quid hominem sibi constantè dissuadere potest, Textum illum Hebreicum Davidis non rectò fuisse ab Hieronimo intellectum in ista sua interpretatione Posuit Tabernaculum suum in Sole ? Hoc profectò erat admodum necessarium, ut homo intelligeret ; cum quidè ad hanc usque horam non sint multi, qui agnoscere velint Spiritum Dei immediatè operari in organo suo Solari & per Organum Solare, quippe qui seducti doctrinâ Ethnicâ multa admittunt agentia & causas subalternas activas, quæ per se sine ulla relatione ad Spiritum divinum operari credunt. Hinc ergo erat, quòd quam plurimi creaturas pro Creatore adoraverunt ; imò verò Soli cœlesti, cultum adhibuerunt superstitiosum, accipiendo creaturam pro creatore in creatura : in quem errorem Ægyptij malâ disciplinâ distracti inciderunt: Nam ipsi illuminatam creaturam pro ipso illuminatore adorantes Templum & Civitatem dedicaverunt in honorē Solis : Atque hinc erat, quòd equi & currus Solis, quos Iudæi ignorantes ante portam Templi veri Dei suspendi fecerunt, justè à pijs erant pessundati & penitus aboliti. Iste error, qui in hunc diem Aristotelicé doctis adhæret, suis proprijs characteribus à D. Iohanno delineatur: Vita, inquit, est in Verbo, & hoc verbum seu Lux erat in mundo, & mundus ab eo est factus, & mundus non novit illud, sed quicunque eum receperunt, hoc est, agnoverunt, nimirum quod ab eo omnia sunt facta & quód sit omne in omni, sunt numerati inter filios Dei &c. Sed pauci sunt, inquam, Aristotelica doctrina distracti, qui hoc agnoscere volunt, unde D. Paulus: Dij sunt, qui dicuntur sive in cœlo, sive in terra, nobis tamen (ac si dixisset Christianis) unus Deus Pater, à quo omnia & nos in illo & unus Dominus Iesus Christus, per quem omnia & nos per ipsum, sed in omnibus non est scientia hæc &c : Quasi dixisset pauci sunt, propter Sapientiæ mundanæ ignorantiam, qui hoc sciunt. Ergo Iohannes : Mundus per ipsum est factus, sed mundus non novit eum. Quo sermone nos docet, quód sit solus Spiritus Dei & non creatura, qui operatur omnia : & per consequens concludere possumus, quód Spiritus Dei sit essentialiter in Creaturis, quare opus est, ut ipsum simpliciter consideremus & agnoscamus in operibus ejus: Nam ille, qui se Christianum profitetur, atque ista non novit, non est nisi nomine Christianus, & consequenter vanus & miserabilis, ut testari videtur Salomon in loco anteà citato, dicens : Vani sunt omnes homines, in quibus non subest scientia Dei: & de his, quæ videntur bona, non potuerunt intelligere eum, qui est, neque

Eccl. 1.

Iob 26. 13.

Isai. 19. 18.

Ioh. 1.

1. Cor. 8. 3.

Sap. 13. 1.

operibus

operibus attendentes agnoverunt, quis esset artifex &c : Ac si dixisset ipsa Creatoris Divinitas à vero Christiano debet in creatura decerni. Quare & Apostolus, ut supra: Invisibilia Dei à creatura mundi, per ea, quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur, sempiterna quoque ejus virtus & Divinitas. Quare revelatur ira Dei super homines tales, qui veritatem Dei in injustitia detinent &c: Ac si dixisset tales homines hujus mundi docti, qui injustis Philosophorum Ethnicorum documentis ignaros mundanos à veritate divertere tentant à Deo strictè punientur: quoniam veritas syncera est virtus & Divinitas Dei, quæ debet ab hominibus apprehendi : Non enim illa Philosophia est amplectēda, quæ ex hominum traditione constat & secundum Elementa mundi se habet, sed illa, quæ est secundum Christum, in quo habitat plenitudo Divinitatis corporaliter: ipse ergo est Philosophiæ & subjecti ejus fundamentum, ut testatur Apostolus: Hisce ergo arguitur, quòd Divinitas in Creatura possit decerni in & per aspectum Creaturæ: At Sapiens ait: Sapientiam Deus effudit super omnia opera sua, secundum datum suum. Hoc est uni creaturæ majorem & alteri minorem illius portionem impertivit. Possumus ergo Creaturæ physiognomiã respicere & per eam de doni portione à Deo ei assignato judicare : At ait Textus: Opus Creaturæ Solaris est gloriâ Domini plenum : Sequitur ergo, quòd Deus maximam suæ dignitatis portionem assignaverit Corpori Solari: inter Cœlestia, ut Christi corpus pro vase suo electo seu myrothecio inter homines elegit, ut in eo pretiosam suam Divinitatem pro hominum salute reconderet.

Concludimus ergo, quòd rectè cecinit vates regius: Cœli enarrant gloriam Dei & opera manuum ejus annuntiat firmamentum : At si cœli creaturæ omnes enarrant gloriam Dei, multò magis & per excellentiam corpus Solare, quod est Gloriâ Dei plenum Quare sic pergit: In Sole posuit Tabernaculum suum : hoc est, ipsum elegit pro loco regio suo in cœlo & in terra Dominij. Quare dico, quòd iste Spiritus, qui Sole loco Tabernaculi utitur, ex eo creaturis, formæ, vitæ, vegetationis & multiplicationis dona distribuit: & tamen non agnoscam cum Aristotele, quòd Sol & homo generent hominem: Sed potius, quòd Spiritus ille potens, qui vivificat omnia, est ille solus in omnibus, qui potenter illam vitæ vim & naturalis caloris spiraculum tam homini, quàm cæteris creaturis clementer & suaviter ubique, sed præcipuè ex palatio suo Solari afflare & concedere solet: & quòd vitam multiplicatione & calorem innatam illis assignatum & à Solaris Tabernaculi plenitudine impluit, qua tum postea creaturæ sustineantur ac præserventur in suo esse : At ista (ut mihi videtur) est sana & vera doctrina, quæ omnem actionem vivificam tam immediatam, quam juxta mundi doctrinam illam mediatam, siqua sit, ei Soli, qui solus agit & operatur, ascribere & non creaturæ organicæ : in quo & per quod creator & omnium effector operari solet.

Ad translationes verò Pagnini & Tremellij quod spectat: Nempe Soli posuit Tentorium in ijs: si talis revera esset Textus originalis, quid quæso instructionis, salutis aut commodi nobis hominibus adferre potest talis interpretatio ? Prima translatio nos docet, quòd Spiritus Domini sit in lucidissima cœli creatura: inde nos admonendo, quòd laudem & gloriam pro beneficijs suis ascriberemus ei, qui fecit tale organum pro creaturarum salute, & qui operatur in eo, & non creaturæ, seu Tabernaculo ejus : quemadmodum Ethnici fecerunt, qui Solem orientem pro Deo adorare solebant. Quare maxima est nobis utilitas, ut exinde doceamur, evitare Antiquorum Ethnicorum Idololatriam? Deinde, ut per superexcellentiam agnoscamus Divinitatem regnare in creaturis: E regione verò expositio secunda videtur esse res tam exigui momenti & tam parum ad salutem hominum conducens, ut non satis videatur dignum aut utile, ut à digito Spiritus Dei inter monumenta salutis scriberetur : & per consequens, quid novi hominibus afferre potuit ista interpretatio: Deus Soli posuit Tabernaculum in cœlis? Quis enim ignorat, aut quem latere potuit, solem sedem suam habuisse in cœlo? Nonne hoc intelligit quilibet rudis intellectus puer, oculari solummodo demonstratione directus sine admonitione Prophetæ? In quo, quæso, est ista interpretatio ad Textum præcedentem pertinens: Cœli enarrant Gloriam Dei &c. Cur mentionem fecit immediatè de Sole ? Anne bene sequitur, quòd Deus fecerit Tentorium Soli? Minimè gentium, sed ut intelligeremus, quòd cœlorum pulchritudo & gloria lucida procederet à spiritu illo splendido, qui fecit Solem suum Tabernaculum, & quòd ab ipso affluenter influentiæ suaves & benevolæ creaturis mundi inferioris distillentur & impluantur.

Iam verò in loco ultimo ad Argumentum posterius accedam, in quo ostendam vobis, quomodò illa Hieronimi interpretatio sit varijs Theophilosophorum opinionibus stipata : Dicit unus, cui etiam D. Augustinus astipulari videtur, quòd quælibet res tantum sibi Dei vendicet, quantum magis capax est luminis : At Sol est omnium hujus mundi creaturarum clarior fulgentior : Multi ergo Philosophi conveniunt in hoc: In lumine (inquiunt) numen in numine lumen. Et Plato ait: Ne loquaris de Deo sine lumine. Nonne hoc totũ confirmant scripturæ ? Deus (ajunt) vestitur lumine quasi vestimento: Atque etiam dictus

eſt alibi ignis conſumens. Et alibi: eſt Lux, in qua non ſunt tenebræ ullæ. Concludo igitur D. Hieronimum feciſſe interpretationem ſuam in vero ſenſu & per conſequens exinde colligere poſſumus veriſſimam & radicalem Rarefactionis & Condenſationis rationem: Quippe quarum prior à ſolis Præſentia ſive activitate viva à ſpiritu in ſole; & poſterior ab ipſius abſentia, & per conſequens à majori vel minori ceſſatione in calore activo ſolis: Hæc, inquam, ſunt cauſæ alterationum in Catholico mundi inferioris Elemento. Atque hoc totum in inſtrumento experimentali facilé deprehenditur: Nam quo magis ſol nobis appropinquat, uti in æſtate accidit, eo magis aër in vitro dilatabitur, quod quidem in eo manifeſtatur, quia in æſtivo tempore aqua præcipitari ſolet: E contra quò magis ſol recedit à nobis, & quò magis in hyemali profundo immergitur, eo magis condenſatur aër in vitro: Idque per aquæ in collum vitri elevationem manifeſtatur: Nec quidem dicimus, quò tota ratio Rarefactionis & condenſationis procedat ſolummodò à Spiritu in ſole exiſtente; cùm idem etiam ſpiritus ſit præſens tam in regione Elementari, quàm Ætherea; & habet poteſtatem vitæ & virtutis ventorum in ſuo Dominio; qua mediante tam in Hyeme, quam in Æſtate aut exaltat aut deprimit aquas in vitro, & per conſequens eſt cauſa immediata condenſationis & Rarefactionis aëris tam in vitro, quàm extra vitrum inſtrumenti: Et hoc modo efficit diurnam mutationem quadruplicis conditionis in generalibus aquis *Elementaribus* ſublunaribus ſeu elemento Naturæ humidæ Catholico, illud multiformiter mutando de Natura in Naturam, quas in illo Elemento mutationes Veteres, quos Noſtrates ſequuntur, vocaverunt Elementa: Vti infra Demonſtrabitur clarius: Sed prius accedamus ad cœlorum fabricandorum rationem, quod opus per Condenſationem & Rarefactionem operante Ruach Elohim, erat completum, uti capite ſequenti declarabitur.

CAPVT. IV.

Qua ratione æternus Ruach-Elohim, ſive Spiritus Domini, qui ferebatur ſuper aquas, cœlos ex ijs per Rarefactionem efformaverit ac diſpoſuerit, & quomodò ipſe ſtellas per viam condenſationis in ijs produxerit.

2. Petri. 3. 4. Eſt equidem Apoſtoli Petri aſſertio, quòd cœli erant prius & terra de Aquis & per Aquas conſiſtens Verbo Dei. Quo ſermone elicimus tam cauſam materialem, ex qua mundus & per conſequens cœli erant creati, nimirum aquas; quàm cauſam efficientem ſeu Divinum artificem in illo opere ſtupendo, videlicet Verbum ſeu Ruach-Elohim, per quem ædificatio talis mediante actu rarefactionis & condenſationis eſt facta atque ſuſtentata: Nam per viam condenſationis aquæ tenues & inviſibiles, ac tum aquæ illæ groſſæ viſibiles in terram viſibilem ſunt contractæ, quæ omnia afflatu ſuo frigido effecit. Diviſis ergo aquis ſubtilibus à groſſis modo adhuc confuſo, Spiritus Domini ſeu Verbum, cœlorum fabricam ratione Rarefactionis vel majoris vel minoris eſt aggreſſus: Nam inprimis afflatu ſuo viviſſimo, agillimo & lucidiſſimo ſubtiliavit aquas ſuperiores & rariorem & digniorem earum portionem aſſignavit cœli Empyrei fabricæ, ipſamque ita ſuo ſpiritu igneo animavit & informavit, ut perpetuò in ſtatu illo virtute verbi permaneret, & propter ſpiritus iſtius Divini in eo Dominium cœlum igneum ſeu Empyreum atque intellectuale nuncupatur. Quare locus iſte beatus ob copioſam Dei in illo præſentiam, aſſignatur Angelorum bonorum atque animarum beatarum manſioni. Deinde infimam harum aquarum ſuperiorum portionem minori Rarefactionis virtute aggreditur ſpiritus iſte, & ſecundum ſuum placitum in orbes ſeu regiones octo diſtinxit; videlicet in cœlum, quod dicitur firmamentum, quod ordinavit tum poſteà pro ſtellarum fixarum ſede: Et in cœlum ſeu orbem ſaturni, & illum Iovis & Martis & ſolis & veneris & Mercurij & lunæ. Quos omnes orbes ſeu ſphæras ita rarefactiva ſua virtute diſpoſuit, & ab invicem diſtare ac differre fecit, ut ſingularum ſtellarum proprietatibus à Deo ipſis per magnum ſuum Angelum conceſſis ſive inflatis optimè tam loco, quam Naturæ convenirent. Hoc modo erat mundus Æthereus in regiones tenuiores vel denſiores multiplici Ruach-Elohim afflatu redactus: quod etiam Hermes optimè denotat in iſtis: Diſtinctis, ait, libratisque rebus, quæ igneo ſpiritu vehebantur, emicuit cœlum ſeptem in circulos: Vbi ſignificat, quod eſſet igneus ſpiritus (quem Paulo anté vocavit ſplendorem ſanctum) qui ſuſtinebat & elevabat circulos ſeu ſphæras cœleſtes in ſuis locis deſtinatis. Et alibi narrat, quod materia iſta, ex qua cœli & elementa ſunt facta, eſſet Natura humida, & alibi aquas in Abyſſo umbrâ infinitâ velatas vocat. Porro & D. Petrus in loco anteà citato fatetur, cœlos conſiſtere virtute Verbi. Hinc ergo Sapiens: omnia menſurâ, numero & pondere diſpoſuiſti ſeu temperaſti: hoc eſt, ordinavit & ſuſtinuit ſpiritus Elohim cœlos & Elementa in diſtincta menſura, & proportione in ponderoſitate & levitate, & in

Pimand.

Sap. 11. 21.

& in debito ac conveniente numero, nimirum in cœlum Empyreum, Firmamentum atque septem distinctos orbes, cum infinitis corporibus condensatis: Nam tametsi cœli sint ex aëre & igne conflati, hoc est, ex portione Spiritus ignei, quem à Spiritu lucido Elohim accepit, & portione tenuis aquæ, unde Æther quasi igneus aër
br.11.3. dictitatur: Tamen ab axiomate D. Pauli dicentis, quòd res visibiles essent prius à rebus invisibilibus, instruimur, quòd tam corpora visibilia in cœlo, atque etiam omnes luces visibiles essent prius ab invisibilibus aquis & invisibili formali luce, quæ suam in Deo primaria unitate omnium creatorum numerorum habet radicem: Atque ideo, ut Aristoteles ait, stellæ sunt densiores suorum orbium portiones; ita & ego dico, quòd substantia cœli sit invisibilis ratione suæ raritatis: E contra stellæ sunt visibiles ratione suæ densitatis: Erat enim condensatio, quæ est visibilitatis effectrix & Rarefactio, quæ est invisibilitatis causa. Et tamen nihilominus non concludimus cum Aristotele, quòd stellæ sint densiores partes suorum orbium, sed potius lumina, quæ includebantur in spiritu Tenebrosæ Abyssi; qui quidem spiritus in separatione lucis à tenebris sursum virtute lucis sive igneæ naturæ inclusæ tendebat, atque ita secundum proportionem ignis æterni formalis inclusi, quem in hunc usque diem loco lapidis Angularis retinet in sede elevationis ipsi appropriata, sustinetur: Haud aliter, quàm ignem illum artificialem Pyrobolus seu fusus dictum secundum proportionem pulveris Bombardalis seu ignis artificialis ad pondus sui corporis vel altiùs vel depressiùs in aëre elevari cernimus, ibique manet, durante corruptibilis vitæ suæ igneæ Virtute, qua deficiente, iterum deorsum cadit: Sed lux stellaris, corpus spirituale, cui inest, à tenebris elevatum secundum proportionem lucis inclusæ tam altè ascendit, ac in agili ipsius potestate est, considerato stellaris corporis pondere, atque ita perpetuò pendet in æthere in certa à centro distantia: Quoniam ignis seu lux ipsius est incorruptibilis & æternæ conditionis, & non deficiet unquam; ut illa Pyroboli: Hoc totum expressiùs in Tract. 1. lib. 5. cap. 3. physicæ meæ Macrocosmi Historiæ, reperietis, quare vos ad librum istum refero. Iam verò, ut omnes vigores illuminantes, & virtutes sive flammæ animantes, quæ aquis universalibus impertiuntur, ijs à splendido isto spiritu seu emanatione sunt datæ: Ita quidem nulla sunt ex istis luminibus, quæ separata sunt à spiritus istius essentia: Hinc ergo est (Nam quodlibet lumẽ habuit diversitatẽ in proportione formalis claritatis & mensura ea mensura corpulentiæ) quòd unũ corpus cœleste ab alio differat, tam situ & virtute claritatis, quàm motu & influentia ab alio secundum voluntatem creatoris: Sed extracta quinta Essentia, sive purior essentia, materialis totius chaos, cum puritate luminis, quòd à Spiritu creante egressum est, unita erat alteritati Angelicæ; ambæ hæ naturæ in figura unius massæ ex Tenebrosæ Abyssi visceribus exsurgentes, & in cœlorum centrum sublimatæ, Regalem ibi loci Thronum Phœbeum sibi vendicant: Atque ista massa sphærica & luminosa solis cœlestis Titulo insignita est cujus officium est, mediante luce ei à Deo assignatâ illuminare stellas cœli cæteras, & elementa atque Elementata inferiora vivificare: Ita, ut postquam Vniversale seu expansum, per spiritum mundanum lumen, esset die creationis quarto in corpus solare contractum: Illud est ordinatum capitale illud vitæ & vegetationis in mundo stellari organum, quòd influentias seu spiracula ignea vitæ conservationis, vegetationis & multiplicationis emisit atque impluebat affluenter Terræ atque Elemento sublunari Aqueo.

Habetis ergo rationem condensationis & Rarefactionis paucis & tamen satis luculenter expressam, quibus tam invisibilis cœlorum substantia, quàm corpora corundem visibilia fuerunt facta: Atque hoc non videtur à Doctorum Theologorum, nimirum Basilij & Damusceni opinionibus dissentire: Videlicet, quòd spectat ad modum actionis Divini illius Spiritus in condensatione & rarefactione ante solis in cœlis apparitionem: Quippe, qui volunt, quòd diei rarefactio, aut clarificatio cœli, ab emissione lucis à Spiritus Divini actu ordinata esset; sed nocturnam condensationem & opaca & condensata in cœlo corpora credunt à tenebrarum contactione fieri, juxta ordinationem etiam Spiritus sacri. Videmus ergo ex sapientiorum Patrum Ecclesiæ consensu, quæ nam sit causa frigidæ condensantis noctis, & quis calidi & rarefacientis diei actor. Priusquàm spiritus igneus per mundi cavitatem delatus in Tabernaculum solare esset congregatus, qui ex deformibus tenebrosæ Abyssi seu umbræ horrendæ aquis, deorsum simul cum tenebris tertio die in centrum detrusis, spagyrica & suparativa verbi Divini virtute extractus erat. Atque ista igitur debet esse ratio præcipua cujuslibet condensationis & rarefactionis ad hunc usque diem: Nam ut spiritus in sole longè à nobis existens, & radios suos in se ipsum quasi respectu nostri contrahens, vel potiùs faciem suam à nostro hæmisphærio avertens: Vnde fit, ut noctes & tenebræ tunc temporis sint longæ, & dies ac lux sint breves & in calore debiles: Ita etiam commune sublunare Elementum condensationi & incrassationi est ob noxium, & ista de causa cogitur seu contrahitur aër dilatatus in consistentiam nivis, grandinis, glaciei, nubium, imbriumque frigidorum &c: Iterum,

Resolut. Theol. Tract. 2. part. 2 De opere primi diei.

cùm sol nobis appropinquat, elementum illud ita contractum iterum dilatat se: Nam ejus præsentia & calore aquæ frigidæ deveniunt calidæ, dies augentur & in calore fortificantur. Tunc (inquam) aër invenitur Rarefactioni aptus, unde tam facilé inflammatur & in naturam fulguris, coruscationis & similium (mediantibus Spiritibus Divinis) convertitur.

Hæc pro cœlorum & cœlestium per viam condensationis & Rarefactionis structura, sufficient: Iam verò ad fabricæ orbium seu regionum regni Elementaris rationem; mediantibus condensatione & Rarefactione descendam.

CAPVT. V.

Quomodò aquæ inferiores sive Elementum Catholicum, aqueum, sublunare fuerint in sphæras distinctas (quas mundani vocant Elementa) Divino Condensationis & rarefactionis actu distinctæ atque dispositæ.

CVm per præcedentia sit evidenter demonstratum, quòd universa machinæ mundanæ substantia non esset, nisi ex unica sola materia, quæ erat ex potentialis Tenebrosæ Abyssi visceribus, per spagyricam verbi Divini virtutem extracta, quam Moyses (ut relatum est) vocavit aquas; & Hermes, naturam humidam; ex quibus & per quas (uti tam Moyses, quàm Petrus ajunt) cœli erant prius & terra per verbum: Necesse est, ut sequatur, quòd ex ista Catholica aquarum massa, universale Elementum sublunare tam communiter aëris nomine insignitum, quàm illa humidæ naturæ portio, quæ dicta est æther, esset primordialiter derivata: Iam verò Generale hoc Elementum per Spiritum Ruach-Elohim quotidié alteratur & à forma in formam transformatur: Nam aquarum visibilium massa erat prius ab aëre invisibili condensatione extracta atque separata: Atque iterum ista aqua visibilis erat in terram eodem actu mutata: Nonne confirmat hoc Apostolus loco antèà citato dicens: Per fidem agnoscimus, quòd semper ita actum sit cum mundo per Verbum, ut ex ijs, quæ videri non poterant, fierent ea, quæ possunt videri? Porro Salomon dicit, mundum fuisse ex materia invisa factum seu creatum, & per consequens aquam atque terram. Sed quid opus est Authoritate sancta, cùm communis nos docet experientia, quòd aër condensatus fit nubes, & nubes fit aqua pluvialis, & glacies, quæ est de natura terræ, Boreali condensatione fit ex aqua. Porro etiam, quòd terra esset aqua & illa aqua esset aër, in eo patet, quia arbores magnæ, adustione in vaporosum fumum, & consequenter in aërem vertuntur; denique aër in ignem attenuatione minima mutatur. Quibus certum est, terram & aquas fuisse prius à re invisibili extractas nimirum ab aëre Catholico & per consequens probatur, quòd Catholicus mundi aër, quem Hermes naturam humidam vocavit, sit Catholicum mundi sublunaris Elementum, cujus mutationibus varijs quadriformis illa natura producitur, quæ communiter Elementa quatuor dicuntur, quæ revera nihil sunt, nisi unum Elementum quadriformiter alteratum: Quoniam evidens est ex prædictis, quòd Catholicus sublunaris aër est radicale subjectum & materialis substantia illarum rerum, quas mundus vocat Elementa: Atque iste aër alteratur ab uno in alterum statum per verbum seu Ruah-Elohim. Iamque nobiscum consideremus, quomodò potens iste spiritus transmutationes suas Proteoticas in una eadem homogenea invisibili aqua & tenui, humida natura aut aëre perficiat: Quo evidentius apparet unius naturæ in alteram rotatio; quæ quidem naturæ sic differentes ideò dicuntur à veteribus Elementa. Oportet ergo, ut in loco priori consideremus, quòd iste esset vivificus ille spiritus, quem Propheta invocavit à quatuor ventis, dicens: Veni spiritus à quatuor ventis & in suffla interfectos istos, ut reviviscãt &c: unde patet, quòd iste unicus spiritus Ruach-Elohim esset regalis quatuor ventorum imperator, & consequenter in ejus potestate erat aërem mediantibus organis suis ventosis, contrahere, atque iterum ipsum dilatare. Quare erat procul dubio hic spiritus & nullus alius, qui animas diversas seu diversarum dispositionum jusserat quatuor vẽtos. Angelicosque eorum præsides (quorũ est sub ipso gubernare) agitat ad aërem invisibilẽ in species varias visibiles seu meteorologicas, ubi & quando ei placuerit. Et primũ ad actum ipsius generalem ad veras aëre Catholico effigies efformandas; quod spectat: Aer, dicit Iob, subitò cogetur in nubes & ventus transiens fugabit eas. Et Propheta: Dante eo vocem multiplicantur aquæ in cœlo, qui levat nubes ab extremo terræ, fulgura in pluviam fecit & produxit ventum de Thesauris suis: Ac si dixisset verbo vel spiritu Iehovæ aër condensando reducitur in aquas, & fulgura transeunt in naturam pluviæ. Et Iob: Deus sapientiâ aptat pondus aëri, & appendit aquas in mensura, ligat densas nubes, ut non findantur, facit pluviæ statuta & viam fulgetro tonitruum. Quibus omnibus notare atque elicere possumus, quòd aër elementaris visibilis sit reale & radicale subjectum, in quòd spiritus Dei in hoc mundo sublunari ad effectus prædictos visibiles in actum producendos

Gen. 1.

1. Pet. 3. 4.

Hebr. 11. 3.

Ezec. 37. 9

Iob. 37. 21.

Ierem. 51. 1

Iob. 28. 25.

opera-

operatur: Idque ſolummodò per viam condenſationis & rarefactionis, quod quidem inſinuatur ex verbis prædictis, ubi dicitur, ſapientiam Dei dare pondus aëri: Nam condenſatione primi gradus convertit inviſibilem aërem in viſibiles nubes, & tunc per profundiorem condenſationis gradum nubes illæ in pluvias rediguntur, atque craſſior & magis unctuoſa nubis portio in lapidem durum terreum digeritur: Ita, ut ex aëre inviſibili tres viſibiles ſubſtantiæ gradus produci cernamus, videlicet nubem, aquam ſive pluviam & denſa atque ponderoſa terra, quæ eſt maſſa illa Lapis Ceraunius dicta', qui cum Tonitrui ſonitu ſeu voce eſt è nube per ſpiritum illum editus, videlicet in illo conflictu, qui fit inter naturam liquefactivam ignis & congelationem aquæ gelidæ diſpoſitionem. Iterum ex altera parte aër per rarefactionem inignem convertitur, nimirum in fulguris ſeu fulminis exiſtentiam: Atque has omnes mirabiles ſuas transformationes, de ſpecie in ſpeciem alterationes à Catholico actore ubique in aëre habitante accipit. Ita, ut ex iſtis percipiatis totum illud, quod veteres Philoſophi dixerunt, elementa eſſe nihil aliud, quàm quadruplicem unius & ejuſdem Elementi ſeu naturæ humidæ Catholicæ mutationem, cui Elemento, ſecundum quod in ſuis alterationibus apparet varié, varias & diverſas ſibi appellationes pro ſua varietate acquirit, nimirum Elementi ignis, Aeris, vel aquæ vel terræ: Haud aliter, quàm eadem aqua, ſi caleſcat dici poteſt ignis & vaporoſus aër, at in natura ſua immutata aqua, atque ulteriori congelatione glacies vel gelu vel nix vel pruina, vel lapis vel terra. Et tamen iſta omnia in rei veritate nihil aliud originaliter ſuâ exiſtentiâ fuerunt, quam aqua tenuis, inviſibilis, ex qua cætera quaſi viſibilia varia à Catholico inviſibili primordialiter eſſent teſtimonio Apoſtoli antea citato producta: Hinc verificatur vetus illud Philoſophorum: Aqua eſt Mater Elementorum, cùm revera ſit unum Catholicum Elementum, in quo omnia: Iamque principalia organa, per quæ & in quibus Spiritus iſte Divinus, mediante Proprietate diverſa mutat & variat Catholicum iſtum aërem ſubjectum in naturam quadruplicem, hoc eſt, ab una conditione & natura in aliam: Sunt venti Angelici, quos ita ordinavit ac diſpoſuit in hoc mundo, ut à quatuor quartis ſeu angulis terræ in proprietate diverſa ſpirent: Nam ut in præcedentibus eſt dictum ſecundum Doctrinam Salomonis, quòd Spiritus iſte Sanctus eſſet unicus in eſſentia, at Multiplex in proprietate aut operatione, ita quidem non niſi unicus exiſtens Spiritus (Nam Propheta dixit: Veni Spiritus à quatuor ventis) operatur in mundo quadrifariè mediantibus quatuor ventis Angelicis in Catholico aëris elemento: Nam quando ſpirat ab Aquilone, contrahit commune illud Elementum in corpus terreum, videlicet Gelu, Nivem, grandinem, glaciem. Unde Pſaltes: Deo emittente ſermonem ſuum in terram, quàm celerrimè excurrit Verbum ejus, qui edit nivem, ſicut lanam, pruinam ſicut cineres diſpergit, deijcit gelu tanquam fruſta, coram frigore ejus quis conſiſtat? Emittens verbum liquefacit iſta, ſimul ac efflat ventum ſuum, effluunt aquæ. Ex quo ſermone inprimis elicere poſſumus, quòd ſit non niſi unitum verbum, ſeu unicus Dei Spiritus, qui tam Boreali contractione, mediante ſuo frigore (ut Propheta ait) mutat ſublunare Elementum in naturam & conditionem terream, nimirum in duram & viſibilem conſiſtentiam per ſeptentrionalem Spiritum. Quare ait Iob: Ab Arcturo egreditur frigus: Flatu ſuo edit Deus fortis glaciem & latitudinem aquarum coarctat: Quam etiam Auſtrali dilatatione liquefacit ac deſtruit terenos illos effectus, quos afflatu ſuo Boreali produxit: Secundò, quòd ſubjectum, in quo operabatur ille Spiritus eſſet aër, quaſi Catholicũ Elementum, quòd per flatum ſuum Borealem mutavit à ſuo ſtatu tenero ſeu molli, levi, volatili, tranſparenti, tenui & inviſibili induram, aſperam, gravem, fixam, opacam, denſam, atque inviſibilem maſſam: Tertiò, quòd Verbum ibi loci ſumitur pro Eſſentiali Spiritu ſeu motore in ventis omnibus. Quare virtus ejus unica, mutata proprietate, tam in actu condenſationis & contractionis, quàm Rarefactionis & Dilatationis verſatur. Verùm ad iſta omnia officienda, organis ſuis Angelicis utitur, in quibus & per quæ juxta voluntatem ſuam operatur in cœlo & in terra. Vnde David: Angeli Dei faciunt verbum. Iterum, cum à Meridie emittit Spiritum ſuum, tunc Generale ſeu Catholicum iſtud Elementum redditur vaporoſũ, madidum, calidum & facilè à concurſu fortitudinis ſeptentrionalis, utcunque in minima quantitate, in nubes fumoſas convertetur: Nam flatus Meridionalis naturæ eſt ſeptentrionales deſtruere effectus: Atque ita mutua inter iſtos ventos oppoſitos concurſu ſive actione, natura media ſive occidentalis, nimirũ aquea apparebit in Elemento Catholico, nimirum conditio aquea ſive pluviæ frigida, quæ ſe habet inter aërem & terram: Quemadmodum Occidentis poſitionem videmus inter polum, Meridionalem & ſeptentrionalẽ: Sed flatus auſtralis natura, eſt calida & humida, hoc eſt in eodem ſtatu ſe habet cum Catholico aëris Elemento in ſimplici ſua natura: quod quidem ni eſſet, verbum ab illo angulo emiſſum, noluit tam facilé frigidos & ſiccos Boreæ effectus liquefacere. Prætereâ, quod Spiritus ſeu afflatus Dei, qui ab Auſtro emittitur, Elementum Catholicum varieformiter, ſed more Spirituali afficiat, Textus iſte Prophe-

Pſal.147.4.

Iob. 37. 9.

AEF.

Sap.7.

Ezech.37.9.

TERRA.

tæ confirmat: Deus ab Austro venit, operuit cœlos gloria ejus & laudis ejus plena
Abac. 3. 3. est terra: Splendor, ut lux erit, ante faciem ibit Mors. Et egredietur Diabolus vel (ut Pagninus habet) pestis ad pedes ejus. Quo arguere videtur effectus invisibiles, nimirum corruptionem & infectionem Catholici aëris Elementi, quem spiritus iste in sua ira & malevolentia emittit ab Austro.

IGNIS. Verùm cùm per organa sua ventosa Oriëtis operatur, impressiones in Catholico Elemento igneas seu æstuosas generat: Ejus enim existentiâ in naturâ & dispositionem ignis alterat, & tunc Elementi ignei Titulum ipsi ascribunt Philosophi. Hoc ex pluribus Textus sacri locis confirmare possumus: Nam, Præcepit Dominus (ut ait Hieronimus in suo translativo) vento calido &
Jonas. 4. 8. urenti, vel (ut Tremellius interpretatur) Paravit Eurum silentem, ut percuteret sol caput Jonæ, adeò, ut æstuaret, & petijt animæ suæ, ut moreretur. Et alibi:
Ezech. 16. Ventus urens seu Eurus deficcabit fructus ejus & rami ejus erunt marcore contracti. Atque iterum: Ventus Eurus aduret
Gen. 41. Amos. 4. 9. spicas. Et alibi dicit Iehova in sua ira: Percussi vos in vento urenti &c: Atque iterum: Postquam veniente Euro, vento Iehovæ à deserto ascendente exaruit scaturigo ejus & siccatus erit fons ejus. Et
Hoseæ, 2. 18. Propheta Haga: Percussi vos vento urente
Haga. 2. 18. &c: Quibus patet, quòd flante vento Orientali seu Euro Elementum humidæ naturæ Catholicum deveniat æstuosum & igneum, ita; ut inflammet & intemperie calida perturet corpora creaturarum & Vegetabilia deficcando & addurendo destruit. Ex oppositi denique latere: Venti occidentales inveniuntur experientiâ, esse naturâ & conditione oppositi Orientalibus: Nam ipsi solent Elementum Catholicum in naturam frigidam & humidam aquæ visibilis reducere: Vnde pluvias & imbres calidos proferunt: Ita, ut ex istis videre liceat, quod formalis actus in quolibet quatuor angulorum terræ Angelo (quo-
Apoc. 7. 1. rum meminit Apocalypsis) habeat virtutem essentialem ei specialiter à Deo secundum voluntatem suam; idque in instanti suæ creationis sive informationis assignatam, atque ideò in eadem proprietate operatur creatura illa Angelica in communi Elemento aquarum inferiorum, in qua voluntas spiritus creantis proprié erat, quando illam informavit: Ita ut commune seu, Catholicum Elementum quotidie de novo ab actu essentiali venti Angelici tunc temporis cum Dominio in eo spirantis informetur: Verbi gratia, si ventus Angelicus Orientalis informat illud de novo, tunc in Elementum igneæ conditionis migrat: Quoniam calefacit & deficcat per excellentiam ratione nimiæ Rarefactionis aëris: Si verò venti Angelici Australes sua fumosa spiracula in illud elementum emittant, tunc in naturam vaporosam aëris alteratur, quippe fumoso more calidum & humidum redditur. Vnde Elementi aëris vices agit: Si venti Angelici Occidentales in eo Dominium habuerint, tunc vertitur in simplicis aquæ complexionem, & sub Elementi aquæ nomine manet: Ac denique venti Borealis spiracula ipsum reddunt terreum.

Ex istis ergo immane & labyrinthicum illud dubium, quod instar alterius nodi Cordonij tam diu mentes Peripateticorum perturbaverit, nec ab ipsis fuit unquam ad hunc usque diem resolutum, potest facillimè per istam nostram disciplinam dissolvi atque enucleari: Videlicet divinare possumus, quæ nam sit forma Elementorum essentialis: Nam istâ nostrâ Philosophiâ docemur, quòd sit virtus quædam Angelica essentialis ventoso vehiculo in Campum Elementi Catholici apertum emissa, seu (sit vultis) essentialis venti flatus sive spiritus à Spiritu Dei in aërem communem, sive humidam passivam naturea emissus, ad ipsam alterandâ & mutandam secundum voluntatem ipsius, qui eum emisit ab una conditione in aliam. Porro etiam Catholicus aër ita diversiformiter animatus producere solet meteora multarum conditionum: Verbi gratia Elementum Orientaliter mutatum profert soboles sibi similes: Videlicet Meteora ignita, ut corruscationes, fulgura, cometæ igniti &c: Secundum naturam seminariorum illius spiraculi, quod ipsum de novo jam informavit: Elementum meridionale pariet vapores, nubes æstuosas, fulmina & tonitrua: Elementum occidentale pluvias & imbres gelidos & quasi niveales resolutiones: Elementum septentrionale nives, gelu, glaciem &c: Denique pro planiore dubij prædicti enucleatione sciendum est, quòd Deus vivificat omnia per solum Christum Iesum Dominum nostrum, per quem omnia: Ipse creavit organa Angelica, quos inspiravit spiritu suo, essentiali vitæ, qui spiritus essentialis in Angelis cum sit de essentia Divina, à Divinitate separari nequit. Ista ergo essentia cuilibet Angelo assignata eandem retinet voluntatem & dispositionem, quam Spiritus habuit in actu respirationis in illum: Quoniam nulla est creatura, quam ipse non fecerit propter finem ipsi Creatori optimè notum; nimirum, ut suam voluntatem in hac vel illa proprietate compleret. Hinc ergo est, quod non sit Angelus, qui habeat Dominium super hunc vel illum ventum cardinalem, sed divinus spiritus in Angelo quasi organo, qui Elementum Catholicum in hac vel illa virtute essentifica informat & vivificat. Quare certũ est, quòd Catholici Elementi unius informatio quotidiana est virtus seu actus Divinitatis ab organo Angelico per vehi-

vehiculum ventosum in commune elementum emissus & per consequens Elementi forma est essentialis & vivificus Dei actus ei ab Angelico illius quartæ, in qua spirat ventus præside inspiratus: Quòd autem interna Angeli forma sit immediatus spiritus Divini verbi vel afflatus, literæ sanctæ nos docent multis in locis: Vnde Iehova Moysi: Ecce mitto Angelum meum ante te, ne exacerbes eum, non enim feret
Exod. defectiones vestras, quoniam nomen meum est in eo: Porro dicuntur specula politissima lucem Dei suscipientia. Atque hinc est, quòd nomina eorum terminantur cum
Sap.7. El, ut Michael, Rapha-el, Vri-el, Gabri-el, &c.

At verò ad Elementum nostrum Catholicum quod attinet, scio, quòd à mundi istius sapiētibus objicietur: Si non sit, nisi unũ Elementũ, quod Catholicũ dicis, quid facies de Terra & de aqua seu mari quid putas? Nonne sunt ista Elementa distincta, quæ talia ab origine extiterunt? Hisce ergo respondeo, quòd terra erat prius de aquis & per aquas: Teste Apostolo Petro. Quare evidens est, quòd aquæ tempore præcedebant terram: atque iterum cœli fuerunt facti ante terram. Quare videtur, quòd terra non esset nisi aquarum inferiorum spagyrica verbi virtute separatarum quasi fax & sedimentum, ut ex disciplina Moysis apparet. Porro, quòd aquæ visibiles essent ex aëre invisibili per condensationem formatæ & productæ. Testatur
Hebr.11. Apostolus loco superius citato. Quare liquet, quòd mutationes rerum omnium tam visibilium quàm invisibilium efficiuntur per proprietatem sive facultatem condensantem & contrahentem spiritus Dei multiformiter agentis, & quòd reductio eorum iterum à statu visibilitatis in invisibilitatem efficitur per actum rarefacientem & dilatantem illius ejusdem spiritus in essentia, sed multiformis in proprietate actionis, & per consequens, ut aër ab eodem spiritus actu transformatur in aquam, & aqua in terram, per gradus condensationis frigoris, ita etiam actu contrario ejusdem Spiritus, nimirum per viam Rarefactionis terra mutatur in aquam & aqua in aërem; idque varijs caloris gradibus. Quod quidem nisi esset, quomodò, quæso, esset possibile, ut tot aquæ à nubibus cadentes, non indies efficerent, ut maria tumescerent & mirabiliter angerentur in quantitate, & aër é contra assiduè decresceret? Aut cur consumptis igne tot arboribus & carbonibus fossilibus non diminueretur terra? Si non esset assiduum supplementum per transmutationem aëris in aquam & aquæ in terram: quam quidem alterationem seu naturæ rotationem licet natura divina more secreto & insensibili efficiat, tamen experientia quotidiana docet, rem ita se habere: Nam quando ligna & carbones ab igne resolvuntur & consumuntur, inveniemus quidem, quod tota terrestris eorum corpulentia abit in fumum aqueum feré & in vaporosum aërem mutata erit. At axioma Philosophicum est, quòd res quælibet in primam suam materiam seu principium resolvatur. Quare manifestum est, quòd tam aqua, quàm fumus aëreus, ex quibus terrea lignorum & carbonum compositio est facta, esset prius aër invisibilis. Iterum si ista taliter se non habebant, sulphur illud, pulveres & lapides quotidie à cœlo (teste Scriptura) descendentes magis magisque indies augerent terræ molem. Sed probationes istas speculativas omittendo prædicta omnia ex instrumenti mei experimentalis observatione liquidò fat vobis demonstrare & confirmare aggrediar.

Demonstratio ocularis.

Observamus, quòd illa tota Instrumenti seu vitri Calendarij portio, quæ ab infima ejus vitri collo se ad ejus summitatem sive caput extendit, est solo aëre invisibili repleta: At in isto aëris inclusi modico varias alterationes & mutationes haud paucas virtute & actu quatuor ventorum in aëre aperto spirantium inveniuntur: Nam cum Ventus Orientalis cum Dominio spiret, tunc aër iste inclusus seipsum in collo vitri dilatat atque extendit, & aquam in ipsa frigoris virtute elevatam deorsum ad plus minusve pro ratione Dominij caloris deprimit. Quo liquet, quòd dilatans talis venti spiritus facit aërem apertum ad naturam igneam inclinare: quatenus ignis dignoscitur nihil aliud, quàm aër extremé dilatatus; tametsi revera sit exuberans formæ lucidæ præsentia, quæ per caliditatem ejus motum perpetuò concomitantem ita dilatat: At verò si ventus Australis flet, tunc etiam dilabitur aër inclusus, sed non in gradu ignis sed aëris solummodo & per consequens non depellet aquam frigore in collum vitri elevatam per tot gradus deorsum: Verùm si ventus Occidentalis Dominium in aëre libero habet, tunc aër vitro inclusus se reddet adhuc spissiorem; & ob istam rationem aquam in collo exaltatã non multum detrudit: quoniam frigiditas habet sufficientem potestatem in illo vento & per consequens aërem magis condensat, quàm dilatat. Denique si Venti Septentrionales in aëre mundano gubernant, tunc aër inclusus eò magis contrahetur & coarctabitur, & per consequens minus requiret spatium pro sua mansione, quantò frigidior erit ventorum illorum actus. Hoc in eo arguitur, quoniam, quò frigidior est ventus, eò altius elevabitur aqua in collo vitri: Vnde constat, quòd quò magis aër contra-

hitur, eò etiam magis condenſatur, & conſequenter ponderoſior redditur, conſiderando proportionem loci, in quo exiſtit: Nam aër, qui in ſua dilatatione tantum ponderavit in ſpatio ſemiulnæ, tantum etiam ponderare debet in ſpatium duorum pollicum contractus, Vt ex inſtrumento noſtro experientali colligere fas eſt.

Atque ex iſtis decernere poſſumus, quòd non ſit in veritate & radicaliter niſi unicum Catholicum ſublunare Elementum, quod aſſiduè mutari & Protei more transmutari ſolet ſecundum Angelici ſpiritus tunc temporis ab aliquo terræ angulo ſpirantis naturam & proprietatem: Vnde liquet, quòd quadrupliciter ſecundum quatuor ventorum Cardinalium virtutes & conditiones de novo informetur & alteretur: Quas quidem in uno Elemento mutationes quatuor, uti diximus, diſtincta fecerunt veteres Elemẽta æqualia tempore partus ſeu ortus & ordine exiſtentiæ, quæ rerum omnium finxerunt principia primaria. Sed apparet ex iſtis, quæ à nobis ſunt dicta, quòd iſta Philoſophorum & precipuè Peripateticorum poſitio eſt incongrua & à veritate diſſentiens, utcunque inter homines tam doctos quam ignaros diſciplinæ Ethnicorum innitentes frequens & communis ſit illa opinio.

Poſſum etiam mundi creationis myſterium per viam progreſſionis Arithmeticæ hoc modo demonſtrare.



Hîc habemus progreſſionem in mundi creatione more Arithmetico deſcriptum. 1.o denotat Vnitatem illam, quæ erat ante omnia, quæ unitas dum in ſe ipſa ſine ulla emanatione maneret activam ſuam proprietatem in potentia tenebroſa & quaſi nihilo reſervavit, atque ideò pro nihilo quo ad nos æſtimabatur: tametſi in ſe eſſet omnia complicitè: Tunc ſecunda ſeries. 2.oo arguit emanationem actualem increatæ lucis ex unitate ſeu potentia divina, cujus præſentia humida natura ex Tenebroſa Abyſſo nempe. 1.o apparebat in forma aquarum: ita ut lux & aqua quaſi activum & paſſivum Catholica ordinantur in ſerie unitati proxima. Tunc per ſpiritum igneum æterni amoris & unitatis, illæ duæ naturæ conjunguntur ſimul, ad cœlorum naturam producendam in unam compoſitionem: Nam ibi conſideratur lux per ſe & Aquæ per ſe, ac mixtum perfectum ex his, nimirum æther, quaſi igneus aër: ſeu lux & aër in exiſtentia cœli, quæ à nonnullis dicitur Quinta eſſentia, atque ſimplex iſta ex ſimplicibus mixtio dicitur à Platonicis Anima mundi: Nam ut Elementum Catholicum ſublunare eſſet formatum poſt cœlorum creationem, ita etiam dicuntur cœli animare vel per Solis actus vel mediantibus ventis Angelicis illud: Vel, ſi vultis quatuor Elementa multiformiter: quare ſeries ita ſtat 3.ooo, quaſi lux, aqua ſeu aër & cœlum: Vltima ſcala in progreſſione ad creationem mundi ſic ſtat. 4.oooo, quæ importat quadruplicem Elementi Catholici alterationem, per Dei verbum in quatuor mundi ventis die creationis tertia effectam: Erat enim elementum illud Catholicum nihil aliud, quàm aquæ regionis ſublunaris generales quadriformiter alteratæ, vel, ſi vultis ſtent 4.oooo pro quatuor Elementis.

Iſte igitur fuit mundi ſtatus increatione mundi & in eadem planè conditione manet in hunc uſque diem, & in futuro manebit, quouſque igneo examine in ultimo pereat, depurabitur.

CAPVT, VI.

In quo vera generationis & Corruptionis atque etiam regenerationis & reſurrectionis myſteria ſecundum literarum ſacrarum rudimenta atque diſciplinam pertractantur.

VT paucis & ſuccinctè principium obſcurum privativum vobis in præcedentibus expoſui; nimirum illud, quod ante ullum principium eſſet ſine forma; & per conſequens erat cauſa radicalis mortis ſeu privationis vitæ: Eſt enim reſpectu noſtri (uti diximus) ſine ulla exiſtentia: quoniam lux activa & vivificans nondum è tenebris effulſit, ſed in centro adhuc deliteſceret: Ita quidem aliud vobis principium ſpirituale veſtris conſiderationibus obtuli; nimirum Lucem è tenebris jam effulgentem, quod eſt illud ſolum, quod informat, vivificat, multiplicat & animat omnia: Dixi vobis, quòd ambo iſta principia non eſſent, niſi unica eſſentialis unitas: Nam tres perſonæ divinæ conveniebant in unitate eſſentiæ, atque ideò illa Lux erat ei tanquam tenebræ & tenebræ ei quaſi Lux: Et per conſequens patet, quòd ille eſſet,

principium

principium principiorum, hoc est, tam principium privationis & corruptionis, quam positionis & generationis; quarum unum est actus radicalis vitæ, nimirum Lux: & aliud est passivum tam vitæ, quàm mortis, videlicet Aquæ, quatenus ipsæ fuerunt é tenebris revelatæ: Vnde fit, quòd ratione tenebrarum ex ijs participant in sua passione tam de privativo, quam de positivo principio: & obhanc rationem actor in utroque extremo est ipse Deus, qui est unitas: qui abstrahendo spiritum suum vivificum ab existentia aquea creaturæ, reducit eam sub dominium privativi principij: vnde Mors & corruptio sequitur: E contra verò per continuationem & præsentiam spiritus incorruptibilis in creatura, ipsa manet virtute ipsius sine corruptione. Porro etiam, ut Deus, postquam abstraxerit suum spiritum à creatura, efficit, ut moriatur; ita quidem, remittente eo creaturæ illi eundem vitæ spiritum, facit ut reviviscat, & à mortuis resurgat. Hæc erat ratio resurrectionis Servatoris nostri in uno sensu, qui propter hanc causam primævus Resurrectionis dicebatur: & in alio sensu erat in causa, quòd Elias à mortuis viduæ filiùm relevaret, & quòd ossa Elizei fecerint Amalek interfectum resurgere: atque etiam, quod Christus Lazarum mortuum reviviscceret, uti in sequentibus latius.

Iam verò ostendam, testimonijs varijs Scripturarum stipatus; Inprimis, quòd, ut aquæ passivæ sunt utrique extremo, nimirum tam privationi, quàm positioni obnoxiæ, ita Solus Deus est radicalis agens in utraque corporis aquei passione; videlicet tam in morte & corruptione, quam in vita & generatione: Ac tum postea explicabo rationem seu modum, quomodò unaeademque in essentia Vnitas more tam oppositi operetur in aqueo omnium, rerum subjecto, nimirum per privationem mediante frigore & per positionem operante calore. Ad primum ergo quòd spectat, scripturæ dicunt: Deus vulnerat & medetur; percutit & manus ejus sanabunt: Atque iterum in persona Iehovæ: Ego occidam & ego vivere faciam: percutiam & ego sanabo: Et alibi: tu es, Domine, qui vitæ & mortis habes potestatem, & ducis ad portas mortis & reducis: atque iterum: Vita & mors; bonum & malum à Deo sunt. Quibus evidens est, quòd eadem unitas in essentia sit actor solus in utroque horum extremo: Videlicet ad mortem seu corruptionem & ad vitam & ad generationem atque etiam à mortuis resurrectionem. Pro meliori autem hujus rei intellectu scire vellem, quòd esset Spiritus Dei lucidus & omnia inactuans emanatio: seu splendor Majestatis æternæ (ut Salomon habet) vel, ut Hermes, splendor sanctus, qui mundum omnemque creaturam ejus informavit, ijsque vitam seu animam assignavit, earumque species tam diu à morte & corruptione præservavit, quam ipse more vivifico in ipsis agit. Hinc dicit Textus: Deo serviat omnis creatura, quia dixisti & factæ sunt, misisti spiritum & creatæ sunt. Et Apostolus Deus non aliquo indigens, dat omnibus vitam, inspirationem & omnia. Et Propheta: Deus dat flatum populo, qui est super terrā & spiritum calcantibus eam. Et Psaltes Regius: Vita adest benevolentiâ Iehovæ: vitæ restaurator est Iehova: Vitæ meæ fontes omnes à Iehova: Vitæ prolongatio est benignitas Iehovæ &c: Quibus apparet, quòd sit spiritus Divini præsentia, qua facit generationem, vitam, multiplicationem & præservationem. Quare etiam Iob: visitatio tua conservat spiritum meum: E regione verò ej usdem spiritus absentia à massa creaturæ aquea est causa primùm morbi, ac tandem mortis & corruptionis. Vnde Moyses: Deus malos reliquit, & abscondit faciem suam ab impijs, ut obveniant ijs mala multa & angustia: Verum enim verò rationes speciales generationis atque vitæ, & mortis seu corruptionis ac etiam Regenerationis & Resurrectionis luculentius adhuc per istum Prophetæ regij sermonem eliciuntur: Quam magnificata sunt opera tua, Domine, omnia in sapientia fecisti; impleta est terra possessione tua: Dante te illis, colligent, aperiente te manum tuam omnia implebuntur bonitate, avertente autem te faciem, turbabuntur, auferente spiritum eorum deficient, & in pulverem suum revertentur; emittente spiritum tuum, recreabuntur & renovabis faciem terræ &c: Ecce hic causam Generationis & corruptionis essentialem & radicalem expressam exactè, ab unico solo fonte æterno scaturientem: Vbi agnoscere, inprimis videtur, omnē creaturam à sapientia æterna esse factam, ibique denotat, quòd Divini istius Spiritus præsentiâ creaturæ vivant: Deo (inquit Textus) dante creaturis, colligunt & implentur bonitate (hoc est vivunt) Avertente faciem suam (hoc est vivum sui spiritus aspectum) perturbantur (hoc est, si in parte avertit aspectum seu spiritum suum à creaturis, ægrotant & infirmantur) Auferente spiritum earum (hoc est, si penitus incorruptibilem in se recipiant vitæ radium) deficient (hoc est) morientur: At si emittat iterum vitæ spiritum, recreabuntur, & renovabis faciem terræ (hoc est per remissionem Spiritus incorruptibilis reviviscent, & de novo ad vitam resurgent. Manifestum est ergo, quòd præsentiâ actione benigna Spiritus Dei incorruptibilis vita adest & continuatur in creatura: Et vice versa totali ipsius absentia mors introducitur. At partiali ipsius ablatione & contractione ipsius à circumferentia ad centrum, perturbatur & ægrotat ipsa: Nam mori nequit, quamdiu aliqua spiritus Dei incorruptibilis portio inestei,

Iudith. 16. 17. Act. 17. Isai. 42. 5. Psalm 30. 9. 1 Psalm. 41. 3. & 87. 7. Psalm. 90. 17 Iob. 10. 12. Deut. 31. 17. Psal. 103. 24. 28. 29.

ob. 5. 18. eut. 32. 39. p. 16. 13. eclef. 11. 14.

& in ea operatur : Denique si vevertetur spiritus post ejus à Creatura recessum, facit ipsam reviviscere, hominemque à mortuis resurgere : quemadmodum accidebat Lazaro, Amalakito, in sepulchrum Elizei injecto. Quibus liquet, quòd mors sive corruptio nihil sit aliud, quàm totalis spiritus incorruptibilis sive formæ essentialis absentia, vel extrema & privativa ipsius à creaturæ Circumferentia ad centrum contractio: Vnde sequitur, quod actus formalis essentialis seu radicalis vitæ spiritus est immediatè à Deo, & non ab ulla natura imaginaria, quam somniaverunt Peripatetici: idque evidenter ex loco isto scripturarum probabo: Non permanebit (ait Dominus) Spiritus meus in homine in æternum; quia caro est, eruntque dies ejus centum viginti annorum &c: Quo arguitur, quòd sit Spiritus Dei, qui facit hominem vivere: Sed quoniam sunt nonnulli hujus mundi scrupulosi, qui nolunt istam Textus illius Hieronimi interpretationem admittere: illum confirmabo verbis istis ex Iobo allatis. Si Deus apponens ad hominem animum suum, spiritum aut flatum ejus ad se reciperet, vel traheret, deficeret & expiraret omnis caro: simul & homo in cinerem revertetur &c. Ita, ut lucidè pateat spiritum esse Dei, qui vitam dat non modò hominibus, sed etiam omni alteri creaturæ. Et alibi pro hominis vitæ authore: Spiritus Dei (ait Iob) fecit me & inspiratio omnipotentis vivificavit me. Ex istis ergo omnibus constat, quod causa immediatè in generatione & vivificatione agens, sit Spiritus Dei in activa seu positiva sua proprietate & per consequens ejus absentia seu privatio, est causa ruinæ, mortis seu corruptionis: Nam quando Spiritus Domini removetur à massa corporea seu cadavere, illud relinquit informatum & quasi informe chaos, seu Terra inanis & vacua respectu speciei præcedentis, semper decrescendo & per viam Corruptionis retrogrediendo in punctum Nihili, à quo procedebat ab origine; quatenus jam nunc spiritu suo positivo & incorruptibili est privatus: Nam spiritus iste, vel penitus decedit, vel totaliter ad centrum se contrahit, manetque quoad nos otiosus, quiescens & nihil circumferenter agens.

Gen. 6. 3.

Iob.

Iob. 33. 4.

Iam verò differentia inter resurrectionem à mortuis, vel saltem à morte mortali in vitam temporalem (nam verba Christi de Lazaro mortuo erant, quòd dormiebat) & illam in vitam æternam, est ista: Nam ut est nihil, quod mortem magis impediat, quam actualis præsentia spiritus incorruptibilis; ita etiam est nihil, quòd perpetuitati vivendi magis obest, quàm corpus corruptibile aut corpus morti & corruptioni obnoxium: Quare necesse est, ut corpus illud moriatur, ut hac ratione penitus deponat impuritatem & corruptionem, & induat incorruptionem, ut mediante Spiritu Dei incorruptibili possit ad vitam æternam resurgere: quæ quidem purificatio seu mundificatio fit dispositione & solutione nodi seu vinculi Elementi alterabilis, vel secundum vos Elementorum mutabilium, & hac viâ liberando partem corporeæ commixtionis & nobiliorem à sua captivitate, ut deveniat pura & munda. Quod, cum sit factum, sequitur, ut per spiritus vivificantis unionem in æternum deveniat spirituale, juxta illud D. Pauli: Dicet aliquis, ait: quomodò resurgunt mortui? Qualinę corpore veniunt? Insipiens tu, quod seminas non vivificatur, nisi prius moriatur. Et quod seminas, non corpus, quod futurum est seminas, sed nudum granum, ut puta tritici, aut alicujus cæterorum: Deus autem dat illi corpus, sicut vult: Non omnis caro eadem caro, & corpora cœlestia & corpora terrestria: sed alia quidem cœlestium gloria, alia autem terrestrium: sic & resurrectio mortuorum, seminatur in corruptione, surgit in incorruptione: seminatur in ignobilitate, surgit in gloria: seminatur in infirmitate, surgit in virtute: Seminatur corpus animale, surgit corpus spirituale &c: Quo arguere videtur, quòd corpus debeat mori, ut eo modo corruptionem exuat, hoc est, corruptibilem impurorum elementorum portionem deponat, ut illo hoc modo spirituali reddito possit æterno unitatis vinculo in unum ligari, atque ita à re & conditione animali infirma & corrupta in naturam & statum spiritualem, virtuosam & incorruptibilem migrare. Propter istam etiam rationem fatetur alibi, quod caro & sanguis regnum cœlorum inhabitare nequeant: Quoniam in natura sua elementari subijciuntur corruptioni & per consequens nequeunt inhabitare locum incorruptibilem: Sed est purus Spiritus tam sanguinis, quam carnis, qui surgunt, postquam deposuerunt grossa sua tabernacula spiritu incorruptibili animati, qui facit vitam temperatam in creaturis temporalibus seu momentaneis, hoc est, rebus ex Elemento quadriformi alterabili compactis: At verò corporibus spiritualizatis & depuratis vitam & esse concedit æternum, quæ vita corpori naturali seu animali est contraria: uti testatur ibidem Apostolus: Nam per purificationem mutatur à corpore Elementâri in cœleste seu spirituale. Nonne videmus juxta illud exemplum, quòd granum tritici adeò exaltetur in virtute, postquam corruptionem sustinuerit & à grossis Elementi ligamentis immune sit, ut in altum ultra terræ superficiem cœlum versus elevetur? Imò verò scintilla incorruptibilitatis in eo regnantis sursùm ad patriam tenderet, si à materia Elementari non impediretur; & tamen nihilominus ita post ejus corruptionem exaltatur granum hoc, ut virtute multiplici tum posteà abundet: Quemadmodum ex multiplicatione suæ

1. Cor. 15. & 36.

1. Cor. 15. 35.

speciei

ſpeciei ratione abundantiæ illius ſpiritus, quem inducit, colligere fas eſt. Ad aliam veré reſurrectionis ſpeciem, quæ eſt temporalis, quod attinet, illa non fit æterna quia corpus nondum corrumpitur, hoc eſt vinculi Elementorum illius compoſiti adhuc non fit ſolutio, qua corpus in eo ſpirituale poſsit purificari & à fæcibus Elementaribus completè, quæ ex aquis inferioribus eliciuntur, ſeparari; ita ut corpus ſpirituale occultum non poſsit à compedibus ſuis liberari, quo vitæ ſpiritus iterum ſtrictius, comprehendatur, & vinculis cum eo æternis uniatur: Hujus ſpeciei reſurrectionis erat illa, quàm Chriſtus perfecit in Filio viduæ, cuidixit. Adoleſcens, tibi dico, ſurge. Et reſedit, qui erat mortuus: Etiam talem reſurrectionem fecit in Filia gubernatoris cujuſdam ſyagogæ, clamando: Filia ſurge & Spiritus iterum in illam venit: Huic etiam vitæ temporali reſurrexit Lazarus à mortuis: iterum mediante oratione Eliæ Filius viduæ mortuus ad vitam temporalem reſurrexit: Nam Textus ait: revertatur, obſecro, anima pueri hujus in viſcera ejus: & exaudivit Dominus vocem Eliæ, & reverſa eſt anima pueri intra eum, & revixit &c: In quo ſermone duo veniunt notatu digna: Primum, quòd iſta corpora nimirum Elementata non eſſent corrupta, hoc eſt, partes compoſitionis eorum non eſſent per reſolutionem diviſæ, licet forma ſpeciei eſſet alterata. Quare, tametſi ſpiritus reverſus ſit in ijs, tamen vitam ijs non niſi temporalem aſſignavit. Et quamvis quis objicere poteſt, corpus Chriſti non fuiſſe corruptum, & tamen à mortuis ad vitam æternam reſurrexit: Reſpondeo, quòd Textus it: Non dabis ſanctum tuum videre corruptionem; & ob iſtam rationem reſurrectionem habuit die tertio poſt ejus mortem, quoniam corpus ejus erat ſine peccato, & proinde ulteriore purificatione haud opus habuit: Nam aliter cum Moyſe & Elia non apparuiſſet in monte transfiguratus. Secundò obſervare debemus, quòd ſit præſentia Spiritus vivificantis Dei, qui efficit generationem & Reſurrectionem à mortuis: atque iterum eſt ejus abſentia, quæ mortem & corruptionem inducit: Nam ſcripturæ dicunt loco anteà citato, quòd eſſet anima pueri, quæ reverſa eſt in ejus viſcera. Et in alio loco, ut anteà, Spiritus filiæ in illam revenit & reſurgebat. Quare rectè Iob loco anteà notato, ſi Deus Spiritum ſuum ſeu afflatum ſuum ab homine reciperet, expiraret. Et David, ſi auferes Spiritum creaturæ ſeu hominis, expirat; remittente verò te ſpiritum tuum recreatur, ſeu reſurgit de novo, ſeu renovatur.

c.7.14.

Reg. 17.21.

Pſal.16.10.

Iob.

Pſal. 103.29.

Iam verò ſi iſtud generationis & corruptionis principium cum illo Peripateticorum comparaverimus, tam magnam procul dubio confuſionem in enucleatione unius, nimirum Ariſtotelicorum, quam ſimplicem & planam explicationem alterius, videlicet illius Moyſaici inveniemus. Nam ipſi generationem definiunt eſſe mutationem materiæ à forma ſubſtantiali priſtina in aliam formam ſubſtantialem: Et é contra corruptionem faciunt mutationem ſive amiſſionem formæ ſubſtantialis, quæ prius inerat materiæ, ſed nunc non ineſt eidem: Atque ita videtis, ipſos nominare quandam formam ſubſtantialem: Sed quid non rei ſit illa forma, unde radicaliter oriatur, aut quomodo ingrediatur corpora ad procurandā generationem, & qua ratione iterum ab ijs recedat ad producendam corruptionem; hæc, inquam, omnia prorſus ignorant; & conſequenter tali ſua doctrina nihil, niſi ignotum per ignotius colligimus: cum rei veritate ſecundum doctrinam Moyſaicam ſit Spiritus ſeu verbū Dei, quod informat & vivificat omnia, efficiens ſua præſentia & benevolentia tam Generationem ab Ariſtotele confuſo more ebuccinatam, & Reſurrectionem, quam nunquam per mundanam ſuam ſapientiam aut virtutem fallacis ſuæ Philoſophiæ detegere aut decernere potuit; quàm corruptionem, privationē & mortē ſua abſentia: Ita, ut in iſta mutatione creaturæ ab uno ſtatu in alium, & ab una forma in aliam, inveniremus, quòd, ut ipſa erat facta ſecundū ſuam exiſtentiam, ex Tenebroſa, potentiali ſeu uniformi materia, nimirum aquis, quas Spiritus divinus ſeu ſplendor ſanctus ſua luce actuali ijs vigorē vitalem impertiendo, informavit: ita etiam abſentia lucis iſtius divinæ omnia formantis, cuncta deveniunt obſcura, mortua, & formæ eſſentialis deſtituta, quouſque novum lumen, ſeu nova vitæ virtus ſe manifeſtet; quod lumen alicnat ſubjectum aqueum à forma & figura, quam habuit ante: Ita quidem corpus mortui ſeu cadaver eſt in ſtatu deformis chaos, eo, quòd ſolitam ſubſtantialem hominis figuram ſeu actum amiſit: haud aliter, quàm ſi Deus ſuſtuliſſet ſpiritum ſuum à mundo, omnia iterum in nihilum ſeu ab eorum activitate in potentiam divinam ſeu tenebroſam abyſſum reverterentur, qualia fuerunt prius in complicita ſua natura: Sed quando actus novæ formæ erumpit à cadavere mortuo, efficiens, ut tota ejuſdem maſſa deveniat verminoſa, tunc poſſumus dicere, quod corruptio unius eſt generatio alterius, quod ſemper eſt verum, quando materia Elementaris adeſt. Liquet ergo, quòd privatio ſit medium inter Generationem & corruptionem, & quaſi vacuum, & inane quoddam, ſeu Nihil & non Entitas inter duas formalitates.

Veleur. lib. 2. cap. 13. Com. phyſ.

Iam verò reſtat, ut myſterium Generationis & corruptionis hoc modo, videlicet progreſſione Arithmetica demonſtremus: Circa præcedentis capitis finem, quatuor fuiſſe progreſſionis gradus, ſeu

ſeries in mundi creatione expreſſimus; quarum prior 1.0. importat tenebroſam Abyſſum ſeu potentiam Divinam, in quo ſtatu omnia erant complicita in Deo: Secunda erat 2.00. denotans productionem lucis & aquarum, nimirum Vniverſalia, activa & paſſiva. Tertia 3.000 depingit ſubſtantiam ætheris ex luce & aqua mixtam, nimirum duo ſimplicia & primum ex ipſis compoſitum. Quarta 4.0000 explicat Catholicum Elementum ſublunare, ſeu aquas inferiores, quadriformiter alteratum: Atque iſta ſunt ſimplicia mundi membra, ex quibus tum poſtea omnia in mundo componuntur: Atque iſtud membrum in iſto ſuæ exiſtentiæ ſtatu uſque ad ultimum Pereat perdurabit: Hic ergo baſes omnium creaturarum compoſitarum habemus: Nam ſupet fundamentum 4.0000 reſpectu ſuæ ſubſtantiæ collocantur, ut formam ſuam à Spiritu omnia informante & ubique præſente acquirunt. Efficiam igitur Progreſſionem meam à Generatione à ſimplici Elemento, quadrupliciter per diverſos gradus alterato ad complementum perfectè mixti: Nam, ut inter terminum à qua ad quem, neceſſe eſt intercedat medium quod eſt in via ad perfectionem, ſed nondum pervenit ad illam metam: ita quidem illud medium ob eam cauſam haud improprie imperfectè mixtum dicitatur, ut pote, cujus ſitus eſt inter ſimplex Elementum, varieformiter alteratum: ſeu, ſi vultis 4. Elementa, quæ ſunt ſimplicia & abſolutè mixta. Conſtat ergo, quòd in via generationis inter Elementa & perfectè mixtum, neceſſe eſt, ut corpori Meteorologicæ naturæ occurramus: Exempli gratiâ: in Generatione hominis, principium ipſius, quod fundatur ſupra naturam Elementalem aqueam, & locum ſuum in prima generationis ſerie videlicet quinta habet ipſum ſperma: quippe, quod eſt aquea ſeu fluida ſubſtantia non niſi parum alterata: & quemadmodum in aqua integra mundi fabrica & ſemina omnium rerum complicitè continentur, & tamen nihil externè præter aquam appareat: ita in ſpermate, tametſi nihil appareat in prima ſerie explicitè præter ſperma, tamen totus homo, videlicet ejus oſſa, caro, ſanguis, nervi &c: ſunt complicitè in eo comprehenſa, & volunt gradatim ex eo apparere explicitè, nimirum in ſexta ſerie: Nam alterabitur ab humore ad ſoliditatem cum certa diſtinctione trium principalium membrorum, nempe Cordis, Cerebri, & Hepatis: In ſeptima ſerie manebit in forma Embryonis: Et octava ſeries complebit Cubum ad radicem Secundam 2. ſive Quadrati 4. (quod in Elemento Catholico depingitur per impreſſiones quatuor ventorum) ad complementum perfectè mixti in creatura humana.

Pari ſiquidem reſpectu videmus in magno mundo, quòd ſimplex Elementum, nimirum Catholicus aër, apparet externè planus & ſimplex in ſua exiſtentia & quaſi aliquod inviſibile, nihil explicitè & tamen complicitè in ſe comprehendit, nubem, pluviam, ſeu aquam, ignem ſeu fulgur & lapides ponderoſos cum Sale &c: Quæ omnia explicitè virtute quatuor ventorum apparent, ita ut vapor teneat primam generationis ſeriem, nimirum ordinem in Triangulari ſcala quintum; nubes ſextum, fulgura cum pluvia ſeptimum, & lapis Ceraunius ſeu fulminaris octavum, arguens exactam rotationem quatuor formarum ſeu naturarum ventoſarum in unam mixtionem: At verò, cùm hominis cadaver revertitur ad corruptionem, tunc neceſſe eſt, ut ejus partes procedant retro in reſolutione per eoſdem gradus, per quas procedebant ad perfectam compoſitionem, nimirum à perfecta diſpoſitione 8. ad 7. & à 7. ad 6. & à 6. ad 5. uti revertitur in muccilaginem ſpermati haud diſſimilem, atque in Naturam Elementarem diſpergitur, à qua prius eſt ortum: atque ibi incipit novam inducere formam, ſive generationem ſecundam facere in alia forma: Nam Spiritus omnia operantis eſt nunquam eſſe otioſum. Pariter etiam lapis reſolvitur in aquam, aqua in vaporoſam nubem, & nubes in aërem à quo prius eſt derivata: Qui aër eſt ſimplex illud Elementum & per conſequens non requirit ulteriorem reſolutionem. Quibus patet, quòd opus Generationis pergit præcipuè per gradus condenſationis, quibus mediantibus confirmatur vinculum compoſitionis Elementaris: Atque etiam exinde redditur manifeſtum, quòd idem Catholicum medicamentum progreditur per viam generationis de forma in formam, & de re in rem: Et quòd opus corruptionis fiat per viam Rarefactionis, nimirum reſolvendo: Quemadmodum autem in nivis, glacici & pruinæ fabricandæ ratione à ventis Septentrionalibus, & eorum iterum in aquas & vapores reſolutione per afflatus contrarios eſt explicatum. Atque ita Progreſſionem materialem, hoc eſt, alterationem materiæ aqueæ ſeu aëreæ de ſtatu in ſtatum ſeu de conſiſtentia in conſiſtentiam habetis.

Iam verò ſciendum, quòd ſolus in utroque hoc opere Artifex ſeu operator eſt Spiritus Dei: Nam in generatione emittit radios ſuos à Catholici Elementi centro ſeu ſpermatis interno, illudque movet ad perfectionem, & ſemper perſeverat in ſua actione, quò uſque perfectus homo producatur. Atque habemus à Iobo ſic confirmatum: Nonne ſicut lac Iob. 10. 10.
fuditi me, & ſicut caſeum coagulaſti me? Cute & carne texiſti me, cum vitæ benignita-

nignitatem exercuisti erga me, & visitatio tua conservavit spiritum meum? Econtra cum Dei spiritus radios suos vivificos à genito detrahit, eosque in se, hoc est, in centrum reflectit, & desijt visitare spiritum Creaturæ, necesse est, ut creatura marcescat & revertatur ad id, quòd fuit prius: Vbi iterum Spiritus idem, illam aquæ substantiam ita resolutam per novam generationem in novam convertit creaturam: Atque ita natura divina quiescit nunquam, sed semper est in actione in hoc mundo.

Demonstratio præcedentium ordinum est talis.

Simplex Trigonus compositionis mundanæ, ubi 2. hoc est, Lux & aqua est radix & 3. Vnio amborum in animam mundi.



Progressio à quadrato Elementorum usque ad cubum compositionis.



Basis Trianguli compositionis mundanæ, quæ est radix generationis, quæ est à quatuor Elementis seu Elemento quadruplicite alterato.

In Rhomboide ista gradus generationis & corruptionis in unica scala clarius explicantur; in qua quatuor Elementa manẽt in eadem simplicitate substantiæ, qua creata sunt complicité in natura aquea seu Elemento Catholico dicto aëre: Est origo A. B. radix à qua generatio surgit usque ad periodum perfectæ compositionis, qui est in numero C. D. idque per quatuor gradus alterationis, quæ series ex 8. est initium corruptionis, ut supra.



A serie C. D. incipit motus corruptionis descendendo gradatim vel per quatuor gradus usque ad simplicitatem Elementi quadruplicis. A. B. ubi cessat motus corruptionis & incipit de novo novæ generationis motus; progrediendo à sursum A. B. seorsum ad C. D. ut anteà.

CAPVT, VII.

Quod Deus contra Aristotelis aliorumque philosophorum assertiones non agat necessitate coactus in hoc mundo sed ex proprio suo velle & secundum benignam suam inclinationem.

ILlud proprié vocamus Necessarium, quod aliter se habere nequit; ex altera verò parte illud tam voluntarium, quàm casu fortuitó contingens æstimamus, quòd aliter se habere potest. Iam verò magna orta, est inter Philosophos Ethnicos disputatio, utrum Deus operetur in hoc mundo voluntariè, vel necessitate quasi coactus:

Major autem eorum pars sentit, quòd Deus necessitate & non motione aliqua voluntaria agat & operetur in hoc mundo, tam bene in rerum generatione & conservatione, quàm in earum corruptione & ruina: Quod quidem si ita esset, sequeretur necessariò, quòd actus talis in Deo involuntarius, procederet ab æterno à Natura alia Deo potentiori, quæ fuit aut coæterna cum ipso, aut ei præexistens, aut saltem, quòd ab aliqua sua creatura esset ad hoc vel illud contra voluntatem suam perficiendum coactus atque exagitatus. Quod omne, quàm sit erroneum atque à veritatis centralis regulis extravagans, ego vobis paucis enarrabo: Nam in loco priori, quid (obsecro) est ipso Deo antiquius aut ei coæternum? Nonne ipsius est ante omnia extitisse? Anne quicquam in Geometria tempore aut ordine ante punctum aut in mensura ipso minus? Ecquis omnium Arithmetices numerorum aliquis unitate vetustior? Vnde necessariò sequitur, quòd Deus sit liber & voluntarius in suis actionibus, cùm ipse sit & semper fuerit ex & in semet ipso, existentiam suam habuit ab æterno sine ullo ad aliquod vel præcedens vel coæternum principium respectu, atque ideò erat in & ex se ipso sufficiens ad operandum & perficiendum, per se, sine ope alterius ab omni æternitate. Verùm rationes opinionum istarum Ethnicorum se habent bifariam: Nam in loco priori sciendum, quòd Deus virtute & essentia propria & non acquisita aliqua potestate operetur: Deinde, quia effectus in hoc mundo videntur esse necessarij, atque hinc inde concludunt, quòd non possint provenire ab aliqua causa Fortuitò contingente, vel voluntaria alicujus alterius: Ad primum quòd spectat, arguunt (ut mihi videtur) in eo contra se ipsos: Nam, ut ille agit in sua propria essentia vel personaliter, evidens est, quòd à seipso moveatur & per consequens non ab ulla externa coactione & impulsu seu necessitate interna: Prætereà unitatis latitudo nullam admittit compulsionem, aut contra voluntatem motum, quoniam unitas pati non potest. Porro etiam non est possibile ut Deus ad operandum mediante aliquo extraneo vel alieno efficiente urgeatur, quatenus ipse ab origine manens fixus, constãs & firmus, in se & per se solus operatur quasi originalis omniũ rerũ fons idque per se ipsum, emittens radios vitæ formales secundum placitum suum, eosque iterum in se vel contrahendo sive abstrahendo, ubi & quando vult. Ad secundum dico, quòd effectus necessarij nullo modo solent necessitatem in prima efficiente causa includere: Quia causæ secundariæ, quas Plato cum alijs vocat Ancillas & servas, mandata ipsius ordine necessario exequi tentant, ad illud opus ab eo agitatæ, qui est omnis multitudinis unitas, & consequenter omnia in omnibus, ita ut necessitas in rebus hujusmundi creatis, genitis & corruptis dependeat in voluntate & libero mandato illius, qui eas creavit: Hoc autem à fonte veritatis habemus sic confirmatum. Ignem mitescit, ne combureret, modo ignem ille facit ardere inter aquas. Quo liquet, quòd Deus non agat super ignem & in eo necessitate coactus, sed secundum placitum suum. Porro etiam, quando tres servi Dei non obstante ignis violentiâ in fornace ignea intacti & sine læsione ambulaverint, ibi Deus ex libera sua benevolentia est contra aut necessitatis per quindecim horologij gradus, aut consuetudinis leges operatus. Porro etiam solem fecit in cœlo fixe stare tempore Iosuæ, atque iterum in suo motu retrogredi regnante Hezekiâ contra naturæ cursum & per consequens non ex necessitate, nec coactus. Et admirabilis totalis illa solis Eclipsis, quæ tempore passionis Salvatoris mundi accidebat, præter expectationem & capacitatem Astrologorum & Naturalistarum eveniebat: Vt pote incujus instante Luna nec in capite, nec in cauda Draconis reperiebatur: Vti testatur magnus ille Astrologus Firmicus: Vnde evidens est, quòd illud via non naturali aut necessitate ad mundi naturam præservandam aut sustentandam fuisset factum: Hi (inquam) effectus omnes nullo modo produci potuissent, si Deus necessitate ad hujus mundi gubernationem egisset: Vnde manifestum est, quòd Deus secundum liberum suum arbitrium operetur in hoc mundo & non coactus. Sed accedito & auscultate parum (vani ô vos Philosophi, qui Deum actorem & ordinatorem omnium esse legibus & vinculis necessitatis obligatum creditis) quam, obsecro, gloriam aut honorem ei potest homo pro sua sapientia, justitia & clementia attribuere, si esset contra voluntatem suam ad ea præstanda, quæ facit coactus? Videlicet si necessitate nescio qua res omnes sive creare sive Generare sive quippiam aliud secundum hanc vel illam effigiem formare, sed etiam Ens nutrire & præservare atque ipsas finaliter ad corruptionis metam perducere, urgeretur? Quas, inquam gratias, aut quem vultum, aut adorationem ipsi deberemus, si quid faciet in hoc mundo coactè & ex impulsione? At cur nos monet Aristotelesipse (si hoc esset juxta ejus intentionem verum) quòd sacrificia radicibus naturæ offerremus? Aut quid nobis mortalibus utilitatis afferet preces & supplicationes nostras quotidianas coram Deo pro hoc vel illo beneficio futuro effũdere? (quod nihilominus officiũ Plato, Porphyrius, Iamblicus & Proclus docent esse per quam necessarium) si precibus propitiari & placari nequeat in sua iracundia, ut pote qui (si ipsis credere fas sit) necessitate & contra voluntatem suam agit? Aut cur solebant Socrates & Pythagoras (qui juxta oraculi testimonium erant seculi eo-

Sap. 16. 22

ruin

rum ſapientiores) Deum quotidie orare, ſi ipſe ageret omnia coactus & non ſecundum voluntatem ſuam? Aut cur publicavit Propheta: quòd Deus ſit ſolus inclamandus & deprecandus; ſi ulla in Deo eſſet neceſſitas, ut operaretur in Generatione & conſervatione rerũ? Imò quidem perſpicue ex iſtis, quæ dicta ſunt declaratur, quòd Deus mediantibus hominum orationibus communiter ad miſericordiam inclinetur, & quòd ſit in libero ipſius arbitrio vel in ſeveritate vel in clementia agere cum iſto mundo & creaturis ejuſdem, & per conſequens patet, quòd minimè ad hos vel illos in mundum effectus vel creatione vel generatione vel corruptione producendos neceſſitate agitetur: uti falſò & more planè Atheiſtico tradiderunt nonnulli Philoſophi Ethnici, interquos unum ex diſcipulis Ariſtotelis mundo & præcipuè medicis (quippe medicorum facile principem inter Ethnicos) optimè notum, nimirum Galenum nomino, qui ſatis inconſultè in iſta verba loquitur, Moyſes arbitratur Deum omnia poſſe facere, etiam ſi ex cineribus bovem aut equum facere velit. Nos autem non ita ſentimus, ſed confirmamus, quædam Naturam facere non poſſe, eaque Deum ne aggredi omnino, ſed ex his, quæ facere poteſt, quod melius eſt, eligere. Iam verò cùm pilos in palpebris ſtatuiſſet æquales ſemper eſſe magnitudine & numero: non ipſum quidem hoc voluiſſe affirmamus, illos mox factos fuiſſe; neque enim id facere potuiſſet affirmamuſque, ſi millies voluiſſet, nunquam tamen tales futuros, ex Ente molli producti fuiſſent &c: Ecce quam Atheiſticè vir iſte temerarius loquatur, & quomodò Dei omnipotentiam reſtringere, actioneſque ipſius limitibus terminare, intolerabileque Neceſſitatis jugum atque impotentiæ notam ei imponere velit.

De uſu partium lib. 2. cap. 14.

Sunt tamen nonnulli alij Philoſophi, qui modeſtius adhuc in iſto negocio ſe gerunt: Nam Avicenna affirmat, quòd iſtæ in Deo actiones neque neceſſitate neque more violento aut coactione fiant, ſed in mediocritate inter ea conſiſtant: atque ideò concludit, quòd ſit in voluntate agentis: In qua ejus reſolutione videtur non multum à ſcripturæ ſacræ ſenſu variare, quæ in hanc cadit ſententiam: Quòd Deus caſtigaverit nos propter iniquitates noſtras, & ipſe ſalvabit nos propter miſericordiam ſuam. Quo arguitur, quid ſit libera in Deo voluntas ad puniendum & ad miſericordiã afficiendum. Verum hoc adhuc planius hiſce in verbis exprimitur: Deus juxta voluntatem ſuam facit tam in cœli virtutibus, quam in habitatoribus terræ. Quibus arguit propheta, quòd quælibet in hoc mundo operatio juxta voluntatem atque in & per verbum omnipotentis perficiatur: atque ideò non neceſſitatè, ut Ariſtoteles, Galenus & multi alij ex Ethnicis ad derogationem Virtutis Divinæ & diminutionem Omnipotentiæ ipſius. Sed, quod ſit Neceſſitas indubitata in cauſis organicis, & in effectibus, qui procedunt ab actibus Divinis, nihil in mundo planius, nihil in rerum natura certius. Vnde Propheta Baruch: Deo obediunt per omnia Sol, Luna, ſydera, fulgur, ventus, nubes &c: Hoc eſt à Verbo ipſos inhabitante incitantur & neceſſitate rapiuntur ad faciendum placitum divinum. Non ergo ſequitur, quòd ipſe, qui radicaliter imperat, poſsit ullo modo cogi, ut in imperio vel Dominio ſuo ſic vel ita agat, ut pote qui primordialiter agit, hoc eſt, primus & unicus exiſtit in mundo motor: Non enim alium vel ante ſe vel ipſi coæqualem habet agentem: & conſequenter voluntariè & ex libero ſuo arbitrio operatur: Atque hinc ait Apoſtolus: Voluntati Dei quis reſiſtit? Et Propheta: conſilium meum ſtabit & omnis voluntas mea fiet. Et Iob: quodcunque voluit, hoc facit. Quare manifeſtum eſt, quod ipſe non operetur involuntariè aut ex Neceſſitate, ſed ſecundum placitum ſuum.

Daniel 4.

Baruch. 3.

Rom. 9. Iſai. 46. 10.

Concludimus ergo, quod, ut neceſſarium ſit illud, quod aliter evenire nequeat, ſed debet ita eſſe ex neceſsitate, ita illud, quod eſt contingens poteſt aliter accidere & effici. At verò voluntarium eſt neutrum ex iſtis extremis: Iam verò, quòd actus Dei in hoc mundo ſunt voluntarij & conſequenter vinculis neceſsitatis minimè ligati, in eo probatur: quoniam res aliter ſe habere poteſt, quàm in ſtatu naturæ conſtituto: ut, quando voluntas Dei eſſet, quod Sol ad perpetuum motum deſtinatus in cœlo fixe pro aliquo temporis ſpatio maneret; & quòd ipſe (nullo Epicyclo præditus, ſed ut æternum in via ſua progrederetur ordinatus) in itinere, ſuo retrogrederetur, aut ut Eclipſin ultra naturæ rationem pateretur, Luna (dico) à lineæ Eclipticæ vel ſeptentrionaliter vel Meridionaliter aberrante, hoc eſt, in nullo annalium interſectionum puncto, nimirum nec in capite nec in Cauda Draconis exiſtente, &c.

Tob. 13. 5.

PHILOSOPHIÆ MOYSAICÆ, SECTIONIS PRIMÆ, LIB. V.

Hujus libri Argumentum.

Poſt quam Author radicalem duarum eſſentialium proprietatum, videlicet caloris & Frigoris naturam expreſſiſſet, & partim rationibus Philoſophicis atque ſacrarum literarum teſtimonio, & partim demonſtratione oculari probaſſet condenſationem & Rarefactionem fuiſſe evidentes earum effectus, quibus mediantibus cœli orbes atque Elementi inferioris regiones erant fabricatæ, & locis decentibus diſpoſitæ: Progreditur ipſe jam in libro hoc præſenti ad impreſſiones illas Meteorologiæ deſcribendas, quæ primi ſunt compoſitionis gradus, indicando, quòd ipſarum fabricandi ratio conſiſtit in Spiritus Divini in Elemento communi ſublunari actibus: Et conſequenter probare aggreditur, quòd eorum cauſæ non à fontibus Meré adventitijs & principijs externis oriantur, uti Peripatetici falſò imaginantur: Propter iſtam etiam rationem ipſe Meteorologicam Ariſtotelis Doctrinam cum illa Biblij ſacri comparat, & finaliter reducendo ipſius de impreſſionibus aëris Philoſophiam, ad Lapidis Lydij ſeu veritatis examen, ipſum metallum falſum & ſpurium; imò verò non niſi meram metalli ſpumam atque fæcem reſpectu aureæ veritatis deprehendit.

CAPVT. I.

In iſto capite diſcurſus præcedentis repetitionem paucis invenietis, atque equidem etiam vocabuli Meteori expoſitionem habetis. Porro etiam methodum, quam Author in iſto libello intendit, ex eo elicere fas eſt.

IN diſcurſu meo præcedenti principia ſolummodò, ſive primarias rerum omnium radices in dicavi, hoc eſt, tenebroſam & potentialem unitatem, atque illam lucidam atque actualem; & dixi vobis, has duas unitates non eſſe niſi rem unicam in eſſentia, quatenus lux erat æternæ unitati, ut tenebræ: & vice verſa, tametſi debili noſtræ capacitati Proprietate invicem oppoſitæ videantur: Tunc dixi, quòd unitas Tenebroſa virtute ſua lucida faceret, ut aquæ ex Nihilo comparuerint: Inde arguendo, quòd ab iſta unitate & per iſtam unitatem & in iſta unitate eſſent, ſint & fuerint omnia: Deinde probavi, quòd aquæ eſſent principium omnium rerum paſſivum ſeu materiale, ut è regione illuminans ille ſpiritus, erat inactuans ſive informans cujuſlibet eſſentiæ initium: Et quòd ambo principia iſta ab unica ſolummodò radice ſeu ſtirpe originem ſuam deduxerunt, quæ ob hanc cauſam ritè dicitur omnia in omnibus: Poſt hæc narravi, quòd Frigus eſſet eſſentiale Privativæ quieti adhærens, & quòd eſſet ſoboles & Agoniſta fortiſſima Tenebrarum: Vt è contra quòd Calor eſſet filius & Athlera magnanimus motui & actioni lucis Eſſentialis, ad ejus mandata præſtanda ſemper paratus. Ex preſſi etiam vobis, quomodo Humiditas & ſiccitas ſuas à mutua prædictarū proprietatum calidi & frigidi præſentia ſeu abſētia habuiſſent origines: Et in ultimo loco rationē modūque actuū condēſationis rarefactionis expoſui ſimul atque indicavi, quòd ſubjectum commune, in quod operantur, eſſet aqua; Actorem verò quem in tali operatione radicalem expreſſi fuiſſe verbum ſeu Spiritum Dei, qui agit primùm in organis ſuis Angelicis per ſtellas & præcipuè ſolem & ventos, in Generali Elemento ſublunari, juxta voluntatem ſuam, illud alterando quadriformiter ſecundum formales quatuor ventorum proprietates: Idque vel per viam condenſationis vel Rarefactionis in varias ſpecies, figuras & diſpoſitiones. Iam verò in iſto libro vobis modum ac viam veriſſimam (ut pote, quæ conveniet totaliter cum hiſtoria ſacra) aperiam, quomodò Verbum ſacroſanctum ſeu benedictus Dei Spiritus corpora omnia Meteorologica in Elemento aëris Catholico virture & actu condenſationis & Rarefactionis produxerit: Sed priuſquam in iſtum meum diſcurſum deſcendam; operæ pretium fore exiſtimo, ut declaremus, quid Philoſophi per Meteori vocabulum intellexerint: Illæ apparitiones, quæ videntur in aëre, dicuntur à Græcis Meteora, non quidē reſpectu eſſentiarū ſuarū, ſed ratione ſublimitatis ipſorum in poſi-

Positione: Alij illa magis proprié nominant impressiones, quatenus superius imprimuntur & formantur in Elemento Catholico aëris. Sed respectu existentiæ eorum magis ad huc proprié dicuntur corpora imperfectè mixta: Idque aut ratione generationis ipsorum in expectatæ subitò apparent & procreantur: Aut quia eorum compositio non videtur esse juxta mutationem substantiæ, aut alterationem qualitatis: Aut quatenus non sunt tam exactè, ac sunt cætera corpora animata, quæ sunt perfectè mixta; aut denique impressiones dicti tantur, quatenus formam adhuc completam minimé acceperunt, nec magna videtur esse in tali mixtione alteratio partium, quatenus membra Elementi sic alterati sunt ad invicem confusa. Vt cunque apparet, quòd talia nomina hujusmodi impressionibus secundum placitum & intentionem Philosophi assignantur, cùm rei veritate sint magnalia Dei, seu corpora mystica digito Dei in sublunari Elemento ad voluntatem divinam in terra formata & fabricata, sive ad judicium sive ad misericordiam perficiendam: Quemadmodum infra latius declarabitur: Ita, ut in hoc sensu haud injuriâ vocari possint characteres aut signa vel benignitatis & misericordiæ, vel vindictæ & severitatis nuncupari queant: Propositum ergo meum est in Historia Meteorologica mea, ut vos in veram viam sapientiæ syncerè dirigam, quo certiori judicio possitis mysterium tam magnum, ac est scientia Spiritus Dei Meteorologica enucleare atque intelligere, vos que è lutoso Philosophiæ Ethnicorum cœno, cui mundus Christianus per tot secula præterita, atque etiam in hunc usque diem non nisi summo ipsius dedecore tenaciter in hæret. Quod quidem, ut melius perficiam, falsæ Peripateticorum Philosophiæ errores ac absurditates cum infallibili textus sacri veritate per integrum tractatus hujusce mei filum comparabo, ut exinde quilibet sibi constans Christianus trutinis seu lance justitiæ ponderans illas contradictiones immanes, quæ inter unam atque aliam inveniuntur, possit tum posteà virtute clariori oculisque sui intellectus apertioribus Doctrinam meliorem discernere, eamquæ cum synceritate sequi: Dereriorem verò evitare & in æternum exilium ab eorum memoria relegare: Se totum, inquam, veritati scripturarum sacrarum addicere & præstigiosam Philosophiæ Peripateticæ summo opere effugere, & (ut verbo, quod velim aperiam) ut mente pura & erecta magnam illam differentiam decernat, quæ est inter sapientiam istius mundi ab inventione humana parta, & per consequens teste scriptura nihil præter meram stultitiam atque illam à Deo procedentem, quæ est realis & essentialis veritas: Atque ex istis paucis meam in hoc libro intentionem, ordinem & methodum lucidé percipere potestis.

CAPVT. II.

Hoc in capite integrum ventorum mysterium juxta Spiritus divini intentionem enucleatur: & è regione spiritus falsus atque præstigiosus Aristotelis ac Peripateticorum Christianorum de eo subjecto, detegitur atque explicatur mundo.

VT differentiam illam, quæ est inter falsam sapientiam & Philosophiam veram, & essentialem, luculentius Explicare queam, mihi in priori loco est propositum sectæ Peripateticæ opiniones exprimere & tum posteà eas lapide Lydio Divini verbi sive scripturæ sacræ examinare, ut exinde colligamus, utrum Doctrina eorum sit sana & realis nec ne. Iam verò, quoniam (uti dictum est) quatuor venti Cardinales cum suis Præsidentibus Angelicis sunt actores organici in Elemento Catholico, sive a quis sublunaribus, ut pote, qui ipsas de natura in naturam, de statu in statum mutant; operæ pretium fore existimo, historiam seu discursum istum meum à profundissimo ventorum Generalium mysterio incipere: Quatenus ipsi observantur esse omnium aliorum Meteororum campi aërei sive Elementi Catholici principia. Et primo ordine explicabo, quid Peripatetici Ethnici & Christiani eorum discipuli de ijs sentiant. Philosophorum Peripateticorum est opinio, quòd ventus sit calida & sicca exhalatio difficulter inflammata ex terra ad mediam aëris regionem usque ascendens, à qua tum posteà immediatè, deorsum, virtute impulsiva frigoris loci repercussa, atque iterum nitendo sursum tendere, partim respectu suæ levitatis & partim ratione aliarum exhalationum ascendentium, quibus in motu suo deorsum occurrit, lateraliter in infima aëris regione moveri cogitur: Quem quidem aërem ventilat & agitat, ne propter motus ipsius defectum putresceret. Hic est integer opinionis ipsorū de ventorum generatione sensus. Quare ego huic descriptioni Peripateticorum de vento in sistam. Primùm quoniam spurij Philosophi Christiani, ac si effrena quasi dementia essent perciti, meliori ipsorum conamine istam, Aristotelis opinionem, tam in scholis suis publicis & privatis negotiationibus, quàm scripris maturio-

tucioribus tantâ confidentiâ & audaciâ defendere ac sustinere conantur, ac si esset Divinitus mundanis annuntiata, aut à sacro veritatis oraculo edita ac publicata. Secundò, quia locus, in quo imaginaria ista exhalatio dicitur generari est Terra, & sedes, ad quã juxta ipsorũ Doctrinã ascendit, est media aëris regio, in quam ratione intemperiei ejusdem frigidæ non permittitur penetrare: At verò medium, in quo movetur naturaliter sursum; & per compulsionem deorsum seu contra naturam, ac tandem per luctationem & resistentiam aliarum exhalationum ascendentium, lateraliter, hoc est, versus dextram vel sinistram movetur, est infima aëris regio. Tertiò, quia asseverare videntur per illam suam descriptionem, quòd agens, motor seu causa efficiens istius exhalationis, qua mediante, ipsa tum sursum exaltatur, tum deorsum pellitur, tandemque collateraliter cogitur, sit triplex calor solaris & Astralis attractivus, qui eam elevat, mediæ aëris regionis Frigiditas, quæ eam pellit deorsum Terram versus, & colluctatio aliarum exhalationum, assiduè è terra ascendentium, quæ fumo ita deorsum pulso occurrentes, faciant, ut ipse lateraliter tendat, dicantque quòd ex harum exhalationum tam ascendentium, quàm descendentium luctatione & contentione, simul atque motu laterali fit ille in aëre aperto strepitus, qui vocatur ventus. Atque hoc est ventosum illud Peripateticorum figmentum, quod debita examinatione præ unte, apparebit non nisi aquæ bulla; imò quidem quippiam vento levius, hoc est, meré verba sine substantia: Iam verò causa finalis, cur eorum natura has ventosas motiones in aëre constituerit est (uti ex ipsorum descriptione constat) ut mediante tali ventilatione aër possit purificari, purgari & à putredine præservari. Sed quicunque fidem Ethnicæ huic definitioni adhibebit, præsertim si sit veræ sapientiæ amator, ipsum moneo, ut quodlibet particulare ejusdem membrum examinet prius, quò melius discernat, an veræ sapientiæ & rationis legibus conveniant nec ne.

In serie igitur priori cum diligentia observari debet, an in primo descriptionis præcedentis membro ulla veritatis probabilitas sit reperienda. Ex ea docetur, quòd materialis venti substantia sit calida & sicca Exhalatio è terræ visceribus exurgens: Sed à pagina sacra (cui in primis & super omnia credere debent Christiani) instruimur, quòd ventus habeat suum ortum sive
Exod. 15. 10. originem à spiritu seu spiraculo Iehovæ. A flatu narium tuarum (inquit Moyses) coacervatæ sunt aquæ, flavisti spiritu tuo &
Iob. 37. 10. operuit eas mare. Et Iob: Glacies edit Deus vento suo, flante Deo concrescit gelu.
Iob. 28. 25. Et alibi: Deus fecit ventis pondus. Et Psaltes Regius: Qui facit Angelos ventos &
Psalm. 103. 4. ministros suos ignem urentem. Atque hinc est, quòd quidam in mysterijs veræ naturæ profundis, versati, asserunt, externum Angelorum esse aërem, seu subtilem humidam mundi naturam: Eorum verò internum seu portionem formalem agnoscunt esse Divinum ignem; atque propter istam rationem Dionysius vocat Angelos Algamatha, hoc est, specula politissima, quæ recipiunt splendorem sive lucem Divinam: Vnde dicitur, quòd imaginem creatoris repræsentent. Quare Propheta loco anteà citato describere videtur ventum tam occultum, quàm visibilem; arguitque ignea eorum pars, quæ manifestè apparet in forma Fulguris, esse Angelicum spiritum Divino igne, seu lucida Dei animatione animatum. Quibus rectè consideratis aut oportet nos concludere, quòd spiritus è naribus seu ore Iehovæ sit calida & sicca exhalatio, passionibus præternaturalibus ob noxia & è terræ visceribus orta (quod quidem ex ore Christiano prolatum pijs apparebit profanum) aut quòd istud Peripateticæ descriptionis membrum sit falsum & errabundum: Sed hoc totum clarius ex membrorum sequentium examinatione patebit.

Per secundum ejusdem definitionis membrum intimare nobis videntur Peripatetici, quòd locus, in quo exhalatio illa, quæ est causa venti materialis generatur, & à quo derivatur, sit ipsa terra, sed sedes ad quam tendit est media aëris regio, & quòd medium sive spatium, in quo movetur tam sursum & deorsum, quàm lateraliter est infima aëris regio: In quaquidem istius Ethnici Philosophi assertione, evidenter probabo varios & grossos & absurdos reperiri errores: Sed, ut inquisitionem istam nostram magis strictè atque efficaciter perficiamus, erit (ut mihi videtur) necessarium, membrum sive clausulam istam in tres partes distinguere: In quarum priori sedulò considerare debemus, an causa ventorum materialis extrahatur ex terra nec ne. Secunda, an illa substantia fumosa sola tendat sursum, viamque suam ad concavam regionis mediæ aëris superficiem solummodo faciat. In posteriori vel tertia, utrùm locus, in quo ventus movetur, sit tantummodo infima aëris regio. Ad priorem quæstionem asseveramus confidenter, quòd aut sacræ scripturæ (quæ sunt veritatis fontes) sunt erroneæ & veritati haud congruæ; aut quòd ista secunda membri particula debet esse falsa & omninò veri-
Iohan 3. 8. tati dissentanea: Nam D. Iohannes habet: Spiritus ubi vult spirat & vocem ejus audis, sed nescis, unde veniat, aut quò vadat &c: Quæ quidem Euangelistæ verba, si rectè & cum diligentia à sapientibus examinentur ac ponderentur, concludere viderentur, quòd Aristoteles, qui erat infidelis & Ethnicus, profundius in Divinis Dei ac naturæ mysterijs esset versatus, quam Euangelista, qui erat verus ac syncerus

Chri-

Christianus, & tunc sequeretur, quòd aut D. Iohannes esset in sua disciplina errabundus & mendax (quod quidem affirmare non modò in Christiano foret dedecus, sed maxima & profana impietas) Aut Aristotelis assertio debet esse falsa, ut pote veritati omnino contradictoria. Aristoteles dicit, quòd materia venti movetur sursum à terra, & ascendit usque ad mediam aëris regionem, à qua virtute frigoris deorsum pellitur. Sed D. Iohannes ait, quòd ventus non coactione seu violento motu moveatur, nec ab accidentali & externo aliquo impulsu agitetur, sed voluntariè & secundum suum placitum sive appetitum: Nam spiritus (ut ait) spirat ubi vult &c: Ista Evangelistica Doctrina, quæ tam immaniter à sententia Aristotelis differt, varijs alijs Biblij sacri testimonijs statuminatur: Nam Psaltes Regius cum Prophe- tem. 51. 15. ta Ieremia dicit: Depromit ventos è Thesauris suis. At alibi probant scripturæ, terram non esse arcam Dei Thesaurariam: ut. 28. 32. Scribitur enim: Aperiet tibi Iehova Thesaurum optimum cœlos, dando pluviam terræ suo tempore &c: Non dicit terram sed cœlos: Ita, ut inter hæc duo sit tanta discrepantia, quanta inter noctem & diem. Quare evidens est, quòd cœlum sive Catholicum aëris Elementum sit secreta arca Dei, in qua omnia Meteorologica Dei Magnalia aut mirabilia Meteorologica reconduntur & reservantur. Atque hinc alibi: Ianuas cœlorum aperuit Deus, pluens al. 71. 29. mannam &c: Preterea est res tam difficilis pro mortali lumine, qui spiritu sapientiæ non illuminatur ad arcanum istum Thesaurum Dei inveniendum ac detegendum: b. 38. 22. Quòd Iehova Iobum etiam ipsum virum justum & Deum timentem, & multò magis vanos istius mundi Philosophos, qui verbum Divinum penitus ignorârunt, indigitans in his verbis alloquitur: Perveniistine in Thesauros nivis & in Thesauris grandinis inspectionem habes? &c: Hinc inde arguendo, quòd, nisi Spiritus ejus ei revelasset Thesaurum suum, impossibile ip. 9. 15. esset, ut eum cognosceret: Atque hanc ob causam Salomon: Corpus in fecum corruptione aggravat animam, ac vix conijcimus ea, quæ in terra sunt; quæ autem in cœlis sunt, quis investigavit, nisi tu dederis sapientiam &c: Iam verò Salomon est fassus, se cognovisse vires Elementorum & potestates ventorum & per consequens radicalem ipsorum originem: Nam ap. 7. a. 17. sapientia, inquit, omnium artifex me docuit sapientia: At spuria Aristotelis Doctrina, ejusque Ethnica & mundana sapientia arguit, ipsum ad sapientiæ Thesaurum, qui est de Deo attigisse nunquam. Sed procedamus ad secundum dubium, quòd est, an juxta intentionem Aristotelis materia venti radicalis sit de terra, & utrum primus ipsius motus sit à Terra sursum. Vir siquidem in Mysterijs naturæ Aristotele longè doctior huic quæstioni sic respondit: Venti viam, ait, ignorat homo, opus ipsius Dei, qua viâ faciat hæc omnia: At Aristoteles fuit homo, imò ve- Eccles. 11. 5. rò homo Ethnicus, & per consequens cò indirectius potuit de rebus tam abstrusis judicare: Quare Iehova audaciam istiusmodi sapientis mundani deridens, & ipsum quasi pro arrogantia sua reprehendens sic in persona sua dixit. Nostine, ubi sit Iob. 38. 24. tua, in quo dividitur, exhalatio, quæ spargit ventum super terram? Inde arguendo, quàm erat impossibile pro viri mundani capacitate talia concipere aut intelligere, nisi per Spiritum Disciplinæ Sanctum doceatur: Sic enim edoctus erat Adam, Salomon & multi alij, ut in libro sapientiæ invenitur: Et tamen Aristoteles, videtur Deo satis impudenter respondere dicendo. Ego viam & ortum venti intelligo: Nam ortus ipsius est de terra sursum mediam usque aëris regionem, à cujus frigore iterum deorsum pellitur, & obveniendo in via descensus sui alijs exhalatonibus successive, ascendentibus compellitur movere lateraliter super faciem terræ: Verum ego hujus rationis impossibilitatem per ea, quæ in posterum immediatè sunt dicenda, ostendam.

Ad secundam & tertiam hujus clausulæ partes dico, quòd medium, per quòd venti moventur & vehuntur, est longè vastius, & largius, quàm est illud, ei ab Aristotele assignatum: Nam ventus non spirat tantum in infima aëris regione, sed etiam in media atque etiam suprema. Si ergo ventus flet in media aëris regione, tunc quidem Difinitionis seu potiùs descriptionis Aristotelis vigor auferetur: Quippe cujus efficacia in hoc præcipuè est sita, nimirum, quòd talis exhalatio calida & sicca, quæ est materialis venti causa, non permittitur penetrare mediam aëris regionem, sed iterum à frigiditate loci per Antiperistasin aucta, facilè præcipitatur sive reverberatur deorsum: Iam verò si aliquis sit tam in media aëris regione, quàm in infima ventus, tunc ista quidem venti causa abrogabitur procul dubio: Quoniam tunc exhalatio ista non repelletur deorsum in infimam aëris regionem, in qua debet alijs exhalationibus occurrere, ut mediantibus illis lateraliter moveatur & dispergatur super faciem terræ, faciens ventum: Nam exhalatio, quæ facit ventum in media aëris regione non præcipitabitur à frigore, sed semper observatur nubes hinc atque illinc movere, & tonitrua provocare in illa regione: Imò vero oculis humanis quotidiè ferè manifestatur, quod tam nubes superiores, quæ sunt candidæ & flavæ, & hac de causa lucidiores & subtiliores ratione igneæ ipsarum claritatis,

quàm illæ inferiores, quæ sunt grossiores, & obscuriores à ventis ab aliqua mundi quadra ad ejus oppositum agitentur ac impellantur: Nã nisi venti essent in illa regione præsentes, impossibile foret, ut super ventorũ quasi alas volantes in tali forma sine ulla laterali super terram aspersione moverentur. Nonne etiam observamus, quòd ventus Australis flet ab Australis Orizontis angulo, & alter ventus ab Horizontis Borealis puncto emittitur, ita ut ambo venti hi Dominium habeant uno eodemque tempore in utroque Horizonte? Vnde ut plurimum accidit, ut magnæ & obscuræ nubes à quatuor mundi oppositis moventes, virtute spirituũ dictorum contrariorum, concurrant simul in utriusque Horizontis puncto, atque ita immensum nubium densarum mare ibi congregatur, quod loco tabernaculi magno spiritui, mirabilium & omnium operatori inservit: Vnde fulgura & tonitrua tremenda per concursum naturarum Angelicarum oppositarum sequuntur, qui naturæ ventosæ sunt nuntij & ministri, qui efficiunt vocem Omnipotentis, quod quidem nunquam potuit fieri, nisi venti, unus nimirum adversus alium, juxta voluntatem omnipotentis, cursum more impetuoso in media aëris regione feciissent. Atque hoc etiam totum à sacris scripturis sic confirmatum habemus. Ascendit fumus (ait Textus) è naribus Iehovæ, carbones accensi sunt ab eo, inclinavit cœlos, & descendit & caligo sub pedibus ejus & ascendit super cherubin & volavit seu lapsus est super pennas venti, posuit tenebras in circuitu suo latibulum, cribrans aquas è nubibus cœlorum, præ fulgore in conspectu ejus nubes accensæ sunt, tonabat de cœlo Dominus &c: Ex quo sermone colligimus, quòd non solùm nubes & tonitrua atque fulgura à ministris Dei ventosis moveantur: Sed etiam Divinitas ipsa, quippe quæ nubibus in media aëris regione densis & opacis circumducta, vehitur super aëreum cherubin, & utitur ventosis suis organis in suo motu. Nam Textus habet: Ascendit super cherubin & volavit super alas seu pennas venti. Quibus quilibet sapiens facillimé decernere potest, quòd mundana Peripateticorum sapientia & consequenter Philosophia Peripatetica sit mera stultitia respectu istius, quæ est à Deo: Quatenus ipsa mundo per suadere velit, quòd actores tales essentiales, quales sunt venti Angelici (quorum interna essentia est lucidus Dei Spiritus) sint accidentaliter producti, & quòd violentiâ nescio qua externa, ad movendũ excitãtur. Cùm è regione per veræ sapiẽtæ Doctrinã evidenter liquet, quòd ipsi essentialissimo & vivasissimo interno agente sint præditi, & per consequens juxta prædictam D. Iohannis sententiam ex seipsis moventur, quando & ubi volunt. Luce ergo clarius apparet, quòd ventus habeat actum, formam & Principium internum in se, ad cujus motum movetur & vehitur, quò aut quando primus in eo motor voluerit. (Nam Textus ait, ut anteà) Spiritus spirat ubi vult, atque ita interna voluntare est præditus. Quibus videre licet, quàm extravagans & errabunda sit ratio Peripateticorum de hac re, quippe quæ nullam internam aut essentialem in ventis formam admittit, sed ipsos facit res mere accidentales verbi gratia stellæ suo calore attrahunt sibi, hoc est, sursum levant fumosas exhalationes à terra, iste fumus sive exhalatio altum petens, loci frigore pessundatur, & in suo motu ad deorsum, lateraliter ab exhalationibus alijs ascendentibus cogitur. Vos obsecro, qui justi estis & haud ex parte Peripateticorum parci, mihi fideliter ostendatis velim, quodnam illorum externorum accidentum in istiusmodi ventorum procreatione possit pro interno & essentiali illo Princio haberi, quòd voluntatem seu voluntarium motum in ventis procreare, aut ullum actum Angelicum in aëre seu Elemento Catholico producere queat. Nam Textus ait: Spiritus spirat, ubi vult. Nonne testatur Pagina sancta, ventum esse creatum? Ecce, ait, formans montes, creans ventum Deus Exercituum nomen ejus. Si ergo creatus sit, habet procul dubio Principium internum Creaturæ: Nihil enim creare solet Deus ab externis accidentibus. Quare si nulla sit talis voluntas essentialis seu internum & centrale agens in figmento Aristotelis ventoso, aut inveniendum, aut realiter excogitandum, tunc tam absurdus & vanus mundo procul dubio intelligenti videbitur ejus Spiritus, qui talem disciplinam adulterinam publicat, quàm Philosophia Aristotelica, quam ille docet, est falsa & præstigiosa. Nonne erat istius assertionis Aristotelicæ improbabilitas in causa, quòd nonnulli ex præstantioribus ejus discipulis ipsi diffidentes, se penitus à magistri sui de ventis opinione vanam illam existimantes averterunt? Inter quos Iohann. Fregium secunda vice commemoro, virum, inquam, in Philosophia Aristotelis admodum versatum. Hic postquam Meteororum causarum meminisset, animum suum statim in ventorum inquisitione ab Aristotelis opinione declinat: Vnde in verba hæc prorumpit. Quemadmodum tota disputatio de ventis & sicut de alijs Meteoris plena est admirabilium operum Dei, quorum nulla & sufficientes in natura causæ proferri possunt, tamen prodest videre, quousque humana ratio progredi possit. Sacræ quidem literæ dicunt, Deum ventos producere de Thesauris suis, unde veniant, aut quò vadant nescimus. Hæc Fregius: At ego ad huc me Paulò profundius in istam inquisitionem immergam. Aristoteles cum Peripate-

2. Reg. 22. 8.

Ioh. 3. 8.

Fregius lib. 25. in causa Ventor.

pateticis ſuis diſcipulis affirmat, quòd ventus ille turbulentus & tempeſtuoſus dictus Ecnephia, atque etiam ipſe turbo, ſint quidem repentini & ſubitanei venti, qui violenter è nubibus emittuntur: & tamen admittere non vult; quòd calidæ & ſiccæ exhalationes poſſint mediam aëris regionem penetrare ratione frigoris ejuſdem: Sed, ut profundius in abſurditatis ipſius abyſſum deſcendam: Fatetur quidem, quòd Meteororum ignitorum, ut cometarum & hujuſmodi aliorum cauſa ſit calida & ſicca exhalatio, quæ eſt terreſtris, craſſa, pinguis & unctuoſa & ideò apta inflammari & accendi: Iam verò aſſignat ipſe ſupremam aëris regionem pro loco & ſede generationis Meteororum talium, nimirum cometarum, & tamen tranſitum in mediam aëris regionem videtur negare illis exhalationibus, quæ ventos pariunt, quæ non ſunt inflammationi obnoxiæ, & in ſua ſubſtantia tenues & leves. Anne quiſquam adeò mentis inops & effectuum naturalium ignarus eſſe poteſt, ut non percipiat, quòd Frigiditas potius reſiſtet & oberit rei inflammabili & de natura ignea actuali, qualis eſt exhalatio illa quæ efficit cometas, quâ rei ſeu exhalationi, quæ nec eſt actualiter inflammabilis aut ignea in ſe, videlicet fumus ille, qui dicitur eſſe ventorum origo. Iterum apparet ex deſcriptione cometarum, quòd materialis ipſorum exiſtentia eſt gravior, magis terreſtris, greſſa & compacta, quàm eſt illa ventorum, atque ob hanc rationem eſt minus apta ad aſcendendum & penetrandum: Quatenus res graves ex propria ſua inclinatione tendunt deorſum, quàm illa ventorum, ut pote quæ eſt magis levis & ſubtilis, & conſequenter apta, ut ſurſum tendat. Quare eſſet impoſſibile, ut groſſiores fumi, qui facerent cometas, aſcenderent & mediæ regionis aëris diaphragma penetrarent; imò quidem in tertiam ſeu ſuperiorem regionem ſe exaltarent, tam bene ratione caloris ſui inflammabilis, quàm ſubſtantiæ groſſitici & ponderoſitatis: Cùm è regione tenuiores & non accendibiles in ſuo ad ſuperiora tranſitu à media aëris regione impediantur. Quare evidens eſt, quàm infirma ſit iſta & frivola & nulla probabilitate ſtipata Ariſtotelis in deſcriptione prædicta aſſertio.

Sed venio ad tertium ejus deſcriptionis membri examinationem, tametſi aliquid in præcedenti inquiſitione de eo dixerim, tamen conveniens erit, ut exiſtimo, verba de iſto ampliora facere, quoniam multum ad mundanæ hujuſce ſapientiæ, ſtultitiæ & erroris detectionem confert. In iſto igitur membro tria ad venti generationem agentia deſcribit, quæ omnia facit accidentia: Ac ſiquis diceret, quòd venti non moveantur ab interno & eſſentiali aliquo Principio, ſed potius ab externis accidentibus, nimirum calore ſolis & Aſtrorum & frigore mediæ aëris regionis, atque etiam luctatio exhalationum invicem in deſcenſu & aſcenſu occurrentium, per iſta (ait) exhalatio movetur lateraliter, & ita ventus procreatur. Quare verbis expreſſis (nullâ de interno aliquo Principio mentione facta) concludit venti generationem non eſſentialiter ſed contingenter & modo externo ſeu ſuperficiali fieri: Quàm aureum & coruſcans eſt hoc mendacium, haud equidem antiquorum Poëtarum figmentis diſſimile: Aſſertio, inquam, quæ primo intuitu videtur pulchra: Sed in veritate eſt quaſi umbra ſeu inane quid & ſubſtantia reali deſtituta: Nam iſtiuſmodi aſſeveratione videtur ventum nihil aliud facere, niſi quid per accidens, cùm è contrario ab ore veritatis hoc pluné contradicitur, ut pote, quòd ventum primordialiter à Divino Dei Spiritu ſive halitu provenire teſtatur: Imò verò ab ipſo dicitur Angelus, qui dilatatur & ubique emittitur ad voluntatem ipſius obeundam, qui eum animavit & inſpiravit vitâ: Hinc Syriacus: In voluntate ipſius ſpirat Notus. Et David: Qui facis Angelos ventos, hoc eſt, qui animat eos eſſentialiter per Spiritum ſuum, eoſque quaſi nuntios emittit ad faciendum placitum ſuum. Hinc ergo idem Propheta ibidem: Angeli Dei efficiunt verbum. Et Propheta Baruch: Ventus facit mandatum Dei. Et alibi: Ventus procelloſus, efficiens verbum Dei. Et tres ſervi in fornace ignea, & venti, benedicite Domino & exaltate eum ſuper omnia in perpetuùm! Quid reſpondent Chriſtiani noſtri Peripatetici ad iſta? Quid? Anne putant, quòd, ſi venti eſſent res accidentales & tam ſuperficialis momenti, ac ipſorum Magiſter eos in ſpuria ſua Philoſophia publicavit, quòd Deus ipſos ad verbum ſuum efficiendum emitteret, aut ſi interno & eſſentiali principio eſſent deſtituti: Anne Domini & crearoris ſui laudes mundo ebucinare aut ipſi benedicere potuiſſent? Aut juxta voluntatem ad mandatum ipſius, qui eos emittit, perficiendum moverent? Minimé profectò: Verùm hoc etiam expreſſis ſacræ Paginæ locis ſic confirmamus, probando, quòd internus in ventis motor ſit inſpiratio Omnipotentis. In ſpiritu furoris tui congregatæ ſunt aquæ, à flatu narium tuarum coacervatæ ſunt aquæ, flavi-iſti vento tuo, & operuit eos mare: Et Iob: Flante Deo concreſcit gelu. Et Pſaltes Regius: Deus emittens verbum ejus liquefacit gelu. Et Pſaltes Regius: Deus emittens verbum ejus lique facit nives, & glaciem: Simul ac efflat ventum ſuum, effluunt aquæ. Præterea quòd venti ſunt Divinitus animati & vita perfecta, imo vero & intelligentiâ Divina præditi, evidenter liquet per Angelos 4 qui ſunt præſides ſuper quatuor ventos. Teſte Apocalypſi. Et per

Eccleſ.43.17.
Pſal.103.4.
Baruch.5.6.
Pſal.148.8.
Exod. 15. 8. 10.
Iob.
Pſalm 147.4.
Apoc. 7. 1.
Ezekiel. 37.

Hob. spiritum istum Vniversalem, quem Prophetа Ezekiel ex mandato Domini vocavit à ventis terræ, ut interfectos inspiraret. Et per spiritum Sapientiæ Divinum, qui aptat pondus ventis : Et per Cherubin, qui est Angelus aëreus, ut Seraphin igneus, super quem Iehova descendens à 2. Reg. 22. 8. cœlis ascendebat, & tunc lapsus est super pennas venti : Hinc inde arguendo, quòd ventus moveret & animaretur ab Angelo illo Cherubin, qui est Spiritus essentialissimus & naturæ aëris : Quare Deus insidens super Cherubin, aër, per animationem dicti Angeli factus est ventus : Vnde liquet, quòd venti externum sit aër ; internum verò natura Angelica. Et tamen non obstantibus istis princeps ille Philosophorum Ethnicus non erubescit dicere, quòd ventus sit res mere adventitia, & quòd motum & actum suum habeat ab exprimis principijs, & non ab interno & centrali illo agente, qui est actor & operator in omnibus, & consequenter non potuit spirare, ubi vult, nec audire & intelligere vocem Domini per Prophetam, quando vocatus erat à quatuor ventis, nisi essentialiter à Spiritu Angelico esset inspiratus. Ipse secundum imaginationis suæ figmentum narrat, quòd existentia venti esset ex terra, exhalatio à terra vi Solis & stellarum extracta: quando é regione Scripturæ dicunt, quòd Spiritus, qui animat ventos, sit omni re mobilior & vivacior, dicuntque : Deum eduxisse ipsos ex Thesauro suo : Nam in hoc tam Propheta Ieremias, quam David consentiunt : Sed in isto definitionis suæ membro concludere videtur, quòd lateralis ventorum motus efficiatur ratione resistentiæ illius, quæ fit ex contrario exhalationum concursu. Inane & exile profectò Philosophi tam potentis argumentum, ac si motio illa ventosa, quæ constanter spirat à Septentrionali versus Meridiem, possit per manere tam certa, constans & directa in suo actu, si agente tam incerto & variabili conduceretur, qualis est conflictus seu contentio duarum exhalationum, nimirum unius ascendentis & alterius descendentis. Dicatis, velim (Peripatetici mei acutissimi) quæ nam é terra exsurgeret exhalatio, aut quis conflictus esset inter ex- Ezekiel. 3. 7. halationem ascendentem & descendentem in illa Spiritus emissione, quæ eveniebat, dicente Prophetâ : à quatuor ventis veni Spiritus ? Videntur mihi assectæ sive discipuli Aristotelis Christiani in hujus dubij resolutione planè muti & linguis, quibus ratione respondeant, destituti : At si responderent, hunc ventum sive Spiritum fuisse miraculosum & non naturalem ; hisce ego replico, me nullam aliam causam essentialiter efficientem in natura & extra naturam, præter unicam solam agnoscere : Atque ideò in meteororum in communi mundi natura productione, dicitur, quòd Deus flet à Septentrione : Et, quòd ipse Spiritu suo producit nives & glaciem : & quod ipse voce suâ tonat de cælis : & quòd dante eo vocem, multiplicantur aquæ & fulgura in pluviam facit : & Ierem. 51. 16 quòd, liquefacit densas nubes in pluviam : Et quod mittit fulgura à suo Throno : & carbones igneos ab ore ejus, & quod facit densas nubes tugurium ejus: Et quod venit ab Austro in tonitru : Et quod vox Iehovæ faciat Cedros libani se inclinare, & hœdos more abortivo parturire : & quòd ipse sit ignis consumens : & quòd nemo possit resistere frigori Dei : atque sic in infinitis alijs tam in novo, quàm in veteri Testamento. Et, ut possimus unico Textu concludere, Deus est ille solus, qui operatur omnia in omnibus, & qui vivificat omnia &c : Sed Philosophi nostri Peripatetici distinctione sua scholari videntur respondere, quòd sit natura illa infinita, causa efficiens principalis, sed variæ sunt causæ secundariæ & subalternæ, quæ per se operantur.

Quibus ego (ut in præcedentibus) quòd veritas est in sua essentia simplex & per consequens essentiæ & actus duplicitatem odio habet. Quare opus est, ut veri Christiani ipsam unitate & simplicitate intellectus imitentur : Quod quidem efficere nequeant, nisi mentes suas ab astuta Philosophiæ vanæque fallaciæ multiplicitate distrahant, de qua D. Paulus nos jubet cavere, quoniam in multitudine infinitæ delitescunt errores : Sed in unitate consistit unica illa veritas, quæ est sapientia vera. Cur ergo cogitationes hominum à simplici scripturarum sensu per multiplicitatem distinctionum diverteremus, quæ illum, instar nasi ceræ mille vijs torquere videntur ? Scripturæ Rom. 11. dicunt : Ex eo, per eum, & in eo sunt Sap. 1. omnia : Et, quòd spiritus disciplinæ sanctus implet orbem : Et quòd incorruptibilis Dei Spiritus inest omnibus : Et, quòd Christus impleat omnia : Et, quòd ipse vivificet omnia : Et quòd operetur omnia in omnibus : & quòd dat vitam, inspirationem & omnia, &, quòd omnia sunt à Patre & omnia per Filium suum Iesum Christum : Et, quòd omnia sunt in Christo & per Christum tam visibilia, quam invisibilia, & ipse in omnibus. Et quòd portat & sustentat omnia virtute Verbi : Et quòd Deus sit Pater omnium, qui est super omnia & in omnibus. Atque infinitas alias scripturarum authoritates proferre possumus, quæ omnes confirmant, essentiam Divinam esse omnia in omnibus, omniaque universaliter operari sine exceptione. Et tamè

Sap. 12. 1. Ephes. 4. 1. Timoth. 1. Cor. 12. Act. 17. 1. Cor. 8. Colos. 1. Heb. 1. Ephes. 4.

Peripate-

Peripatetici nobis persuadebunt, quòd creaturæ actus ita dividatur ab actu Dei, ut per se, mediante virtute activâ ijs à Deo assignatâ, agere queant; quam nihilominus virtutem negant ullum jam cum Deo habere commercium: Quæ quidem illorum asseveratio si esset vera, immanis exinde sequeretur absurditas: Nam sequeretur, quòd essentia Divina esset divisibilis, quòd Axioma Theologiæ veræ permittet nunquam, ut pote quæ concludit.

Trinitatem Sanctam esse individuam; &, per consequens actus ille, quem creator à Deo accepit non dividitur à datore, neque opus est, ut dividatur, quoniam virtutis illius formalis distributor est respectu illius doni semper cum creatura & in creatura præsens, & à dono illo vitæ haud separabilis; & per consequens operatur omnia in omnibus immediatè, & ob illam causam dicitur à divino Hermete esse centrum cujuslibet rei, cujus circumferentia est nullibi: Quare evidens est, quod sit in omni re, sed non ut pars alicujus, sed quatenus est partium omnium compositor & ipsarum director.

Quare sufficiat velim Peripateticis, quod creaturæ sint causæ organicæ, in quibus Spiritus Dei Catholicus agit secundum varietatem proprietatum iplius, quæ voluntati ejus sunt annexæ. Quocirca evidens est, quòd ipse operetur in eis & per eas, idque immediatè & absolutè: Atque in hoc sensu erat, quòd Apostolus dixerit: Deus operatur omnia in omnibus: Non dico creatura operatur per se, sed Deus in ea & per eam quasi ejus organum agit. Verùm totum hoc expressius declarat Propheta in istis: Væ Assur, virga furoris mei & baculus ipse est, in manu ejus indignatio mea: Ipse autem non sic arbitrabitur, & cor ejus non ita existimabit: Dixit enim: In fortitudine manus meæ feci & in sapientia mea intellexi & abstuli terminos populorum &c: Nunquid gloriabitur securis contra eum, qui secat eâ? Aut exaltabitur serra contra eum à quo trahitur? Quomodò eleverur virga contra elevantem se, & exaltetur baculus, qui utique lignum est? &c: Quibus innuere videtur Propheta, quòd, cum esset voluntas Dei movere & agitare regem Assyriæ adversus Iudæos, in qua actione Rex ille non esset, nisi creatura seu organum, in quo Spiritus Dei ad voluntatem suam complendam movebatur, ipse nihil per se, sed omnia virtute Divina ad exitum secundum velle Domini produxit: Peracto tamen negocio, Rex ille, qui non erat, nisi mera causa organica seu instrumentalis sibi gloriam & sapientiam & potestatem actionis illius Deo soli in eo actori appertinentem insipienter arrogando, minus à Deo percipit, ac in illis verbis reprehenditur, Num gloriatur securis contra eum, qui secat &c? Ac si dixisset:

Isa. 10. 5. 7. 13. 15.

An gloriabitur organum contra ipsum, qui agit in eo, aut dicet; ego feci hoc, cùm sit internum & reale agens, ad cujus motum rapitur & movetur, quando & ubi placuerit motori &c: Inquit etiam Ieremias: Suscitavit Dominus spiritum regum Medorum contra Babylonem. Quo arguit, reges Medorum non fuisse actores, sed organa per quæ Deus egit ad ultionem. Sed ad rem revertamur. Quàm surda, imò quidem etiam absurda fuisset illa Salomonis invocatio, si essentia & vita ventorum non fuisset alia, quàm illa ab Aristotele publicata.

Evigila, inquit, Aquilo, & veni auster ac perfla hortum meum. Denique si venti fuissent more Aristotelis procreati: Vnde oritur, quòd quilibet ventus varia induatur proprietate essentiali; quippe quorum unus est calidus & humidus: Alter frigidus & siccus; tertius calidus & siccus; & quartus frigidus & humidus. Impossibile erat, quòd tales inter ventos differentiæ reperirentur, si omnes venti ratione unica informarentur & crearentur, hoc est, si ortum suum à motu allaterali coacto haberent. Porro sic hoc esset verum, tunc idem ventus modò latere dextro, modò sinistro ac in conclusione inconstanter flare, quod quidem esse falsum testatur experientia. Venio jam ad membri Peripateticæ descriptionis ultimi inquisitionem, quod ad causam finalem productionis seu generationis ventorum spectat. Opinio Aristotelis est, quòd natura istiusmodi ventilationem produxerit ratione purgationis, purificationis ac præservationis aëris. Verùm nos experientiâ docemur, quòd ista ipsius assertio non sit vera: Quoniam nos cum Galeno & Hippocrate observamus, quod venti Australes sunt contagiosi & pestiferi, quatenus aërem reddunt densum, putridum ac corruptum suo calore maligno & humiditate laxa & spongiosa. Hoc etiam à Textu sancto confirmatur: Ne timete, ait David, à luc seu peste, vel dæmonio vastante in meridie. Et Abakuk: Deo à Meridie veniente præcessit vel anteivit eum pestis atque Anthrax ad pedes ipsius. Imò quidem omnes venti in genere, atque etiam alia cœli meteora à creatore tam ad flagellum & pœnam, quam ad præservationem & sanitatem creaturarum ordinantur, uti ex plurimus scripturarum locis declaratur. Quare sequitur, quòd Aristoteles toto cœlo in judicio suo de ventis erraverit.

Psalm 19. Abakuk. 3.

Ex prædictis ergo concludere possumus, quòd definitio sive descriptio Philosophi hujus Peripatetici, quem Christiani tanta veneratione sequuntur, est omnino erronea ac insufficiens: Quoniam venti sunt creaturæ magis essentiales & eminentes, atque divinitate pleniores, quàm aut Aristoteles aut aliquis ipsius pedissequa intellexit unquam, ut pote quæ non sunt res interno lumine & essentia destitutæ, & consequenter, non ab externis agentibus accidentalibus mediante fumosa existentia é terra scaturiente conflatæ. Sed ut Zacharias nos docet, sunt creatæ ac animatæ per Spiritum Angelicum, & stant coram Domino totius terræ & absconduntur in potestate & Thesauro sui Domini, ex quo ipse eos pro placito suo vocat ad mandata sua in cœlo & in terra atque in mari perficienda, sive sint ad vindictam & punitionem, sive ad misericordiam & benignitatem creaturis præbendam, ut infra dicetur latius.

CAPVT. III.

Vera ventorum definitio sive descriptio varieformiter, secundum Scripturæ sacræ sensum atque intentionem hoc in capite exprimitur.

IAm verò (ut mihi videtur) factionem seu sectam Peripateticorum adversus me murmurantem & ita replicantem audio. Si (inquiunt) dicta Aristotelis definitio non sit bona; uti ex tuis rationibus polliceri videris, assigna, si possis, meliorem. Dicas ergo magis essentialiter velimus, quid nam revera rei sit ventus, vel quomodo rectè eum secundum Paginæ sacræ doctrinam describere queas. Hisce respondeo, illud posse multis modis sub una eademque nihilominus essentia præstari: Et in loco priori ipsum haud impertinenter possumus in hunc modum describere:

> Ventus est Spiritus aëreus, mediocris consistentiæ, inspiratione seu Spiritu Iehovæ animatus, quem de promit é Thesauris suis, eumque ad voluntatem suam sive sit per viam maledictionis vel vindictæ, sive benedictionis & misericordiæ exsequendam emittit.

Quælibet hujus definitionis particula ex conveniențibus sacræ scripturæ locis probatur: Et primùm, quòd venti externum sit aër mediocris consistentiæ, in eo manifestatur, quòd vocabula aër, ventus & spiritus in multis sacrarum literarum locis per unum idemque vocabulum Hebraicum Ruach exprimuntur. Secundò, quòd interna & centralis anima seu actus ipsius sit Spiritus divinus, seu inspiratio Omnipotentis, facillimé ex locis anteà citatis indicatur. A flatu narium tuarum (inquit Moyses) coacervatæ sunt aquæ, flavisti vento tuo & operuit eos mare. Et Iob: glaciem Deus fortis edit flatu suo: flante Deo concrescit gelu &c: ac si dixisset, Deus inspiravit aërem suo spiritu, ita ut nulla appareat inter Angelicam creaturam, & aërem divinitus inspiratum discrepantia: Nam aër dicitur externum & manifestum Angeli tam boni, quàm mali, animatus à Deo ad faciendum placitum suum, sive sit in puniendo, sive ad benignitatem & clementiam ipsius manifestandam: Vnde patet, quòd ejus internum est immediata inspiratio Dei: atque propter hanc causam (ut anteà est dictum) Angeli à D. Dionysio Algamatha, id est, specula clarissima dicuntur, quæ lumen Dei recipiunt: Nonne etiam expressè à Psalte regio dicitur, quòd Angelos suos fecerit ventos? Vbi per Angelos intelliguntur emissiones ejus à suo Throno: Atque istæ cum sint aëre incorporatæ, dicuntur naturæ Angelicæ. Atque iterum Iehova dixit de Angelo, quem misit coram Israëlitis in itinere suo per desertum. Noli exacerbare eum, nam non feret defectiones vestras, quoniam nomen meum est in eo &c: ac si dixisset, Lucida verbi mei impressio est in ipso: Nam filius Syrach dixit, quòd sapientia præiret Israelitis in columna nubis die ad præservandum eos à magno calore: Ob istam ergo rationem idem Angelus vocatur in multis dicti libri locis Iehova, respectu actus sui interni increati, & quandoque Angelus respectu suæ in compositione alteritatis, nimirum, quatenus conflatur ex duobus, ut erat creatura. Quare, ut Deus est Identitas, videlicet, ut ipse componatur ex uniformi inspiratione Dei atque humida & aërea natura mundi, hoc est, à creato spiritu, seu aëre creato: quod fecit Davidem (ut supra) asseverare, quòd fecerit Angelos ventos & ministros suos ignem urentem. Nonne etiam ponit Propheta ventos in numero Angelorum, cùm dicit, quòd quatuor venti cœli egrediantur & stent coram dominatore omnis terræ?

Exod. 23. Eccles. 9.

Zach. 6. 5.

Exodi. 15. 8. Iob.

Pro proxima hujus definitionis clausula, quæ est, quòd Deus vocat ventos suos Angelicos, ex Thesauro suo ad voluntatem suam complendam, hanc habemus testimonijs Prophetarum, Davidis & Ieremiæ confirmatam: Deus (inquiunt) producit ventum de Thesauris suis.

Psal. 134. 8. Ierem. 51. 10. 3.

Denique, quod ad ventorum usum seu causam finalem attinet: causa finalis, cur venti essent creati & emissi, luculenter a scripto sacro sparsim explicatur: Venti (inquit Textus unus) faciunt mandata Dei. Et alius: Spiritus procellarum facit Dei verbum. Et alibi: Angeli Dei validissimi robore

Iuch. 5.60. Iul.148.8. Iul. 102.20. Iul.103.4. Iu.38.35.

robore efficientes verbum & facientes placitum ejus. Iterum : qui facis Angelos ventos & miniſtros tuos ignem urentem. Et Iob : Fulgura nunquid mittit, & ibunt, & revertentia tibi dicent, adſumus? Vbi per fulgura intelligit Angelos, qui revelant ſua occulta : Vnde anteà dicti ſunt ignes urentes ; & in hoc etiam reſpectu Deus, qui eſt iſtorum omnium operator, dicitur ignis conſumens. Porro etiam alibi agnoſcit, quòd ventus, glacies, turbo, pruina, nubes & fulgura ſint miniſtri ad placitum ejus in quocunque negocio præſtandum paratiſſimi : Sic ventum emiſit Deus ſuper terram, ut aquæ diminuerentur & cataractæ cœli clauderentur. Et

e 1, S. 1. 2. ventus egrediens à Domino detulit coturnices. Et ventus Aquilo expiratur, ad diſſipandas pluvias. Et venti Aquilonis frigidi afflatu fit glacies inſtar criſtalli : Et Do-

Im. 11. 31. Iwer. 25. 23 Ind. 10. 9. Ind. 14. 21. minus fecit ventum flare ab Oriente ad auferendas locuſtas à terra. Et Dominus, flante vento urente tota nocte, vertit mare in ſiccum, diviſaque eſt aqua &c: Denique in definitione ſeu deſcriptione præcedenti explicui in primis, quæ nam eſſet cauſa venti materialis, nimirum aërea ſubſtantia exiſtentiæ mediocris: Deinde expreſſi, quod forma puriſſima & eſſentialis in eo actus eſſet inſpiratio ſeu ſpiraculum Omnipotentis, qui ſuâ in Cherubinico Angelo præſentiâ animat, agitat & movet aërem materialem : Tertiò, quòd locus, in quo venti reſervantur, quouſque Creatori placeat ipſos uſui alicui applicare, eſſet cœlum ſeu aër, qui eſt arca ejus Theſauraria, in qua Magnalia ipſius reconduntur : ac in ultimo loco, quòd uſus eorum ſit ad voluntatem ipſius, qui creavit illos, complendam ; idque vel in aëreo ſuo ſtatu, in quo non cernuntur, vel in ignea ſeu interna ſua conditione, in qua oculis in forma fulguris apparent; ut ex præcedenti Pſaltis Textu manifeſtè explicatur.

Propter iſtas ergo rationes, & dictis teſtimonijs ſtipatus, has ſequentes ventorum definitiones haud incongruè compoſui.

Ventus eſt inviſibilis aër, à Divino Spiritu ſeu Verbo Iehovæ, animatus & vivificatus. atque ad voluntatem ejus, tam in cœlo deſuper, quàm in terra & aquis ſubter efficiendam emiſſus.

Vel ſic.

Ventus eſt quidam Spiritus Angelicus, aut ſubtilis aër, qui igneo Spiritu Iehovæ inſpiratur atque animatur, apparens quandoque viſibiliter in forma fulguris vel coruſcationis, & quandoque inviſibiliter & occulté : nimirum, quando auditur & non videtur, qui ab aliquo terræ angulo ad mandata emiſſoris, ſive ſint in proprietate poſitiva & benigna, ſive privativa & deſtructiva facienda remittitur.

Vel ſic.

Ventus eſt inviſibilis & occultus Spiritus animâ igneâ à Deo more Angelico inſpiratâ indutus, qui huc atque illuc alis inviſibilibus ad placitum Creatoris complendum vehitur atque agitatur.

Nam dicitur : Iehova aſcendit ſuper Cherubin, & volavit ſuper pennas ſeu alas venti : Iam verò Cherubin eſt Angelus ſeu ſpiritus aëreus, ut Seruphin eſt ignens ſpiritus ſeu intelligentia, ut anteà.

Vel in forma iſta.

Ventus eſt creatura quædam Angelica ex aëre ſecundum ejus exiſtentiam & luce eſſentiali ſeu formali agitante ei à Iehova inſpirata & producta, quam è Theſauris ſuis, vel ad mortalium flagellum & pœnam vel conſolationem & benevolentiam emittit.

Vel ſic.

Ventus eſt Spiritus quidam Angelicus aëre indutus, qui inviſibiliter ac occulte huc atque illuc, juxta voluntatem ejus qui eum creavit, movetur, cujus vox ſeu ſtrepitus licet audiatur, tamen locus, à quo venit & ad quem tendit à mortalibus ignoratur.

Spiritus (dicit D. Iohannes) ubi vult, ſpirat, & vox ejus auribus percipitur : Vnde autem veniat, aut quò tendat, ignorant mortales. Et alibi Sapiens, ignorat homo opus ipſius Dei, qua via faciat hæc omnia. Ioh. 3. 8.

Vel iſto modo magis ſuccinctè, idque juxta ſententiam Salvatoris noſtri.

Ventus eſt ſpiritus, qui ſpirat ubi vult, & vocem ejus audit homo, ſed neſcit unde veniat & quo vadat. Eccleſ. 11. 5.

Ac ſi dixiſſet. Eſt ſpiritus à Deo creatus, interno principio ſeu voluntate præditus.

Vel ſic ſecundum verba Davidis antea citata.

Venti ſunt Angeli Domini, validi in poteſtate, qui efficiunt verbum Dei & auſcultant voci ejus, miniſtri ejus, facientes placitum ejus.

Qui facis Angelos tuos ventos ſeu Spiritus, &c: & Angeli Dei validiſſimi robore efficientes Verbum ejus, auſcultantes voci ejus, miniſtri ejus, facientes placitum ejus. Pſal. 103. 4. Pſal. 102. 20

Hiſce ergo videre licet, quàm Ethnicorum Philoſophia, quæ baſes ſuas habet ſuper ſapientiam hujus mundi, ſit huic veræ Philoſophiæ, & ſapientiæ, quæ oritur & extrahitur à fonte ſacro, oppoſita. Vnde etiam Sapientibus apparere poteſt, quàm ſit impoſſibile Chriſtiano Philoſopho, qui firmiter documentis Ariſtotelis adhæret, radicaliter in vera fide Catholica verſari: Non poſſumus (ait Salvator mundi) duobus inſervire magiſtris : & propter hanc rationem Apoſtolus, ut antea, nos monet, ut Philoſophiam & vanam fallaciam evitemus, quæ fundatur ſuper traditiones hominum & Elementa mundi, & non ſupra Chriſtum, in quo eſt omnis plenitudo Divinitatis corporaliter, qui eſt caput Dominationum & Poteſtatum, & conſequen-

ter vita & animator omnium Spirituum seu ventorum Angelicorum. Quare concludere fas est, quòd falsa ista Aristotelis Philosophia sit præcipuum Diaboli organum ad distrahendum mentes mundanorum à vera cognitione Dei, utpote, quæ partim astutijs suis Sophisticis, partimque alijs delusionibus & vanis tentationibus omni via tentat intentiones Christianorum bonas à vera & syncera illa sympathia & symphonia, quæ debet esse inter Deum & creaturas ejus, distrahere, ut eos ad falsam suam doctrinam & Harmoniam Antipatheticam alliciat: Nam ex præcedentibus sat liquidò declaratur, & per ea, quæ sequuntur luculentius adhuc indicabitur, quod mundana ista sapientia seu Philosophia sit omnino Sapientiæ veræ, quæ à Deo, Patre luminis (ut D. Iacobus habet) descendit, contradictoria & oppositа: Quare ipsam in hoc respectu vocat terrenam, animalem & Diabolicam: Atque propter istam rationem à Christianis prudentiâ præditis, minimé est fervore tam ardenti & devotione tam superstitiosa insectanda sive insistenda. Cùm sit causa præcipua, quòd homines etiam istius nostræ ætatis (utcunque radij Divini participes) suæ originis excelsæ, generisve Divini immemores (utpote ignorantia privativa obvelati) non modò tam rudes & artibus scientisque veris tam ignari deveniant, sed etiam in Theosophiæ rudimentis tam manci & exiles redduntur, ut Deum in operibus suis non intelligant, aut opificem unicum per sua opera (uti bonis Christianis convenit) discernant; & per consequens in creaturarum Dei mysterijs versari nesciunt, quarum lapis Angularis est splendor & actor lucidus Omnipotentis & omnia creantis Verbi Dei: Vnde à Salomone proclamatur, istiusmodi homines esse vanos; & a S. Apostolo minas audiunt maledictionibus. Verùm ego majorem istius nostri de ventis discursus portionem demonstratione oculari in capite sequenti indicare aggrediar: semperque me in ista mea demonstratione ad instrumenti nostri experimentalis usum & observationem constringam. Sap. 13. 1. Rom. 1.

CAPVT. IV.

Hîc author originis ventorum Meridionalium annualium rationem, Demonstratione quadam oculari docet.

VErùm enim verò, quoniam præcedens hæc nostra relatio Peripateticis nonnullis Christianis minimé fidem ei ascribentibus, vel rem non esse ita intelligendam, ac in scripturis loquantur existimantibus, videatur fabulosa & erronea (nam quosdam (sat scio) esse hujusce conditionis homines, ubique gentium versantes) Existimo fore necessarium, ea omnia, vel saltem majorem ipsorum partem, quæ à me de ventis sunt dicta vobis oculari quadam demonstratione ex Instrumento seu Speculo meo experimentali collecta, indicare: in quam priusquam me conferam, moneo lectorem, ut cum diligentia & attentione eorum, quæ anteà sunt dicta, recordetur, & breve Proœmij hujusce sequentis subjectum animadvertet.

Debemus sedulò recordari & considerare, quòd Lux Catholica informans, quam Spiritus Elohim, qui ferebatur super aquas, ijs impertivit (nam Augustinus agnoscit, quòd ille Spiritus ignem aquis vigorem impertiverit) Lux, inquam, ista à vivifico Dei Spiritu emanans, postquam informasset, illuminasset & animasset Catholicam mundi materiam, omni omnium Patrum Theologiæ consensu die creationis quarta in corpus solare erat contracta: Atque ob istam rationem haud impropriè dixit Sapiens, quòd gloriæ Domini plenum est opus Solis omnia illustrantis. In hoc ideò sensu intelligi potest hoc Davidis: Deus induitur lumine quasi vestimento. Et alibi: Deus posuit Tabernaculum suum in Sole: Quo patet, quòd esset voluntas Creatoris omnium, quòd vas istud Solare abundare suo vitæ Spiritu, qui ex ipsius centro Harmoniam vitæ per perfectissimam consonantiam Diapason emittit, ut mundum tam superiorem, quam inferiorem secundum annualem cœlorum cursum atque temporalem rerum dispositionem gubernaret, vivificaret, elementumque & Elementata inferius varieformiter per organa ventosa juxta voluntatem Spiritus eum inspirantis tam per modum generationis, quam corruptionis alterat: Nam venti agente Sole radicitus aërem mutant, animant & inspirant, ut ipsi ibidem Angeli ventosi à Sole seu potiùs à spiritu Catholico Domini in Sole animantur, illuminantur atque informantur: Vnde (ut dictum est) Titanis & auroræ filij haud injuriâ dicuntur: Hinc Syriachus: Sol est gloriæ Domini, hoc est virtutis & essentiæ divinæ plenus. Iam verò, quod spiritus iste seu virtus in Sole divina, gubernet aërem, eumque Spiritu Angelico seu principio essentiali interno animat ac movere facit secundum motum motoris, ex istis Salomonis verbis docemur. Sol lustrans universa in circuitu, pergit spiritus & in circulos suos revertitur; vel, ut Fr: Vatabl: interpretatur. Subinde circumeundo pergit ventus, & ad circuitus suos revertitur ventus: Inde arguendo, quod aër animatus à spiritu Solari, venti nomen sibi acquirit & se habet,

Eccles. 42. Psal. 104. 2. Psal. 18. 6. Eccles. 1. 6

se habet, ut Angelica creatura, quippe cujus externum est aër; internum verò Spiritus solis centralis seu igneus, à quo habet suam mobilitatem & aptitudinem ad motum gratia suæ attenuationis: Nec tamen intelligatis velim, me universum Dei Spiritum in sole includi existimare, sed uti in scripturis dictum est, Christum fuisse repletum & locupletem Spiritu Dei; ita quidem Deus impertivit Tabernaculo suo solari Spiritus sui illuminantis, generantis, vivificantis atque etiam corrumpentis abundantiam, & nihilominus rei cuilibet alij in mundo essentialiter adest Spiritus ille, sed non in una eodemque proprietatis & essentiæ proportione: Nam juxta communem mundi cursum, quem ordinavit ad disponendam atque regulandam temperiem partium anni, ubi sol, seu Tabernaculum istud Dei remotiùs distat, ibi potentia Divina, sive frigidus & privativus Spiritus Dei plus minusve operatur. Exempli gratiâ, quando sol abest à nostro Hæmisphærio, nimirum, cùm est sub terra, tenebræ, frigus, stupiditas & spissitudo aëris adesse observantur: Porro etiam sole ultra Æquinoctialem lineam versus Tropicum Capricorni se habente, frigiditas, pruina, nix, glacies, nubes densæ, dierumque brevitas nobis Europæis se offerunt, atque etiam venti Meridionales nobis sunt frequentes: Nam tunc temporis privativa Dei proprietas in mundo septentrionali regnare gestit: Vnde herbæ, plantæ & arbores apparent nudæ & vita quasi destitutæ, quoniam Spiritus & humores congelantur & ferè mortuæ videntur. Similiter & terra sua viriditate consueta, est destituta ac instar sterilis ac desolatæ viduæ incipit quasi gemiscere ac lugere: At verò è regione, tam citò, quàm Regius solis imperator huic nostro hæmisphærio appropinquat, incipitque per ferrugineas & igneas Arietis januas in Hæmisphærium septentrionale penetrare (quod quidem verno tempore accidere solet) tunc creaturæ illæ semimortuæ & frigore Boreali congelatæ revivisscere, dies gradatim angescere incipiunt, frigoris inclementia gratâ caloris præsentiâ magis magisque indies diminuitur, Spiritus & humores in vegetabilibus frigore fixati ac congelati, liquescunt & mobiles ac fluidi jam redduntur. Iamque aves gaudia sua cantilenis suavibus ebuccinant, aërque stupidus ac humidus paulatim reficitur, ac alis levibus volatuque celeri regionem Meridionalem propter rationes inferius allegatas visitare gestit. Et tamen non obstante actuosissimi & lucidissimi Spiritus in Sole absentia, non sequitur, quin, quòd unus & idem spiritus, ut pote, qui implet omnia, possit proprietatem suam privativam alterare, quando & ubi voluerit: Nam videmus plærunque contra communem & usualem anni constitutionem, quòd mediante eo tonitrua, fulgura & cætera meteora ignita, atque etiam venti magis activi, nempe Orientalis & Meridionalis tempore, atque etiam in statu aëris quandoque frigidissimo generentur: Quæ omnia perficiuntur ab eo, qui in sole posuit Tabernaculum secundum placitum suum, cujus est operari omnia in omnibus, quomodò, aut quibus organis, atque etiam quando & ubi placuerit. His ergo bene prius ponderatis, in statum Demonstrationis meæ jam descendam.

Demonstratio seu probatio, qua docemur, quomodo venti annuales moneantur seu generentur, partim per vivificum, positivum sive actualem illum Spiritum, qui abundanter regnat in sole; & partim in privativo & potentiali ejusdem actu seu proprietate circa polos mundi operantis.

EGo in præcedentibus dixi, quòd totus divinæ actionis in humida mundi inferioris natura effectus in congelatione & Rarefactione consisteret, & quòd earum proprietatum prior communiter à privativo & Boreali Spiritus Dei actu procedebat, qui per frigiditatem operatur, & posterior operatione positiva agit, quæ à calore gubernatur: Iam verò ut istæ duæ Dominium sibi in aëre seu Elemento Catholico, vel ratione præsentiæ vel absentiæ solis acquirunt: Ita quidem aër universalis est vel frigidior, spissior, opacior & segnior, quando sol est remotior ab eo: Atque iterum, quò ipse est Propinquior, eò calidior, subtiliot, clarior, transparentior, agilior & magis mobilis redditur aër: Observa ergo ex his proprietates aëris in vitro seu Instrumento nostro Experimentali inclusi; & memento, quòd non sit, nisi unus & idem Spiritus in Essentia, qui operatur tàm privativè, quàm positivè in aëre tam incluso, quàm excluso: Erat enim unus & idem Spiritus, qui per Prophetam à quatuor ventis, nimirum à quarta Boreali & Australi invocabatur &c: Quare certum est, quòd sit iste Spiritus, qui gubernat universum aërem sublunarem tam in proprietate privativâ, quàm positivâ: Et quàmvis spiritus iste sit copiosus in Tabernaculo suo solari, à quo & in quo vivaces proprietatis suæ actuo-

sæ effectus declarat : Tamen nihilominus ipse ubique præsentialiter exiſtens valet omni tempore & loco se ipsum in utraque proprietate exprimere. Venio jam ad demonſtrationis meæ metam.

In primo capite primi libri iſtius ſectionis primæ sat vobis liquidò declaravi , quòd aër in vitro Inſtrumenti noſtri experimentalis incluſus , habeat in omni reſpectu relationem ad aërem ſeu Elementum mundi inferioris Catholicum : Vbi etiam probatur , quòd aërea humida natura, tam exactè mundi concavitatem impleat , ubi terra & aqua non ſunt , ne exiſtentiæ alicujus vacuitas inveniretur in ea : Haud aliter , quàm videmus aërem vitro inſtrumenti incluſum omnem ipſius cavitatem occupare ; & per conſequens , ut aër vitro incluſus, facultate ſolis præſentis dilatativa, alterabitur , nimirum æſtivo tempore , quando aër externus caleſcit : Ita etiam eodem planè modo , aër externus iſtius Borealis hæmiſphærij dilatabitur , quando ſol ſuis radijs magis particularibus eum ſalutat ; imò certè quò propinquior nobis aderit ſol , eò major erit aëris generalis , & conſequenter aëris particularis incluſi rarefactio : Ex altera parte , quando ſol Hæmiſphærium Boreale relinquens lineam Æquinoctialem dividit , & plagam Meridionalem intuetur , tunc communis dicti Hæmiſphærij aër frigeſcet ac condenſabitur , & cum eo aër etiam ille particularis vitro incluſus ſimiliter & in eadem proportione contrahetur & inſpiſſabitur : Quod quidem ex eo conſtat , quòd aqua in collo vitri obſervatur altiùs per tot gradus verſus vitri caput aſcendiſſe , quemadmodum vice verſa aëris ejuſdem rarefactio patet , ex aquæ ejuſdem in collo vitri depreſſione. Iſtis ergo à vero perito bene conceptis ſive intellectis, videlicet , quòd cauſa iſtiuſmodi dilatationis ſive rarefactionis in aëre ſit Divini hujuſce in Tabernaculo ſolari actus , præſentia & propinquitas , & quòd ratio condenſationis illius ſit actus ejuſdem Spiritus Divinitus emanantis abſentia ſive remotio, & per conſequens præſentia Divinæ potentiæ , quæ eſt Tenebris involuta : Nam, uti diximus , caloris abſentia eſt frigoris præſentia , quòd eſt Eſſentialis in potentia Divina operator : Atque iterum caloris præſentia , qui eſt actus Divini agoniſta , eſt frigoris abſentia : Vnde patet , quòd abſentia poſitivæ lucis concipit privativas tenebras & abſentia privativarum tenebrarum importat præſentiam poſitivæ lucis. His , inquam , rite conſideratis ventorum Meridionalium tam internam , quàm externam rationem , & , quomodo aër vivifico ſpiritu à ſole emiſſo animetur , facillimè colligere poſſumus : Animadvertendum eſt ergo , quòd , cum ſol nobis adeſt , æſtas ipſius præſentia creatur , aër radijs ipſius lucidiſſimis caleſit , & per calefactionem rarior & ſubtilior redditur & ratione rarefactionis amplius pro ſua exiſtentia requirit ſpatium ſeu locum : Verbi gratia: Ponimus libras duas Vitrioli in Retortam vitream , bene lutatam , naſumque ſeu orificium ejus Recipienti amplo adaptamus , lutoque optimè obducimus & obturamus , ne ulla fiat Spirituum per juncturas expiratio : Tunc ignis gradibus Spiritus, è Vitrioli mole extrahimus : At experientia docti probamus , quòd ſpiritus olim modicæ & arctæ vitrioli maſſæ incluſi , jam per ignis activitatem dilatati , & in recipiens immiſſi ampliſſimum , ubi illud non eſt inventum ſatis capax & amplum ad eos è parvulo corpore expiratos recipiendum ; unde fit , ut materia illa ſpiritualis locum ad huc magis ſpatioſum pro ſua exiſtentia quærens , vitrum illud in multa fruſtula violenter & cum magno fragore rumpit , ac aërem apertum multitudine ſuorum fumorum replet : Vnde manifeſtum redditur, quòd res condenſata non niſi parvum occupabit ſpatium ; ſed poſtquam dilatetur , amplum pro ſua exiſtentia, requiret continens. Hoc profectò tum evidenter inſtrumento iſto experimentali demonſtratur: Nam ubi ſol eſt aëri incluſo præſens , vel ventus calidus Dominium habet , ipſe protinus plus minuſve dilatabitur & rarefiet ſecundum Spiritum ſolarium & ventorum calidorum tunc temporis ſpirantium vigorem : Sed iſte aër jam dilatatus ſpatium pro ſuo continente eo amplus requiret , quò magis dilatatur : Atque hoc ſic probatur : Nimirum , quia aqua in collo vaſis actu frigoris elevata jam caloris præſentiâ per tot gradus deorſum pellitur , per quot aër in raritate excellit.

Quo liquet , quòd ſola ratio , cur aqua magis magiſque deorſum præſentiâ caloris præcipitetur , eſt ; quoniam aër plus minuſve dilatatus ſibi locum præparat ampliorem pro ſua exiſtentia.

His ergo rite cognitis , notare debemus , quòd , ſole recenter veniente in Hæmiſpherium , in quo Hyems ſuum habuit Dominium , atque ideò , ubi frigiditas loci aërem condenſavit : Verbi gratiâ , quando ſol Hemiſphærium noſtrum relinquens in illud meridionale migrat , convertendum aërem ejuſdem , olim hyemalem, in conditionem æſtivalem, incipit immediatè agere ad æris illius mundi loci, rarefactionem : Atque ille aër ita rarefactus , & quaſi radijs ſolaribus animatus devenit agilis plumiſque levibus videtur indui : Vnde fit , quòd ipſe lucis ſolaris Spiritu ſic animatus à plaga Meridionali , in qua dilatatur, ad locum capacitate ampliore evolat , ut pote qui continens

tinens Medionale invenit ad ipsum in statuo suo rarefacto continendum : Insufficiens ergo ipse, spiritu solari sic animatus, lineam Æquinoctialem transire cogitur, ut Septentrionale Hæmisphærium visitet, in cujus ingressu facit strepitum, rarione crassitei & resistentiæ frigiditatis aëris hyemalis in plaga septentrionali : Atque iste aër sic animatus & divino actu in sole ab austro versus Aquilonem cum tanto strepitu evolans est ventus ille, quem Australem seu Meridionalem vocamus, qui propter eam rationem nobis tam frequenter Principio Hyemis, videlicet immediatè, post quam Sol Zodiaci libram, sive æquinoctium autumnale transiendosuum in scorpionem fecerit ingressum.

Hinc, inquam, est, quòd mensibus Octobris, Novembris & Decembris venti istiusmodi sunt adeò inter nos frequentes; unde tot imbribus Meridionalibus ab ijs salutamur : Nempe, quia frigus septentrionale condensat aërem Meridionalem fugitivum in nubes : Atque iterum nubes propter calorem Meridionalem ijs inclusum facilis sunt solutionis, uti vobis in Nubis descriptione explicabitur planius. Hoc totum oculariter demonstratur Instrumenti nostri Experimentalis observatione : Nam solius manus humanæ super caput vitri impositæ contractu, aër inclusus rarefit & dilatatur : Vnde fugit ad Polum oppositum, videlicet ad regionem aquæ frigidæ, quam ob istam rationem præcipitat & deorsum compellit : Quo arguitur, quòd aër frigore contractus caloris contactu dilatatur & viam facit ad partem oppositam, quæ est frigidæ seu Borealis naturæ.

Ex altera parte venti Boreales, & glacies & Nix, quæ sunt hyemali tempore frequentiores, efficiuntur ab afflatu illo, qui emittitur à Deo in potentiali & privativa sua natura, quam in isto mundo exercet, seu secundum voluntatem suam exsequitur, tunc videlicet temporis, quando arca virtutis suæ activæ Thesauraria, est remotior : Propter hanc etiam rationem posuit circa polos mundi sui frigoris Thesauros, ut pote, qui remo-
).37 9. tius ab Æquinoctijs distant. Hinc dicitur
). 38. in scripturis, quòd frigus ab Aquilone veniat : Et, quòd flante Deo concrescecleſſ.43.22. ret gelu : Et, quòd frigidus ventus Aquilo flaverit & gelaverit, & quòd Christallus ab aqua super omnem congregationem aquarum requiescit, & sicut lorica induit se aquis. Atque iterum : Venisti ne in Thesaurum nivis, aut in Thesaurum grandinis inspectionem habes? Et tamen lux seu proprietas Dei actualis & dilatativa non distinguitur aut dividitur ab eo, quamvis ab Aquilone juxta voluntatem suam spiret in potentiali seu privativa sua dispositione : Quatenus tenebræ sunt ei ac ipsa lux, ut ait Propheta Regius. Ob istam igitur rationem solet quandoque in sua iracundia spirare ab Aquilone tam cum fulgure, & tonitru, quàm cum nivibus, pruina & glacie &c : Vnde Propheta : Ecce turbo Ezek.1. venit ab Aquilone & nubes magna igne involuta &c : & tamen, tam nix frigida cum grandine atque etiam fulgure & calore liquefaciente procedunt ab uno eodemque Spiritu in Essentia : Vtcun- Ezek.37. que in proprietate sua sit multiplex (ut dictum est) unde Propheta (ut anteà citatum) vocavit unum eundemque Spiritum, nimirum unum & idem verbum in Essentia à 4. Ventis virtute differentibus.

Quod etiam Psaltes Regius in his: Emittente sermonem suum in terram quàm celerrimè, excurrit verbum ejus, qui edit nivem sicut lanam, pruinam sicut cineres dispergit, dejicit gelu tanquam frusta, coram frigore ejus quis consistat? Emittens verbum liquefacit ista, simul ac efflat ventum suum, effluunt aquæ. Quibus evidens est, quòd Deus sit semper unum & idem in se ipso ubicunque adest, nimirum in septentrione, ubi operatur privativè, aut in sole, in quo gloriam suam activam exprimit : Et tamen ejus voluntas est idem ei, quod est ejus Noluntas, hoc est, tam positiva ejus proprietas quàm privativa unitatem suæ essentiæ concomitantur, respectu illius, licet respectu nostri, qui patimur, videtur discrepare : Sic etiam voluntas & Noluntas homini concedenti vel neganti petitionem sunt idem: Licet petenti videantur omnimodè contraria æquè ac bonum & malum : Exempli gratiâ negativa ejus in positiva sua proprietate discernebatur, quando moriente corpore salvatoris, solis splendorem, gloriam luminosam & radios in se ad corporis ipsius centrum contra omnem Ethnicorum, aut Philosophantium aut Astronomorum imaginationem, hoc est, contra naturæ cursum (uti anteà est Demonstratum) contraxit, adeò ut sol tam niger & tenebrosus appareret ac si esset pix.

Concludo igitur, quòd quando proprietas Divini Spiritus potentialis moveat aut agat in aëre, aër contrahitur vel allicitur versus polum quasi centrum, atque ita in nives, pruinas, grandines & cætera transmutatur &c : In quo temporis spatio Instrumentum nostrum experimentale naturam prodit præcedenti contrariam : Nam secundum mutationem aëris exclusi, hoc est, Catholici mundi inferioris elementi, aër inclusus contrahitur, & caput vitri tanquam ad polum arcticum frigidum elevatur. Atque hoc denotat, quod Catholicus seu externus è vitro exclusus aër, simili planè ratione

in mundo operetur. Apparet igitur, quòd ratio ſpirituum iſtorum emiſſorum ſit occulta & nemini noſtrum, qui in profundo ignorantiæ abyſſo ſumus immerſi, revelata: Sed ſolummodò ijs, qui veræ ſapientiæ Doctrina ſunt inſtructi, quam Salomon confitetur, eſſe veram omnium rerum operatricem & realem atque ſolummodò ſapientem artificem ſeu magiſtram, quæ iſta Dei myſteria, dignis revelare ſolet: Nam verba ejus ſunt; Sapientia me docuit vim ventorum & virtutes Elementorum &c: Sed ulteriorem & ſtrictiorem ad huc inquiſitionem in Meteorologiæ Ariſtotelicæ medullam efficiam, & quid ipſe de nubium & pluviæ generatione cogitet, jam paucis aperiam. Sap.7.20.

CAPVT. V.

Quòd Ariſtotelis Doctrina de nubium & guttarum pluviæ generatione inveniatur omnimodè veræ ſapientiæ inſtitutis contradictoria.

NVnc autem ad ſcientiæ Ariſtotelicæ de meteoris aquaticis examinationem accedimus. Et, quoniam cauſæ nebularum, ut pote quæ ſunt nubes tenues, ſub communi nubium Titulo comprehunduntur, mihi ſtatutum, loco priori, generali nubis deſcriptioni inſiſtere. In primis ergo Ariſtotelis de Nubibus opinionem citabo, actum poſteà ipſam cum ſacrarum literarum de ijs ſententia comparabo, ut mediante iſtiuſmodi ad invicem relatione diſcernamus, utrum Peripatetici de eſſentia nubis propoſitum cum veritate conſentiat nec ne. Opinio ergo Ariſtotelis, quam Philoſophi Chriſtiani pro hodierno die ſequuntur, eſt, quòd Nubes ſit vaporis cujuſdam à terra & aqua in mediam aëris regionem vi Solis & ſtellarum attracti, & in nubis conſiſtentiâ, virtute extremi frigoris loci, contractio ſive congelatio, quæ tum poſteà partim caloris ſolis & partim poteſtate ventorum huc atque illuc per mediam aëris regionem fertur: Ecce, hæc eſt perpulchra illa Peripateticorum de Nubis generatione intentio.

Difinitio ſeu deſcriptio nubis Ariſtotelica.

Iam verò, ut meliùs iſtius negotij veritatem intelligamus, & an Ariſtoteles ſit verus in ejuſmodi nubis deſcriptione vates, vel falſus ſeu ſpurius Propheta, colligamus, oportet nos inprimis conſiderare, quid Textus ſacer de genuina Nubis generatione nos doceat, & quomodò cum prædictæ deſcriptionis Ariſtotelicæ ſenſu conveniat: Quod quidem, ut Methodo meliori diſcernatis, ipſorum dicta ad invicem comparabimus, quò melius quilibet mediocriter literatus de re iſta determinare queat.

In definitione ejus præcedenti cauſam nubis efficientem & procreantem facit Ariſtoteles calorem ſive actum ſolis & ſtellarum: Nam aſſeverare videtur, quòd virtute eorum, vapores ſurſum attrahente ſeu elevante, nubes in media aeris regione fiant; ſimul atque affirmat, ipſas huc atque illuc in media aeris regione, partim motu ſolari & partim ventis moveri: Porro etiam opinatur, quòd cauſa vaporis contractionis iſtius in nubis conſiſtentiam ſit temperies extremé frigida mediæ illius regionis: Ita, ut duo aſſignare videatur ad nubis generationem ſeu conſiſtentiam agentia extetna, conditione ad invicem contraria, nimirum calorem ſolis & cæterorum aſtrorum & frigorum mediæ aeris regionis: Internam verò nubis cauſam agentem aſcribit nullam, & per conſequens eam pro re quaſi mortua & inanimata & accidentaliter proveniente concludere videtur. Propter iſtam igitur rationem varia ſe offerunt cuilibet ſagaci conſiderationi in prædicta deſcriptione Ariſtotelica dubia, quæ penitiori & acutiori mentis humanæ acumine ſunt reſolvenda & determinanda, priuſquam ipſa directé de ea judicare poteſt: Quorum prius eſt, an ulla ſit in calore ſolari atque Aſtrorum virtus attractiva ad ſurſum in mediam aeris regionem, vapores è terra & aqua pro nubium generatione elevandos nec ne. Secundum, an medij aeris frigiditas ſit cauſa efficiens condenſationis vaporis ſublimati in nubem. Tertium, an Nubes externis ſolummodo cauſis efficientibus, nimirum mediantibus motu ſolari & ventis moveantur, & an principijs internis, quibus agitantur ſint deſtitutæ, vel potiùs ab interno aliquo agente ad verſus mentem Ariſtotelis animetur. Hiſce tribus quæſtionibus ordine idque breviter reſpondebo. Ad primam ergo Dicimus, quòd aſſertio illa Peripateticorum eſt erronea & falſa, quæ dicit, quòd Sol, Stellæ, vel ignis, virtutem aliquam attrahendi in ſe habeant, & conſequenter, quòd attrahant ſurſum vapores & exhalationes à terra & aqua in mediam aëris regionem: Nam experientiâ probatur, quòd potiùs vapores & exhalationes à ſe pellant ſive propulſent, hoc eſt, res calore rarefactas diſſipent & expandant, quàm ut eos ullo modò ad ſe alliciant vel attrahant, & per conſequens illud, quòd plærique homines imaginantur, eſt falſum: Videlicet, quod Sol fumos ſurſum attrahat, aut, quòd ignis vapores aquæ attenuatæ alliciat ad ſe: Sed dicimus, quòd ipſorum officium ſit rarefacere

facere & subtiliare aquas & humidiorem terræ substantiam in existentiam vaporosam reducere; & tunc affirmamus, quòd tales substantiæ in vaporum existentiam redactæ, possint per se & sine ope alterius sursum tendere: Nam, ut gravia appetitu innato tendunt deorsum, ita quidem è regione, quòd leve est naturali instinctu sursum petit. Verùm totum hoc perspicué per Instrumenti nostri Experimentalis observationem demonstratur: Nam, si manum super globosam ejus summitatem imposueris, aër vitro inclusus dilatabitur subitò & in sua dilatatione ab agente rarefaciente evolabit: Multò minus materiam fumosam ad se trahet.

Quibus evidens est, quòd tametsi in oculis mundanorum, vapores seu fumi sursum petere videantur, ac proinde concludunt, quòd ipsorum à terra motus ad sursum debeat ab attractiva solis & astrorum virtute procedere; tamen ista eorum assertio probatur oculari experimento esse falsa: Quatenus experientiâ docemur, quòd natura lucis & caloris sit attractioni contraria, ut pote cujus solius est rarefacere, & rarefaciendo dissipare seu discutere, cùm è regione attractio seu contractio sit nihil aliud, quàm condensatio seu congregatio quædam à proprietate Frigoris effecta: Quemadmodum speculo seu Instrumento nostro Experimentali perspicué demonstratur. Sed jam probabo fundamenta Aristotelis, quæ volunt, quod nubes sint ex vaporibus à terra ad mediam aëris regionem elevatis, procreatæ, esse omnimodè veritati dissentanea. Oportet ergo in primo loco considerare, sensum scripti sacri esse huic definitionis membro planè contrarium: Vt pote, ex quo colligimus, quod fide sit intelligendum, aptata esse sæcula verbo Dei, ut ex invisibilibus visibilia fierent &c: Quare certum est, quod neque terra nec aqua visibiles sint nubium origines, sed potius simplex aëris seu Elementi Catholici substantia, oppositis ventorum flatibus in nubis consistentiam condensata: Atque hoc etiam ex varijs alijs scripti sacri locis confirmatum habemus: Nam Iob: Deus sapientiâ aptat pondus aëri, & appendit aquas in mensura, ligat eas in Densis nubibus, facit pluviæ statuta & viam fulgetro Tonitruum. Quibus confirmat primùm vir patiens, quod Deus Pater sit radicalis istius operis Meteorologici author, æternusque ille efficiens, quo mediante operatur. Est ejus sapientiæ Spiritus. Quod etiam concordat cum isto Apostoli Textu: Nobis est unus Deus Pater, ex quo omnia, & unus Dominus Iesus Christus, per quem omnia. Secundo quod aër sit subjectum tam Meteororum ignitorum, quàm aqueorum: Nam condensatione ipsius facta est nebula & Nubis consistentia, quæ tum posteà in pluviam majore adhuc condensatione & resolutione convertitur: At si aer nimium rarefiat in conditione fulguris mutatur: Nec dico quidem actum ipsius fulguris esse aerem; sed potiùs est lux admirabilis, quæ vestitur aëre quasi vestimento, mira prædictæ sapientæ virtus, quæ se multiformiter in aëre manifestat, ut alibi est dictum: Nam ubi ejus actio positiva magis viget, ibi aër magis coruscans & fulgureus redditur.

Iam verò, quòd aër sit materiale Meteororum Aquaticorum subjectum, Textus præcedens his dictis importat: Deus sapientiâ sua aptat pondus aëri, hoc est, condensat pro suo placito in Nebulas & Nubes: Nam verba sequentia hoc idem arguunt: Appendit (ait Textus) aquas seu nubes in mensura &c: Aut eas attenuat in fulgura, ut ex Textu residuo colligimus, & semper sapientiæ Spiritus adest, in isto vehiculo se in varias species instar alterius Protei convertit. Denique ex dicto Textu elicimus, quòd invisibilis aër alteratur in pondere & mensura in consistentiam visibilem nubium, quæ tum posteà in pluvias liquescunt, & fulgurum, quæ compressione apparent oculis. Porro etiam, quòd neque sit Terra nec aqua, sed solus aër, à quo nubis substantia oritur, ex istis apparet. Aperiet Iohova tibi (inquit Moyses) Thesaurum suum optimum cœlos, dando pluviam terræ tuæ suo tempore. Ex quibus observamus in primis, quòd per cœlos intelligit aërem: Nam in aëre nubes procreantur, atque iterum: Aër vocatur cœlum in multis scripturæ locis, ut volatilia cœli &c: Vnde concludimus, quòd ipse sit arca Dei Thesauraria, ex qua ipse juxta placitum, suum producit & efformat nubes, quasi visibilia ex re invisibili. Secundò, quòd aër vocetur Thesaurus ejus optimus, & per consequens, ut pote ex quo Deus non modò creaturas suas Meteorologicas extrahit, sed etiam sapientes nonnulli summum eorum bonum expectant. Præterea alibi legimus: Propterea aperti sunt Thesauri & evolarunt nubes & nebulæ sicut aves. Sed hoc ad huc evidentius sermone isto redditur. Subitò aër condensabitur in nubes, & ventus transiens fugabit eas. Quo arguit expressé, quòd aër sit arca Dei Thesauraria, ex qua nubes condensatione eliciuntur, & quòd cœlum sit unicus Thesaurus, ex quo ipsæ extrahuntur: & per consequens nec terra nec aqua, ut Aristoteles putavit: Quod quidem si esset verum, animadvertatis velim, quàm absurda impossibilitas sequeretur: Nam tunc, cum sol solet aquas æstivo tempore attenuare, aërem maximé redderet

Deut. 28. 11.

Eccles. 43. 17.

Iob. 37. 21.

Iob. 11. 2.

Iob. 28. 25.

Iob. 26. 9.

1. Cor. 8. 6.

vaporum multitudine ſpiſſum, & tunc major adhuc irregularitas ſubinde oreretur ad ſubvertendam rationem Ariſtotelis de nubium generatione: Nam ſi hoc eſſet verum, majorem nubium & pluviæ copiam expectaremus æſtivali, quàm hyemali tempore, utpote, quo ſpatio vapores magis redundant ex ſtagnorum, torrentium & fluminum exhalatione per præſentiam Solarem: At hoc effectu probatur falſum. Ac denique non eſt calor Solaris nec ſyderum, ſed æternus Iehovæ ſpiritus, qui habet Dominium in ventos mundi Angelicos, in quibus organicé movetur & operatur omnes iſtas alterationes Meteorologicas, in aëre & per aërem, uti infra declarabitur: Vnde dictum erat, ut ſupra, Sapientiâ fecit pondus aëri, & nubes appendit in menſura &c: Sed venio jam ad ſecundum dubium.

Pro reſolutione ſecundæ quæſtionis dico, quòd ſit alius modus condenſationis vaporis inviſibilis ſive aëris in nubem, quam eſt ille ab Ariſtotele effictus: Nam ubi ille aſſerit quòd iſtiuſmodi inſpiſſationis actus à contractivo mediæ aëris regionis frigore fiat, admiratione dignum venit, cur effectus iſte non etiam alijs temporibus eveniat, nempe cum venti ſpirant à ſuis terræ quartis ſive plagis: Nam, quando venti Auſtrales dominium habent, tunc nubes obſervamus multiplicari, & pluvias abundanter cadere: ſcire, inquam, velim ab iſtis Peripateticis, cur vapores tam affluenter é terra & aqua illo præſertim tempore, dum venti iſtiuſmodi ſpirare ſolent, plus, quam alio, in quo ipſi dominium non habent ad nubes tam copioſas in aëre procreandas aſcendant, aut cur vapores taliter aſcendentes magis coagularet ſeu condenſaret mediæ aëris regionis frigiditas illo, quàm alijs temporibus, cum nubes calidæ aërue ſpiſſus, radijs calidis loci mixtus, qui Borealiter ab æquinoctio pelluntur debeant potius mediæ regionis frigora moderari & mitigare. Scio profectò ipſos, quid reſpondeant, penitus ignorare: Quare eos ulterius in hac re non premam: Sed ut melius eliciatis veritatem, qua aër in nubes condenſatur, experimentum à me ipſo expertum, quo in nebularum & nubium generationis myſterio eram inſtructus, vobis paucis explicabo. In itinere meo à Civitate Venetiana Auguſtam Vindelicorum verſus, ut inter montes & ſcopulos Alpinos viam feci quodam die, toto Horizontis cœlo etiam claro admodum & ſine ullius nubis macula apparente, & per conſequens Sole liberos ſuos radios undique, ſine ullo nebuloſo impedimento ejaculante, in montis admodum ac præ cæteris proceri ac præcipitis ſummitate, idque præcipuè ex unico ejuſdem latere, contra quod nihilominus Solis radij feriebant fortiter, nebulam gradatim creſcere & augeri animadverti, quouſque tandem illa erat in nubis denſæ conſiſtentiam redacta, quæ tandem in pluviam eſt reſoluta, & toto hoc tēpore, aër erat undique, excepto illo ſcopuli latere, nimirum ab ejus faſtigio ad baſin ferè uſque clarus & nebulis ac nubibus immunis. Primò certe rei novitate admiratus ſum, remque mecum ſeriò conſiderando tandem ex curru deſcendi, gramenque digitis arripiendo illud in aërem apertum projeci, ut venti viam exinde diſcernerem: Inveni autem ejus ſpiracula directè adverſus illud montis ſupereminentis latus dediſſe. Quo ſtatim colligebam, quòd gradus in progreſſione à vaporis aërei in nebulæ & à nebula in nubis conſiſtentiam eſſent à majori vel minori, communis & Catholici aëris compreſſione, effecti: & quòd ventus aërem fugientē proſequēns, illam ſolummodo aëris portionem appoſitione & compreſſione parumpoſt parum coagulaverit, cujus fugam ſcopuli reſiſtentis proceritas impediebat, atque hac ratione aër aëri additus in ſtatu inviſibili & tenui in formam viſibilem & denſam alterabatur: Vnde primùm nubecula, deinde nubes ſecundum anteriorem montis effigiem generabatur, quæ tandem calore Solis in pluviam eſt reſoluta, toto alio aëre manente claro. Quo quidem oculis apertis percepi, quòd nubes non eſſent more ab Ariſtotele deſcripto procreatæ, nimirum à vapore è terra & aqua elevato, ſed inſpiſſatione tenuis ac inviſibilis aëris in Nebulæ conſiſtentiam, & ab illa in nubem à nubecula per unum denſitatis gradum differentem. Qua quidem obſervatione percepi Iobi iſtam aſſeverationem confirmatam dicentis: quòd ſubitò aër condenſabitur in nubes, & tranſiens ventus fugabit eas: Verùm enim verò, haud parum ad huc in eo hæſitabat ſpiritus meus, conſiderando, quòd montes & proceri ſcopuli eſſent ubique, quo aërem fugientem impediant in omni loco reperiendi: at Nubes é contra etiam in deſertis plenis, atque in mari aperto, ubi montes ac ſcopuli non ſunt apparere ac movere cernimus. Quod mecum ſeriò & ſæpe revoluens, tandem aliâ experientiâ edoctus opinione illa mea aliquantulum profundiùs eram radicatus: Nam mecum haud inconſultè cogitabam, nullum eſſe ventum in cœlo cum Dominio. Spirantem, qui non habet ventum alium vel oppoſitum vel collateralem, qui ei in Elemento communi ſeu Catholico non concurrit: utcunque non diſcernitur ob venti potentioris dominium, qui non aliter obſcurat actiones minoris venti, quam præſentia Solis ſolet candelæ accenſæ lumen. Iam verò, quòd venti duo uno eodemque tempore ſpirent, experientiâ iſtâ fui inſtructus: Ego ſæpius per Maria invectus, obſervavi, quòd, cum ventus præ dominans decreſcere aliquantulum in ſuo vigore per vices, & vela navis non niſi debiliter urgeret, ventus ei oppoſitus ſuos

Iob. 37. 21.

patefe-

patefecerit flatus, quippe quorum virtute vela contrariè movebantur, quousque ventus prior in aëre resurgens fortiorque evadens, vela iterum, ut anteà, suis viribus impleret, nosque ad metam nobis desideratam conduceret. Porro etiam ipsas scripturas habemus ad testificandum, quòd duo vel plures venti uno eodemque tempore crebrò spirent: Nam inprimis idem spiritus à quatuor ventorum plagis ab Ezekiele erat invocatus; Et Daniel: Ecce quatuor venti cœlipugnabant in Mari magno: Et Zacharias, isti quatuor equi sunt quatuor venti, qui egrediuntur & stant coram dominatore omnis carnis. Quibus manifestum redditur, quòd non unus vel duo venti, sed etiam plures simul in cœlo spirare queant: Nam ex spiraculis suis oppositis vel transversis nubes, Turbines, tempestates, fulgura & tonitrua sunt communiter effecta. Quod omne Poëta ille profundissimus Homerus hisce agnoscere videtur, quæ à Græcanico in Latinum sermonem sic transferuntur.

Ezekiel.37.
Daniel.7.
Zhar.6.1.

Tantus cœlesti rumor percrebuit aulâ,
Cùm sæva alterni ruerent in prælia Divi:
Neptunum contra bellabat Phœbus Apollo:
Adversus Martem certabat Pallas Athenæ.

Vbi per divos intelligit Spiritus Angelicos, qui à ventorum præsidibus simul emittuntur, qui per eorum in campo aëris aperto concursum more contentioso juxta prædictum Prophetæ Danielis sensum, inter se contendunt & luctant: Nam per Neptunum arguere videtur plagæ occidentalis præsidem, qui est conditionis aqueæ; & per Phœbum præsidem Orientalem, cujus spiracula sunt ignea: Per Martem intendit fulgura &c: At Ovidius istam in aëre pugnam luculentius sic describit, ubi Boreas videtur habere Dominium.

Idem ego, dum Fratres cœlo sum nactus aperto,
Nam mihi campus is est, tanto molimine luctor,
Vt medius nostris concussibus insonet Æther,
Exiliantque cavis elisi nubibus ignes.

Vbi per Fratres Boreæ videtur intelligere ventum Australem & cœteros Cardinales, qui, dum Boreas flat cum Dominio, more fluctuoso contendunt in aëre, & non modò nubes, verùm etiam Tempestates in Elemento aperto, pariunt. Quare ulteriori dubio non eram distractus, sed pro certo statuebam, quòd aut duo aut plures venti simul sive more oppositio sive transversali flare possint: Quorum concursu aër invisibilis intermedius comprimitur & in Nebulæ nubisve substantiam redigitur, quæ nubes nihilominus ab illo pellitur & fugatur vento, qui majus habet in cœlo Dominium, juxta prædictum illud Iobi: Subitò aër condensabitur in nubes, & ventus transiens fugabit eas: Ita, ut de facili sit colligendum, quòd nubes formetur, quo ad ejus existentiam ab aëre in hunc modum: Aër integram cœlorum cavitatem implens, & per consequens mundus sublunaris & Elementum Catholicum haùd injuriâ dicendus, cogitur violenter coram venti unius spiramine movere ac fugere: Sed in suo motu seu fuga à vento priori tum situ, tum natura contrario, utcunque viribus imbecilliori impeditus, per assiduam partium appositionem & compressionem concrescit & coagulatur paulatim, uti in observatione mea juxta montem est dictum, à substantia aërea & invisibili in nebulæ vel nubis consistentiam: His ergo rite consideratis, evidenter constat, opinionem illam Peripateticorum de nubis generatione esse falsam & erroneam.

Iob.37.21.

Iam verò ad Tertij & ultimi dubij resolutionem venio, quod est, an nubes solummodò superficialiter & ab externo, nimirum ventorum transeuntium & caloris Solaris actu (uti est opinio Aristotelis) & non ab interno & centrali aliquo agente moveatur nec-ne, cujus mandatis non modò venti obediunt, sed & nubes partim Spiritu interno movente & partim ventis ab illo etiam spiritu animatis huc atque illuc feruntur. Respondeo, quòd nubes contra vanam illam Peripateticorum assertionem suo interno agente fruatur, quòd eam vocat, hoc est, ad placitum suum perficiendum, incitat: hoc inquam principium nubis internum, eam quasi vehiculum suum dirigit, quò & quomodò ei placuerit: Nam ut agens hoc est Catholicum, ita quidem illud non abest à spiritu venti, qui etiam præsens est cum nube, utpote, quæ sapientiæ spiritu conflatur atque animatur: Nam, cùm dictus spiritus agens sit præsens, cum & in spiritu venti, ipse in & mediante spiritu Angelico venti operatur centraliter in aëre, & facultate sua congregativa aëream contrahit in speciem nubis, quam tum posteà facit suum Tabernaculum & ascendens super spiritum Angelicum, & volans super alas venti, facit suum tabernaculum cum vento movere secundum voluntatem suam: Hinc, inquiunt scripturæ: Nubibus densis obtegit Deus cœlos, qui comparent terræ pluviam, qui facit, ut proferant montes fœnum

Psalm. 147.8. tes fœnum & dent jumentis cibum. Et
Iob.22. Iob : Denſæ nubes Tugurium ejus : Et
Psal. David: Nubem expandit Deus pro tegu-
mento: Et Moyſes : Deſcendit Domi-
Num.11.25. nus in nube , & locutus eſt ad eum. Sed
totum illud, quod à nobis eſt anteà dictum
ex iſtis ſequentibus luculentiſſimé explica-
2.Reg.22.8. tur : Inclinavit Iehova cœlos & deſcendit
& caligo ſub pedibus ejus & aſcendit ſu-
per Cherubin & volavit ſeu lapſus eſt ſu-
per pennas venti. Poſuit tenebras in cir-
cuitu ſuo latibulum, cribans aquas de nu-
bibus cœlorum præ fulgore in conſpectu
ejus nubes accenſæ ſunt &c : In quo Textu
totum illud anteà à me allegatum confir-
mari videtur : Nam primùm dicitur, quòd
Deus ſuper Cherubin aſcenderet , qui eſt
aëreus & per conſequens ventoſus ſpiritus
ſive Angelus,in quo verbum Domini mo-
vebat , & tunc in & mediante iſto ventoſo
ſpiritu , tugurium ſibi obſcurum efformabat:Nam dicitur: Poſuit tenebras in circui-
Psalm.104.3. tu ſuo latibulum &c : Sive currum : Nam,
ut David habet : Nubes denſæ vehiculum
Psalm.67.17. ſeu currus Dei , qui itat ſuper alas venti. Et
alibi dicitur: Mons Dei coagulatus, in quo
beneplacitum eſt Deo in habitare : Ita , ut
luculenter conſtet , quòd Spiritus Dei mo-
veat Spiritũ Angelicũ : Cum, quaſi orga-
num primi ordinis, & ſpiritus, informat at-
que excitat aërem cum natura ventoſa , ut
pote cujus motu ſive actu in eo aër tranſ-
mutatur in naturam ventoſam : Vnde Pro-
pheta , ut anteà : Qui facis Angelos ven-
tos. Tunc ille aër ab una eademque Divi-
nitate animatus aërem communem in nu-
bes reducit , quæ loco curruum ei inſervit,
qui eſt unicus in iſtis omnibus operator,
mediantibus varijs organis : Quorum u-
num eſt in alio magis centrale , & per con-
ſequens dignitate prius : Nam quo magis
internum eſt organum, eò præſtantius, no-
bilius & potentius , ut pote propinquius
accedens ad Divinitatis ſedem , quæ ver-
ſatur in centro, & in centro agit & opera-
tur omnia. Quod Deus eſt motor unicus
in tonitribus , quòd loquatur ex turbine &
nube, & quod ſit pro velle ſuo ignis conſu-
mens , & quòd agat centraliter in ventis,
Nubibus,nivibus & tempeſtatibus,& quòd
omnia iſta mediante ſpiritu ſapientiæ per-
ficiantur , ubique ſparſim teſtantur ſcriptu-
ræ ſacræ : Quare in conſulté ſatis conclu-
ſere Peripatetici , nubes ſolummodò à ſolis
calore aut à vento,quaſi externis ſolis prin-
cipijs animatas movere; Cum hiſce , quæ
dicta ſunt, liquet, quòd nubes ſit Taberna-
culum , Tugurium & currus æterni illius
ſpiritus , cujus equi (ut Propheta Zacharias
habet)ſunt quatuor venti ſeu potiùs ſpiritus
Cherubinici , qui ventis præſunt , eoſque
animant. Quare evidens eſt, quòd volun-
tas ſive centrale Principium motionis, inſit
nubi : Sed Angeli & venti ſunt miniſtri ſeu
organici motores, qui movere eam ſolent
ſecundum voluntatem primi & centralis
in ijs agentis. Quare,tametſi in præceden-
tibus probavi , quòd aër eſſet nubes con-
denſatus , & ventus tranſiens fugaret eas,
juxta Iobi ſententiam; tamen ille, qui man-
dat iſtiuſmodi nubium generationem me-
diantibus ventis , eſt unicus & centralis ille
agens & motor tã in nubibus,quàm ventis,
qui juxta,voluntatẽ fecit miniſtros ſuos eũ
movere & portare ,ubi vel quò ei placebit:
Hinc ergo Salomon : Sapientia ejus abyſſi
ruperunt ſe & cœli deſtillant rorem. Et
Iob : Flante Deo concreſcit gelu : & alibi:
Sapientiâ aptat pondus aëri & appendit a- Prov.30.2c
quas in menſura &c : Audacter ergo con- Iob.37.
cludere poſſumus,tam adverſus Ariſtotelis,
quàm aliorum Ethnicorum Doctrinam, Iob.28.
quòd nec terra nec aqua ſunt radicales nu-
bium fontes, ſed cœli ſive aër ſublunaris,ut
pote, qui ſunt arca Dei Theſauraria : neque
eſt frigoris in med-a aëris regione incle-
mentia , quæ vapores aliquos imaginarios
à Terra & aqua elevatos condenſat : Sed
centralis ille ſpiritus animans & vivificans,
labens ſuper alas venti, qui reſidet, ſed non
incluſivé,in nube , qui mediantibus mini-
ſtris ſuis ventoſis ſive ventis Angelicis,
nubes creare ſolet , ut ſibi in multis inſer-
viat : Vnde liquet , quòd nubes non
agat & moveatur per calorem Solarem,
ſed Divino illo actu lucido , qui ei in-
eſt occulté : & quaſi imperator ſum-
mus inſidet Cherubinis , qui ſunt aërei
& ventoſi Spiritus ſeu Angeli , uti Sera-
phin ſunt ignei , atque ita movetur ſuper
alas venti , quem Spiritus Cherubinicus
animat , ita ut in & per organum ſuum
ventoſum dicatur flare & movere, ubi &
quando bonum ei videbitur. Patet ergo,
quod Divinitus agat in Angelo Cheru-
bin , Angelus per Spiritum Dei movetur,
animat, agitat & movere facit ventum;
ventus ſe nebuloſo aëri immiſcens, eum
rapit, ubi primus & unicus totius machinæ
nebuloſæ fabricator deſiderat; qui in iſto
negocio operatur omnia : Non aliter,quàm
in machina rotis movente obſervamus,
quòd rota centralis moveat rotam ſecun-
dam , quaſi organum primi ordinis , & illa
ſecunda moveat tertiam ; tertia quartam.
Et tamen videmus , quòd integra agendi
virtus atque eſſentia ſit in centrali rota , &
conſequenter cæteræ rotæ exteriores ſunt
organa , quæ per ſe mortua ſunt , & quieſ-
cunt, niſi à primo & unico illo motore ex-
citentur. Concludimus igitur , quòd ſit
omnipotens & omnia creans Spiritus , qui
eſt generalis actor & formalis motor in
meteoris , cui miniſtri Angelici , qui ſem-
per ſtant coram facie dominatoris terræ
(ut Zachariæ verbis utar) aſſiſtunt, ut orga-
na ſeu cauſæ inſtrumentales ad ſuam vo-
luntatem à re qualibet, exequendam. Eſt,
inquam Spiritus iſte eſſentialis , qui flat
à centro nubis per ſuos Angelos ventoſos , qui (teſte Davide) ſunt miniſtri,
facientes placitum ejus. Denique ex iſtis

videre

videre licet, quòd Philosophia ista Aristotelis non sit de desuper à Patre Luminis, sed terrena, animalis & Diabolica, juxta Apostoli assertionem, quatenus veritati sit contradictoria. Quare extrema videtur in Philosophis Christianis dementia, viri hujus Ethnici doctrinam, tanto fervore insequi, ac si Theodidactus, seu à Deo esset doctus, cùm revera Christianos à divinæ essentiæ in suis operibus cognitione, omninò distrahit: Quatenus ipse falso asseverare haud erubescit, non sine immensâ à divinitate derogatione, quòd res tanti momenti, quales sunt meteora, tam in cœlo, quàm in terra & aquis, varijs modis & more accidentali procreantur.

CAPVT. VI.

Vera & essentialis nubis definitio, seu potius descriptio, hoc in capite juxta scripturarum sacrarum sensum explicatur.

ASsignes igitur, sat scio (replicabunt Peripatetici nostri) si possis definitionem Nubis magis essentialem, idque secundum veram tuam sapientiam & Textus sacri sensum, quem tanta devotione videris sequi. Quibus ego me ad istud opus obeundum paratum esse.

Nubes, est spiritus mundani in arca Dei Thesauria, hoc est, in ejus cælis occultati, sapientia divina centraliter operãte, ministrisque ejus ventosis extrinsecus Dei nutu aëra cõprimentibus, revelatio: Hoc est, visibilis aëris invisiblis in cumulum nebulosum, flatu divino coacervatio, quam Iehova pro tegumento suo expandit, & pro tugurio seu vehiculo, ad voluntatem suam tam in cœlis, quàm in terris complendam, habet.

Vel sic.

Nubes est aër, in vaporis densi seu nebulæ gradum prius, atque ab illo paulatim in spissiorem atque obscuriorem consistentiam, duorum ventorum sive oppositorum sive trans versalium flatibus, Deo sic volente & centraliter ad suam voluntatem complendam operante, compressus atque condensatus.

Vel sic.

Nubes est vaporosa & densa aëris congeries, quam sapientia divina ubique per mundi spiritum expansa, ex nihilo quasi fecit, hoc est, ex invisо atque incognito aëris sacrario seu arca Thesauraria ad suam voluntatem tam in cœlis, quàm in terris exequendam visibilem fecit & in lucem vulgarem produxit.

In hujusmodi definitonibus, causa materialis est, densa & vaporosa aëris congeries, seu cumulus nebulosus, in qua etiam & causa formalis, depingitur: Habemus etiam in ea causam efficientem seu centralem, nimirum sapientiam divinam, ut & externam & superficialem, videlicet ministros sapientiæ ventosos, comprimentes aërem, eique in motu assistentes: Habemus & minieram seu arcam Dei Thesaurariam, ex qua materia seu consistentia nubis extrahitur; videlicet cœlos, qui sunt Thesaurus Dei. Denique causa finalis inibi declaratur, esse, ad effectus voluntatis Creatoris, sive benignos & salutares, sive severos & insalubres producendos.

Iam verò ad priorem descriptionis harum portionem defendendam atque comprobandam, ait sapiens: Deus sapientiâ suâ aptat pondus aëri & appendit aquas in mensura &c: Quibus tam causa nubis materialis, quàm illa efficiens detegitur: Nam actione Divini in aëre spiritus, aër disponitur in densiorem vel spissiorem atque in leviorem aut ponderosiorem consistentiam: Nam, verba expressa sunt: Aptat pondus aëri: Quare aër est causa materialis, & spiritus sapientiæ, est unicus agens essentialis, & per consequens nubium & pluviæ author. Et Syriachus: Aër condensabitur in nubes, & ventus transiens fugabit eas: Hic ergo causa materialis, videlicet aer; atque Formalis, nimirum condensatio in nubes describitur. Et alibi: Congregatio Spiritus aspergit nivem. Iob.28.25 Eccleſſ.43.

Ad causam autem efficientem quod spectat, eam anteà descripsi esse spiritum sapientiæ: Deus sapientiâ suâ aptat pondus aëri & appendit aquas in mensura, ut anteà. Et alibi: Nubibus densis obtegit Deus cœlos, & pluribus alijs locis. Pſal.147.8.

Pro causa Finali, ait Iob: Pro irrigatione fatigat Deus densam nubem & dispergit lucem nubis suæ, quod cunque præcipit illis faciendum in terra, sive ad flagellum sive ad faciendam beneficentiam, efficiet, ut præsto sit. Et Baruch: Cùm nubibus mandatum est à Deo, ut obeant totum orbem habitabilem, perficiunt, quod imperatum est. Ita ut videmus magnalia ista Dei, à secretis & invisibilibus suis habitationibus seu sacrarijs extrahi, ad placitum ipsius faciendum, qui ea creavit. Iob.37.40. Baruch.6.60.

CAPVT. VII.

Quomodo nubium componendarum ratio, ex instrumenti nostri experimentalis observatione, ocularitèr demonstretur, atque etiam nivis definitio falsa & vera, oculis intuentium exponantur.

IAm verò æquum est, ut modum, quo nubes in cœlo, oppositò ventorum duorum spiramine, videlicet ex Austri dominio & insensibili Boreæ afflatu, generantur, ocularì experientiâ demonstrem. Prædixi vobis cap. 4. lib. 4. sectionis hujus, quòd, ut aër vitro instrumenti experimentalis inclusus, solo manus calidæ contactu se dilatabat in collo ejusdem, & dilatatione evolabat à manu tangentis, in frigidam regionem aquæ (quod in eo probatur, quia aqua anteà elevata in collo vitri, jam subito præcipitatur) ita etiam aër grossus hyemalis in Hæmisphærio Australi, transeunte sole per Æquinoctium Autumnale, præsentiâ solis calidi dilatatur: &, quoniam hæmisphærium illud, non est ad totum illum spiritum ita dilatatum comprehendendum sufficiens, fugit veloci motu, ab activitate solari, trans lineam æquinoctialem, in hæmisphærium Hyemale seu Arcticum, ut ibi locum pro sua existentia magis spaciosum inveniat: At spiritus ille volatilis & dilatatus, inveniens constantem illius loci aërem, ob solis absentiam à frigore Boreali contractam, ibidem subitò condensatur in nubes: Atque hæc est ratio, quòd, ubi flatus Borealis nullus evidenter persentitur, ibi venti Australes copiam nubium & pluviarum producere soleant: Ita, ut manifestum reddatur, quòd spissus Borealis Hæmisphærij aër, Borealibus flatibus agitatus, & aëre calido subtiliato, ab Hæmisphærio oppositò emisso occurens, ei resistit, & paulatim in nubis existentiam reducit: Hoc, inquam totum, observatione debita aëris vitro machinæ inclusi, explicatur, uti anteà est indicatum.

Denique definitiones Aristotelicas pruinæ, grandinis, glaciei & similium Meteororum, hoc in loco explicare, easque sacræ scripturæ sensui contradictorias esse, probare nolo, quoniã amplã de istis, in Metereologia cosmica mea, feci mentionem: & proinde vos ad ipsam refero. Sed nivis solius definitioni jam insistam. Aristoteles videtur asseverare, nivem esse nubem frigore intensissimo congelatam, quæ, antequam sit completè in aquam, vaporosa dispositione dissoluta, in niveam substantiam convertitur: In qua ejus definitione, quoniam cum non minus errabundum ac in præcedentibus & præcipuè in nubis origine, invenio, ei fidem exhibebo nullam: Prætereà scripturæ sacræ intentionem & leges, istiusmodi sua descriptione transgreditur: Nam ipsam Nivem ego aliter idque juxta Paginæ sanctæ statuta, sic definio.

Nix est Meteorũ, quod Deus ab arcano suo Thesauro, seu arca Dei Thesauraria, in forma lanæ extrahit, ad voluntatem suam efficiendam in terra, sive ad pœnam & flagellum, sive ad beneficentiam & benignitatem.

Vel sic.

Nix est creatura, ex abstrusa aëris arca, seu Thesauro Dei, mediante frigido Spiritus Divini spiraculo, in forma lanæ, ad placitum suum divinum perficiendum producta.

In qua causam materialem observamus esse ipsum aërem, aut substantiam cœlorum, unde Textus sacer: Congregatio spiritus aspergit nivem. Et Iob: Perveniśti in Thesauros nivis? eo Psaltes Regius: Deus verbo suo emittit nives, sicut lanam, coram frigore ejus quis consistat? Et Iob: Flante Deo concrescit gelu. Quibus etiam causa efficiens nivis se prodit, nimirum ipse Deus Pater, à quo omnia per spiritum sapientiæ. Porro causa formalis in eo describitur, quòd emittitur instar lanæ. Ac denique finis est, ut vel vindicet suum Dominium adversus impios, vel benefaciat ipsis, quos Deus in sua misericordia & benignitate respicit. Eccles. 49 Iob. 38. Psal. 147. Iob. 27. 9.

Plura de ventorum, Nubium, Nivis cæterorumque Meteororum Mysterio in Tractatu seu volumine meo de Meteorologia Cosmica sum locutus: Quare brevitatis causa vos ad illius discursus medullam refero.

CAPVT. VIII.

Quænam sit Aristotelis de fontium & fluminum origine seu generatione sententia, & an ipse in ea Divinæ sapientiæ veritati conveniat nec nè.

CVm ergo sit apparens, quòd Doctrina Aristotelis de ventorum & nubium generatione & essentia sit impura, fallax & veritati contradicens, mihi in isto loco proposui opinionem ipsius, de fontium & fluviorum origine, ad Lydij lapidis examem proferre. Peripatetici, cum Christiani, tum Ethnici, tam in fontium & fluminum orta, quàm in Meteoris cæteris à me recitatis, decipiuntur, atque ideò sectæ eorum princeps (re æquis justitiæ trutinis ponderata) debet à quolibet syncero Christiano, pro mundi deceptore seu impostore haberi, & consequenter ejus de subjecto Meteorologico doctrina debet repudiari atque deleri.

Aristo-

Aristoteles & ejus sectæ reliqui sunt de opinione, quòd terræ venter, varijs cavitatibus, meatibus & fissuris impleatur, per quas necesse est, ut vapores à terræ centro ad vacui evitationem, sursum ascendant, qui in suo motu lateribus concavitatuum, fissurarum seu meatuum & venarum terræ adhærentes, in aquam resolvantur, qui guttatim distillando efficiunt fontes, quibus tum postea flumina oriuntur: In qua eorum fontium descriptione, concludunt, materiam eorum nihil esse aliud, quàm vaporem è terræ viscerib⁹ ascendentem, & in aquam tum posteà in transitu, ratione frigoris atque etiam caloris loci condensantur: Haud aliter, quàm juxta eorum sensum, nubes, pluviæ, nives & grandines oriuntur, à vapore primum condensato, & tum posteà liquefacto.

At si quamlibet istius membri definitionem oculis acutioribus introspiciamus, illudque paulò accuratiùs examinemus, percipiemus quidem, quòd ad fontium ortum requirant non modò materiam duplicem, verùm etiam formam agentem geminam: Fingunt enim, quòd materia remota sit vapor, & tunc materiam propinquã imaginantur esse guttas aquæ, quæ ex vaporis congelatione fiunt Etiam duplices suas causas efficientes frigus & calorem, statuunt: Nam, inquiunt, est frigoris officium condensare & coagulare vaporem ascendentem in consistentiam aquæ: Ac caloris est & frigidi simul, ut reddant aquam mobilem & fluxibilem. Mihi ergo, Lectores consulti, liceat hisce Philosophis Peripateticis cum suo proprio Axiomate respondere, & consequenter eos armis suis proprijs evincere. Frustra, inquiunt, fit per plura, quod fieri potest per pauciora: Iam verò, si opus hoc radicale & originale, in fontium generatione, possit convenienter per unum idemque aquæ subjectum, à natura, sine ulla ipsius in vaporem resolutione, atque tum posteà in aquam secunda vice, condensatione præstari; tunc non dubito, quin mecum concludatis, istud suæ definitionis membrum esse incongruum, vanum & imaginarium: Sed hoc in sequentibus, idque oculari demonstratione reddam apparens & manifestum: Nimirum, quòd in cursu naturæ sit possibile, ut aqua sine ulla suæ consistentiæ alteratione, possit secretis venis atque meatibus terræ in altum, etiam ad montium procerorum cacumina, à terræ & maris profundo elevari, postquam ipsa in occulto suo, per arenosam & porosam terræ substantiam transitu, naturam suam salsam deposuerit. Quo quidem sat liquidò apparente, inventionis Aristotelicæ vanitas subito cuilibet sapienti detegetur. Præter hæc sterilitas inventionis, sive rationis ipsius, quæ vapores lateribus cavernarum terræ adhærentes, debere in aquam converti, & in fontes & flumina tum posteà fieri effingit, reddetur palpabilis & manifesta, si consideremus, quòd guttæ ita factæ, paratiores erunt ob earum ponderositatem. tendere atque revertere deorsum in terræ viscerâ, per eosdem meatus, à quibus sunt in forma fumi elevatæ, quàm, ut moveantur allateraliter. Quare verisimile est, quòd aqua sic facta, aut saltem major ejus portio, in locum, à quo venit in forma vaporis recideret. Sed omittendo pro temporis pauxillo istas rationes, examinabo & conferam hoc ejus descriptionis membrum cum Biblij sacri Authoritate & veritate, quò melius, an inter se in hac re conveniant nec ne, discernamus.

Invenimus in primo loco, quòd non sit accidentale & imaginarium, aut frigus aut calidum in terræ viscer⁹, quæ istius Meteori generationem efficiunt, sed Deus, qui operatur aut per Angelicos ventorum spiritus, aut à palatio suo solari ad istius negotij complementum. Et tametsi in sua actione tam privativa, quàm positiva frigiditas & caliditas, se ipsas loco ministrorum exprimant (Nam Textus habet: Coram frigore ejus quis consistat.) Tamen est Catholicus ejus actus positivus, in sole & ventis calidis, quem è Tabernaculo suo solari & ex ventis suis calidis extendit, & privativa seu contractiva ejus virtus, quam manifestat per longinquitatem seu absentiam lucidi sui Tabernaculi à regione assignata, atque etiam polaris sedis Propinquitas, & ventorum frigidorum præsentia; quæ annuatim alterant, & varieformiter transmutant creatum Elementũ. Atque ideò est, ipse Deus, qui mediantibus organis suis spiritualibus, tam in cœlo desuper, quàm in terra & aqua inferius, operatur omnia & inter cætera producit ac generat fontes, ex quibus tum posteà fiunt flumina: Et per consequens est actus illius Spiritus, qui, teste Salomone, implet orbem terrarum, & omnes mirabiles in ea effectus operatur. Quod etiam Psaltes in his verbis confirmat: Qui emittis fontes per valles, ut inter montes ambulent, & potum præbeant omnibus animantibus agri, ut frangant onagri sitim suam. Quare videmus, quòd solus agens Catholicus, atque ideò fontium procreator, sit spiritus ille divinus: Iterum hîc causam finalem, ob quam fontes creati sunt, expressam invenietis, nimirum ad irrigandam terram, ad seminum, fructuum, herbarum & graminis multiplicationem, & ad potũ animantibus agri præbẽdum. Verùm Peripatetici nostri replicabunt, se nihil novi adhuc, pro opinionis istius, Aristotelicæ, videlicet, materiæ fontium ab ipso assignatæ confutatione, ex scripturis accepisse: Sed, ut istius objectionis medullã auferam, efficiã equidem, ut rei veritatẽ, idque sine perspicillis clarè intueantur: si huic Salomonis assertioni, accuratâ in-

Psal. Sap. 1. Psal. 104. 10.

intentione animos ſuos inclinant. Omnia flumina, inquit, intrant in mare, & mare non redundat, ad locum, unde exeunt, revertuntur, ut iterum fluant: Quo ſermone exponit ſapiens nobis, realem fontium materiam ſeu cauſam materialem, eſſe aquam, & non vaporem. Ait enim expreſſis verbis, eſſe non niſi unam eandemque aquam, quæ circulationem ſuam perpetuam facit à mari per terræ viſcera, mediantibus fontibus & fluminibus in mare. Palpabilis iſte in Ariſtotele error, erat in cauſa, quòd non modò quàm plurimi doctiorum tam antiquorum quàm recentiorum, ſed etiam nonnulli ex fidelibus diſcipulis ab eo hac in revidentur diſcrepare. Ex Philoſophis antiquioribus alij volunt, quòd tota aquarum copia, qua fontes perennes uberrimè ſcaturiunt, ab aquis cœleſtibus ſeu pluvijs colliguntur: At hanc opinionem videtur ſeneca evertere hiſce rationibus: Primùm, quia nulla pluvia ultra decem pedes terram penetrare & madefacere, obſervavit ex vinearum foſſionibus. Secundò, quoniam montes nudis rupibus pleni, atque ideò pluviam non admittentes, faciunt fontes quandoque magnos & perennes: Tertiò, quia ſiccisſimis locis, putei in altum per trecentos pedes acti inveniuntur: Quo intelligere fas eſt, hunc non fieri à collectivo humore, ſed à viva aqua.

Eccleſ. 1.

Alber. lib. 2. meteor.

Agricol. de ortu ſubter.

Lib. 3. quæſt. natur.

Alij putant, fontes generari ex aquarum in terræ viſceribus copia, inter quos Seneca credit, fontes è terra in aquam tranſmutata produci, quatenus omnia Elementa ſunt mutuò tranſmutabilia: At iſta opinio ſine ulla alia refutatione ab improbabilitate condemnatur.

Opinio Ariſtotelis eſt, quòd ex aëris vaporibus in terræ meatibus concluſis, & frigore condenſatis, proveniant, uti dictum eſt. Contra quem inprimis Cardanus, aſſerendo, eſſe incredibile ab aëre tantam aquæ quantitatem & tam perennem poſſe gigni. Quare Scaliger cum Cardano, meritò confutat eam opinionem, quæ putat, fluvios ex aëre generari, idque præſertim, cum decupla vel amplior aëris proportio concurrere debeat ad generationem unius partis aquæ: quare non tantum in terra ſpatium concavum pro tam immenſa aëris quantitate reperitur, quæ tantam aquæ copiam proferre queat: Prætereà tanto aëre conſumpto, neceſſe eſt, ut vacuum intus reperiatur. Hæc Scaliger. Bodinus verò adhuc acrius adverſus iſtam opinionem inſiſtens, iſtam Ariſtotelis de fontium origine opinionem deriſam jacere ait: Fieri enim non poteſt aut cogitari, ut aër tantâ celeritate corrumpatur, quantâ fluunt aquæ, nec tamen in momento id fieret totus Elementaris aër, quippe qui eſt in ſua ſubſtantia rariſſimus, quare non ſufficeret ad eam aquarum, quæ uno die fluunt, abundantiam producendam: Sed fallitur hac in re Bodinus, nam aër eſt aquarum omnium fons & Spiritus.

Met. 1. C. 13. Lib. 2. de ſubtil.

Lib. 2. de Theatro Naturæ.

Quarta opinio eſt, illa antiquiſſima tam inter Philoſophos Græcanicos, nimirum Platonem; imò verò ipſum Thaletem, qui omnium primus in Græcia Philoſophus erat, quæ longé anteà, ab ipſis doctiſſimis & ſanctiſſimis Hebræorum literis erant conſignata: nimirum, quod originem ſuam juxta Eccleſiaſtes doctrinam ducant à mari; idque duabus confirmant rationibus, primùm, quia nullum aliud corpus præter ampliſſimum mare tantæ copiæ aquarum, quantæ ſcatent fontes, ſufficiat: Secundò, quòd tantâ aquarum copiâ quotidie in mare fluente ipſum tamen non augeſcat.

Ex diſcipulis obſequentiſſimis ipſius Ariſtotelis: Nam Iohannes Velcurius (vir in Philoſophia mundana verſatiſſimus, & qui in myſterijs Philoſophiæ Ariſtotelicæ enucleandis multum temporis conſumpſit, & commentarium ſuper ſui præceptoris Phyſica compoſuit) quando venit ad tractatum ejus de fontium generatione, videtur præceptoris in hac re inſcitiam, ſive imperitiam, explicare in his verbis: Non conveniunt inquit, ſacræ ſcripturæ cum Phyſicis de ortu fluminum ac fontium docent, quippe flumina ex mari per varios alveos meatuſque fluere, ac ad ſuos fontes refluere. Eccl. 1. teſtatur, dicens: Omnia flumina intrant in mare, & mare non redundat, ad locum unde exeunt, revetuntur, ut iterum fluant. Cæterum Phyſici dicunt, materiam eſſe vaporem reſolutum in aquam & liquefactum à frigore & calore ſimul, intra terram. Hæc ille: Vnde colligimus, quod aut diſcipulus iſte præceptorem ſuum haud injuriâ pro falſa iſta doctrina reprehendat, aut judicium Salomonis pro erroneo intelligat: Nam, ſi diſciplina unius ſit illi alterius contradictoria, eligenda eſt præſtantior; deterior verò à Chriſtianis repudianda. Quis autem Sapientum ſententiam Salomonis reijciendo, illud Ariſtotelis amplectabitur: aut quis honoris aut dignitatis Ariſtotelis, viri Ethnici & infidelis ſalvandæ & præſervandæ cauſa, Salomonem, virum Theodidactum pro mendace aut fallace æſtimabit? Sed ſi Peripatetici noſtri Chriſtiani obſtinatiâ neſcio qua inducti, Salomonis aſſertioni credere nolunt, efficiam mediante Experimento oculari capite ſequenti explicato, ut Salomonem, mentem illam Ariſtotelis deſerendo, ſponte & libenter ſequantur.

Lib. 3. com. Phyſ. cap. 6.

Concludo ergo ex Biblij ſacri Authoritate, quòd iſtiuſmodi fontium definitio ſeu deſcriptio ſit facienda.

Fontes ſunt continui aquæ fluxus qui à mari incipientes, & per venas, fiſſuras & meatus terræ undique clauſos tranſeuntes, ad vallium ſuperficiē montiumque cacumina uſque, actu divino tam

tam positivo quam privativo cogente, ascendunt, ad fœnum & herbas super terram procreandas, & ad parandum potum pro bestijs ac deinde ut ad mare seu locum unde exeunt revertantur, ut iterum fluant.

Vel sic.

Fontes sunt aquæ marinæ portio, à sua salsedine per porosam & fabulosam terræ substantiam expurgatæ, quæ virtute Spiritus divini terram implentis, sursum per occultas terræ venas seu meatus ad ejus superficiem usque scandens, fluminaque ad graminis multiplicationem & pro animantium terrestrium usu generans, ad mare properat, ut iterum circularem eundem per terram transitum perpetuò efficiat.

In quibus definitionibus, aqua simplex, sine ulla suæ substantiæ aut attenuatione aut condensatione aut figuræ alteratione videtur esse causa fontium materialis. Causa verò efficiens est Spiritus divini virtus in proprietate duplici, ut capite sequenti declarabitur latius. Atque hinc dicit Salomon alibi: Sapientia erat apud Iehovam in principio viæ suæ, cuncta componens, quando roborabat fontes abyssi & ponebat mari statutum. Porro David: Verbum Domini congregat sicut in utre aquas maris, ponens in Thesauris abyssos: Denique causa finalis, ut ait David loco antea citato, est, ut Flumina sic facta potum præbeant omnibus animantibus agri: Et, ut Moyses habet de pluviæ beneficio, ad irrigandum terram &c. Pro. 8. 2, 22. Psal. 32. 7. Psal. 104. 10. Deuter. 28, 11.

Venimus jam ad demonstrationem nostram ocularem.

CAPVT. IX.

In quo Salomonis de fontium & fluminum origine assertio partim oculari demonstratione & partim rationibus à veræ Philosophiæ fonte productis, approbatur atque sustinetur.

TE, erudite Lector, in præcedenti meo discursu certiorem feci, quòd Spiritus Dei, annuatim in Elemento mundi infimi Catholico, virtute duplici agat; quarum una est dilatans seu rarefaciens, quæ in ejus positiva, manifesta, lucida, activa, & calida dispositione perficitur, arca Thesauraria, cujus præcipuum est palatium seu Tabernaculum Solare, Divinitatis plenum; altera est contractiva, quæ in privativa & secreta sua dispositione est tenebrosa, frigida & fixa, cujus sedes & Thesaurus præcipuus est circa polos mundi: ut pote, quæ cum sit in effectu, priori sive activæ illi contraria, Locum suum in mundi quartis, à Sole remotioribus sibi vendicat: ita, ut Spiritus vivificus, qui suam in Tabernaculo Solari sedem habet, suâ præsentiâ solummodò dilatando & in exilium relegando frigora Borealia in communi Elemento operatur, actusque Boreales, per viam Rarefactionis destruit; ita etiam per Solis absentiam, frigidus Polaris proprietatis Spiritus, dominium habebit in illa Elementi Catholici portione & per viam Condensationis omnes subtiles illos effectus in nihilum rediget, quos Lucis calor & virtus Solaris produxit. Exempli gratia, totum illud, quod tempore Hyemali in regionibus Meridionalibus, hoc est ultra lineam Æquinoctialem, ab Arctico frigore (Sole tunc temporis in Hæmisphærio Boreali manente & æstatem nobiscum faciente) in Catholico Elemento producitur, nimirum aëris condensatio, fontium elevatio, & aquarum multiplicatio, nivium, glaciei & grandinis productio, herbarum, fructuum & plantarum mortificatio &c. Sol in proxima sua illarum regionum visitatione, quæ erit, dum Borealis Hyems nobiscum regnabit, proprietate sui Spiritus rarefactiva, dilatativa & vivificativa destruet & alterabit, convertendo aërem spissum in subtilem, fontes deorsum, versus terræ viscera deprimendo, quæ hyeme in altum sublimabantur, dissolvendo nives, pruinas, glaciem, grandines; & ex corporibus fixis & opacis mobilia & transparentia, nimirum aquas, faciet: Spiritus arborum, plantarum, herbarum, ratione congelationis semimortuos revivificabit, corpora eorum mœsta & quasi lugentia, vestimentis viridibus induet, floribus ea adornabit, ac tandem fructus salutiferos producet. Breviter, nihil est, quo Polaris illa Frigiditas, absentiâ Solis dominatur in uno Hæmisphærio, in cujus simile Solaris regionis oppositæ æstas, in eadem proportione more contrario, non agit: Quod quidem ni esset, necesse foret, mundum quolibet anno debuisse aut suæ substantiæ augmentationem aut diminutionem pati, hoc est, ut quandoque major in quantitate & quandoque minor existeret. Sed, ut Salomon affirmat, quod mare non obstante assiduo fluminum in illud fluxu non redundat: ita, etiamsi fontes in uno mundi hæmisphærio assurgant, necesse est, ut in Hæmisphærio opposito pari proportione descendant in terram & diminuantur. Similiter, tametsi aër mediante illa attenuatione, quæ per Domini Spiritum fit in Elemento Catholico sublunari, evolare solet, ab Hæmisphærio Æstivali in Hyemale: Tamen necesse est, ut ille aër ita rarefactus in

calido seu æstivali loco, eadem proportione contrahatur & condensetur in frigido seu hyemali, qua erat anteà dilatata & rarefacta. Porro etiam, si ultra lineam Æquinoctialem magnæ seu copiosæ accidant pluviæ tempore Hyemali, sequeretur necessariò, ut in contraria proportione magna siccitas abundaret in Hæmisphærio Boreali, tempore eodem æstivali. Præterea, quando nobis adest maximus calor æstivo spatio, illis ultra lineam Æquinoctialem, in hyemali statu, maximum aderit frigus, semper observando eandem in conditionibus mensuram & proportionem. Similiter, si nobis adest, Sole existente circa æquinoctialia, in quibus dies & noctes sunt temporis proportione æquales, tunc illis etiam aderit ejusdem temperiei in frigore, & calore mensura. Atque hoc semper est more reciproco in Hæmisphærijs iltis oppositis expectandum, nimirum, quòd mundus, constans & idem perpetuò reperiatur, hoc est, ut neque redundet, neque diminuatur aut in quantitate aut qualitate. Atque etiam potentia divina suos in Hæmisphærio suo effectus & actus in sede opposita eadem proportione assiduè producit: Nam quantò magis Spiritus seu aër vel aqua est in uno loco attenuata, tantò magis opus est, ut in alio condensetur. Hisce ergo, judicio maturiore in loco priori consideratis, ad conclusionem meam practicam sic procedo: Et naturalis mea de hac re observatio est, quòd aër Instrumenti Experimentalis vitro inclusus, fit hyemalis, seu in naturam hyemis convertitur dominio frigoris: Nam, ut primùm ejus caput seu summitas ampla frigoris externi contactum persentit; aër inclusus se ipsum immediatè contraher & constringet in locum augustiorem, & consequenter, quòd aër densior & grossior reddatur, perspicuum est. Et quòd res se ita habeat, ex aquæ in vitri collum elevatione, demonstratur: Nam nexus ille naturalis inter aërem & aquam est tam firmus, ut, si ille se contrahat in locum strictiorem, hæc, ut ratione suæ contiguitatis sequatur & sursum immediatè elevetur, necesse est. Vnde redditur evidens, quòd contractiva seu attractiva Spiritus Borealis seu potentiæ divinæ virtus, quæ in frigore manifestatur, primùm aërem dilatatum contrahit & condensat, atque ita ille aër contractus attrahit aquas ad se, easque in altum elevat, idque sine ulla alteratione aquæ, quæ erat infra in instrumenti profundo, ita, ut in conclusione non sit nisi unica & eadem aqua. Ecce ergo ex hoc demonstratum habetis & probatum, quòd sit in natura possibile, quod aqua illa possit in altum à terræ cavernis etiã ad montiũ cacumina elevari, quæ à mari nutritur, idque via & ratione naturali, sine aquæ in vaporem mutatione, ut Aristoteles vanè imaginatur, contra Axiomatis istius sensum: Frustra fit per plura quod fieri potest per pauciora. E regione videmus, in Instrumenti vitro, quòd, si virtus aut in Sole aut ventis calidis rarefactiva seu dilatativa, summitatem vitri calefaciat, aut aërem externum reddat æstuosum, tunc aër intra vitrum se ipsum dilatabit & aquam in vitri collum frigoris actu elevatam, sua dilatatione præcipitabit: atque etiam descensus aquæ aëris inclusi rarefactionem denotat.

CAPVT. X.

Quod actiones Contractionis & dilatationis & consequenter Attractionis & expulsionis aëris, instrumento Experimentalis vitro inclusi, cum effectibus Elevationis & depressionis aquæ, quæ ex ijs derivatur, convenienter aëri & aquæ Macrocosmicis applicari queant.

VAriæ profectò ortæ sunt inter Philosophos tam veteres, quàm modernos, disputationes de possibilitate & ratione ascensus aquæ é terræ penetralibus, per ejus venas ad montium cacumina, inter quas una ab alia dissentire videtur: Ac in fine, si rem seriò, prout est, consideremus, earum nulla ad finem desideratum, vel ad completam hujus Mysterij enucleationem pervenit Plato in Phædro ex Socratis mente concludit & credit, maximum esse in terræ ventre hiatum sine fundamento & firmamento aquâ immensa pleno, perpetuò sursum & deorsum agitatâ: Itaque eam in varios canales terræ, in utroque Hæmisphærio pertingentes urgeri, & ad fontes usque manare: At verò ipse in hac sua assertione nullam causam pro hoc suo figmento allegare videtur: Vnde adeò arduâ videbatur Aristoteli ista sui magistri sententia, ut ipsam repudiando, novam fontium & fluviorum procreandorum rationem invenerit; dicendo, quòd vapores ascendentes in aquam convertantur & fontes generent. Plinius duas assignat causas, cur aqua per terræ venas discurrens é summitate montium erumpat: quarum prima est, quod spiritu agatur occulto: secunda, quòd terræ pondere exprimatur. Hujusce opinionis etiam sunt Seneca, qui facit Philosophum Thaletem suum authorem, atque ex recentioribus Bodinus: Sed, mirum est, quomodo hoc posit esse possibile, cum aqua sit super terram posita, & non é contrario: Vnde non est verisimile, quòd aqua possit à terræ pondere comprimi, sed potiùs Lib. 2. c. 65.

potius terra aquæ gravidine onerari. Scaliger ex modernis, putat, hanc aquarum expressionem & in altum elevationem fieri à maris compressione: Quoniam experientia invenit, aquam compressione ponderis alicujus lapidis in altum elevari atque extendi, aitque, mare esse eminentius fontibus. Quod nec verisimile videtur. Quoniam, si mare æque altum esset ac montes, universam terram submergeret: Alij aquas sursum vi stellarum trahi atque sublimari existimant. Albertus Magnus putat, vapores in terræ cavernis elevatos & reflexos, attrahere ad se aquam. Quidam volunt, quòd terra sit spongiosa ac ob istam rationem eam aquas ad superiora attollere sunt opinati. Denique sunt nonnulli, qui credunt, venas terræ haud aliter aquas Spiritu quodam ad sursum movere, quam sanguis in venis animalium sursum & undique agitari cernimus. In fine videmus, quotquot quasi Philosophi, tot de motu aquæ fontanæ sursum sententiæ; quarum haud aliqua, veritatis rationem; imò quidem vix probabilitatis faciem præ se ferre videtur: quoniam genuinam & apertam illarum suarum opinionum rationem reddere haud queunt.

Quæ autem sit mea hac in re sententia, paucis aperiam, quam ideò in publicum ego (licèt Apostolorum Philosophorumque minimus) proferre haud erubesco, quoniam ipsam non modò rationibus à veritatis pharetra de promptis, sed etiam oculari experientiâ probare ac demonstrare conabor.

Debemus ergo considerare, ut prius est dictum, quòd Catholicus mundi aër & aqua impleat vastam cavitatem mundi: haud aliter, quam aër vitro Instrumenti inclusus concava ipsius viscera replet. Ita ut aqua fontana hujus mundi, è mari unico scaturiens, in terræ viscera penetrare & ipsius venas implere, seu meatus generales videtur, per quos attrahitur & elevatur usque ad montium fastigia ijsdem medijs eademque virtute, quibus aqua vitro Instrumenti inclusa, ad summitatem usque matratij seu vitri sublimatur. Quibus etiam constat, relationem esse, quàm proximam inter Hæmisphærij Borealis & illius Australis fontes: quoniam in præcedentibus indicatur, quòd aër Australis, nimirum ille, qui, ultra lineam, Æquinoctialem se habet, continuatur in sua consistentia homogenea, cum aëre isto, qui est in Hæmisphærio nostro Boreali: ita, ut volatilis & dilatatus aër transiens à Meridie, frigore Septentrionali, in nubes condensetur. Quare evidens est, quòd aqua fontes in Septentrione nutriens, sit continuata cum illa meridici: haud aliter, quàm aqua ad summitatem vitri Instrumenti elevata, est continua & planè eadem cum illa, in imo vasis, quæ ortum suum habet à magno vase in instrumenti fundo, quod cum mari comparamus. Concludimus igitur in hunc modum. Cum fervidus Solis spiritus in æstatis profundo, aërem more intenso in hæmisphærio Boreali rarefacit, tunc aër ille ita rarefactus locum ubique spatiosiorem quærens, pro dilatato suo spiritu (uti in extractione Spiritus sive Olei Vitrioli videmus, quod rumpitur quādoque recipiens, ut spatium largius, pro spiritu dilatato recipiendo, operiatur) non aliter deprimit & præcipitat fontium Borealium aquam, quam aër vitro incluſus semel dilatatus, deorsum observatur aquam in vitri collum exaltatam, detrudere ac præcipitare. Ex altera parte frigus, quod eodem tempore ratione absentiæ Solis in Hæmisphærio Australi prædominatur, attrahit & attollit aquas fontium in illis regionibus sursum, idque per aëris Catholici in locum augustiorem condensationem & contractionem: Haud aliter, ac in Instrumento nostro Experimentali videmus, frigora externa, aërem vitro inclusum, contrahere, in cujus contractione seu centrali attractione aqua vasis in fundo elevatur sursum. Vnde liquet, quòd duo se offerant, tam ad fontes deprimendos, quam eos exaltandos media: Nam, ut spiritus calidus æstivalis in uno Hæmisphærio per rarefactionem aëris detrudit aquas fontium inferius; sic Spiritus frigidus Hyemalis Hæmisphærij oppositi ipsas elevat & attrahit in altum: ita ut ex parte æstivali aquæ fontium repellantur deorsum ab aëre rarefacto, coganturque suam viam per terræ viscera versus partem hyemalem facere; atque etiam, ad opus illud faciliùs & citius perficiendum, frigus partis Hyemalis sursum ad se trahit fontium aquas, quas in parte, seu Hæmisphærio opposito æstivali depressit aër dilatatus. Denique adjuvat frigus Hyemale ad fontium elevationem per aëris contractionem, atque é regione adjuvat calor æstivalis ad eorum depressionem & in terræ viscera repercussionem.

Hujus rei demonstratio ocularis per Instrumentum.



In qua figura E. F. G. sunt Hæmisphærium Septentrionale, in quo Sol est remotissimus & quasi absens, utpote in Capricorno, unde fit, ut in eo habitet Hyems, & in aëre, seu Catholico ejusdem elemento, Dominium habet frigus Boreale. E. H. G. sunt Hæmisphærium meridionale, cui Sol est præsens, & consequenter est æstatis sedes, ut pote in cujus aëre calor habet dominium. E. G. est linea Æquinoctialis, quæ distinguit Hæmisphærium Boreale ab Australi: A. B. sunt orificia venæ seu meatus Generalis in terra, duos fontes arguentia, quæ vena communicare videtur cum utroque Hæmisphærio: Nam continuus est ab orificio seu fonte, plaga Borealis A. transeundo per terræ viscera D. aquâ marinâ à salsedine purgatâ plena, & viam suam faciendo ad plagam seu fontem Meridionalem B. Est ergo D. aqua maris per porosam terræ substantiam, in concavum terræ centrum quasi cribrata & à salsedine mundata, quæ communicat, tam cum fonte Septentrionali A. quàm illo Meridionali B. Concludo igitur, quòd, cùm Elementum Hæmisphærij Borealis E. F. G. Catholicum seu aër est frigidus, à frigore statim contrahitur, & contractione ad se trahit atque elevat aquam in vena seu meatu terræ A. B. D. Comprehensam: Cujus nihilominus scaturigo & aqua marina D. Hoc (ut dixi) in Instrumento experimentali per aquæ in vitro elevationem præsentia frigoris demonstratur: Nam quando frigidus externus aër, contraxerit per congelationem aërem vitri capiti & collo inclusum (quod caput & collum comparo ad venam, meatum, seu canalem in terra, quæ clausa esse debet, ut nullo modo expiret) tunc aqua in altum attolletur à vasta olla, aquâ plenâ, in fundo instrumenti contenta, quâ ego aquæ marinæ purgatæ & cribratæ confero. Ex altera parte tempore æstivo vel Australi, atque Orientali, hæmisphærium E. H. G. Vbi sol adest, aër Catholicus rarefactus est & aëris dilatatio circa fontes eorum, aquas gradatim præcipitat in aquæ ductum seu venam ejus Meridionalem versus terræ viscera B vel C. punctum. Vnde plærunque accidit, quòd fontes æstatis tempore ferventissimi & siccissimi inveniuntur, aut penitus sicci aut admodum depressi. Denique I. K. & L. M. Designant fluminum à fontibus factorum, in mare regressum, ut iterum fluant. Iam verò dico, quod ratione depressionis aquarum in æstate Meridionali per attenuationem nimiam aëris, aquas ex illa parte deorsum detrudentis & elevationis earum in plaga frigida, per fortem aëris spissi & condensati attractionem, aqua est aptior plus minusve abundare in regione Hyemali, & è regione diminui in illa æstivali secundum majorem vel minorem frigoris & caloris in ijs dominationem. Hoc totum ex vitri Experimentalis observatione sat liquidò demonstratur: nimirum, quòd dilatatione aëris majore vel minore, aqua plus minusve deorsum versus instrumenti fundum pellitur. At secundum proportionem frigoris dominantis in aëre externo aqua plus minusve in altum attollitur: Sed ostendam tibi aliud exemplum oculare hoc idem confirmans, videlicet ratione exaltationis aquæ ex una parte per attractionem & depressionis ejusdem, ex altera, per compressionem.

Imaginemur Syringam aliquam duplicem, ad invicem in orificijs conjunctam, in cujus Orificiorum unione Globulus adest undique perforatus utrique orificio communis, atque iste Globulus in medio cavitatis undique aquâ plenæ & ex omni parte exactè clausæ.

Hyems



A. R. est syringa Hyemalis seu Borealis. B. K. est syringa æstivalis, quarum ambarum orificia conveniunt & securè adaptantur in orificijs ad globulum perforatum K. qui in medio concavi D. D. aqua pleni & undique exactè clausi existit. Dicimus ergo, quòd, si in eadem proportione compressor seu lingua Syringæ Meridionalis I. M. detrudatur deorsum à B. & syringæ Borealis linguæ L. N. sursum attrahatur versus A. tunc necesse est, ut aqua duplici virtute in fontem A. Hæmisphærij Hyemalis elevetur, nimirum per attractionem A. sursum & per depressionem B. deorsum: Et tunc ad est D. D. quasi cisterna communis aquâ plena, quæ est origo utriusque fontis, ut pote, quæ ipsis pabulum aqueum perpetuò administrat: Nam (uti supra diximus) qua proportione regnat & operatur frigus in Hyemalis hæmisphærij Elemento, eâ etiam regnat & operatur calor in æstivalis hæmisphærij aëre: Et proinde sequitur, quòd quali proportione detruditur aqua in Meridie, tali etiam elevatur in Septentrione, & per consequens deprimitur in meridie. Atque ita è contrario, quando hyems adest in meridie & æstas in Septentrione. Ex istis ergo videmus evidenter, quòd sententia Salomonis est vera & indubitata: Nimirũ, quòd omnia flumina, & consequẽter fontes, intrant in mare & mare non redundat, ad locum unde exeunt revertuntur, ut iterum fluant, idque sine ulla formæ aquarum mutatione. Sunt quidem multa alia experimenta oculis apparentia, quibus probatur, aquam posse sine suæ existentiæ alteratione, à vasis fundo, in altum elevari: Quorum artificia duo eandem rem probantia cap. 12. sect. 1. Port. 4. part. 2. lib. 3. membri 2. Historiæ meæ Meteorologicæ: Vbi de Meteoris aqueis è terra in forma liquida scaturientibus, vel in terra residentibus depicta invenietis.

Sed, ut istam Aristotelis opinionem adhuc paulò exactiùs examinemus, quò vobis luculentiùs absurditates ejusdem exponamus: Si fontis materia esset vapor è terræ viscеribus expirata, tunc necesse est ut talis conversio aquæ centralis in vaporem, debeat, à calore ingenti, terræ viscеribus incluso, procedere, sine quo Abyssus seu congeries tanta aquarum frigidarum in vaporem resolvi nequeat, Sed si admittatur, ignem scilicet ingentem in terræ viscеribus accendi, observetis velim, quanta sequeretur ex inde absurditas: Nam, primùm fatetur, fontes æstate frigidiores esse, quàm hyeme, quoniam extremus æstatis calor includit & per antiperistasin proprietatem terræ frigidam conservat & auget. Quod, cùm ita sit, ut ex fontium frigore tempore hyemali apparet. Tunc per hanc eandem rationem, frigus hoc in terra auctum, seu fortificata debet etiam æstivo tempore retinere, præservare & roborare calorem illum in centro terræ concluſum, qui est immediata illius vaporis fontem procreantis, causa: observetis, obsecro, conclusionem: Nam si ita sit, quòd calor in terra centralis, æstivo spatio sit major, tunc vapores magis tunc temporis obundarent: Nam, quò major est ignis, eò vapor & fumus aquæ erit grandior. Atque iterum ratione magni frigoris in terræ cavernis & fissuris contracti, vapores illi citiùs & facilius in guttas condensarentur: Vnde sequeretur, ut æstivali tempore fontes fierent eminentiores & aquâ pleniores, atque ideò flumina frequentiùs tempore æstivali, quàm hyemali limites sua excederent, atque inundationes facerent: At totum hoc esse veritati dissentaneum testatur experientia. Sed objicietur (sat scio) quòd stagna & lacus & similia loca humida observentur calore æstivali exsiccari, & quomodo possibile est,

ut hoc fieret ſurſum, ſi virtute ſolis, aquam in vapores mutante, non attraherentur. Reſpondeo primùm, ut antèà, quod Sol non attrahit, ſed rare facit ſolum modo, & tunc res rarefacta per ſe & ex propria inclinatione tendit ſurſum. Sed ſi Sol æſtivalis humiditatẽ omnium lacuum & ſtagnorum & ſimilium conſumeret & in aërem converteret, tunc ex inde ſequeretur, quòd aër æſtivo tempore redderetur denſior & ſpiſſior ratione tantorum innumerabilium vaporum; cùm è contra doceamur ex Inſtrumenti noſtri Experimentalis intuitu, quòd aër ei incluſus, præſentia ſolis attenuetur & rarefiat. Porro etiam major adhuc ſequeretur Ariſtotelis error, nimirum in ipſius diſciplina de generatione nubium: Nam ubi ejus opinio eſt, quòd nubes generentur à vaporibus, ex terra & aqua virtute ſolis & Stellarum extractis, ſequeretur, quòd nubes & pluviæ nobis æſtivo tempore forent frequentiores, quàm hyeme. Sed hoc eſt æquè incongruum & à veritate, ut cætera alienũ. Verũ ego potius aſſero, quòd, quoniam aër eſt magis rarus & tenuis æſtate ratione præſentiæ ſolis, cujus aſſidua actione attenuatur & rarefit aër: Ideò nubes ſunt paucæ æſtivo tempore: Nam, (ut ſupra eſt demonſtratum) nubes ex compreſſione aëris fiunt, atque aër iterum, ſive Elementum Catholicum, curſu quodam circulari, Meteororum reſolutione in primam ſuam materiam inviſibilem (quæ erat aër) renovatur. Fateor equidem, nonnullas aquarum terreſtrium partes dilatatione ſubtiliari, & per dilatationem ab Æſtivali in Hyemale Hæmiſphærium evolare: Sed ex altera parte affirmo, quòd magna eorum portio in vapores minimè redacta, ſe ipſam aëris dilatati de preſſione, & pororum terræ ſitibundæ, quæ parata eſt ad eam imbibendam attractione, verſus terræ viſcera deſcendit, quouſque iterum ab aëre frigoris Hyemalis actu condenſato, terræque poros implente, extrahitur & in altum elevatur. Nam obſervamus, quòd, ſi ſit vas aliquòd magnum ſive dolium aquâ Plenum, diu perdurabit, priuſquam tota ejuſdem aqua poſſit in vaporem calore ſolis redigi. Prætereà certum eſt, quòd ſol ſoleat aquam diurno tempore rarefacere, ita, ut in forma vaporoſa aſſurgas ſuper terrum, illud nocturno tempore reſidere obſervatur, uti in Nebulis & rore apparet. Hinc eſt, quòd obſervamus, nebulas & rorem æſtivali tempore eſſe frequentiores circa lacus & flumina. Nec tamen negare poſſumus, quòd flumina ex copioſa pluvia limites ſuos exire cogantur, fonteſque nonnulli præter conſuetudinem augeantur, ratione penetrationis ſuperficialis aquæ pluvialis, in eorum venas per poros terræ. At iſtud fontium incrementum non eſt naturale, ſed per accidens factum: Quemadmodum in fontibus minerali aliquo inſectis, videre licet, qui extra uſum medicinalem quandoque ſunt, propter eorum cum aquis extraneis commercium & adulterationem. At loquor ego de fontibus aquæ vivæ, quorum venæ ſunt adeò clauſæ & ab aquis pluvialibus ſecuræ, ut aquas extrancas per terræ poros inſpiratas vix admittant: Cujuſmodi eſt fons ille Nemeſianus Languidochiæ Galliæ, atque ille in comitatu Avenionis dictus la ſource, & ille non procul à civitate Orelenſi Galliæ, & infiniti alij tam parvæquam notæ majoris, quorum omnium fluxus & augmentũ eſt majus tempore Hyemali, tametſi ſatis ſicco & pluvijs pluribus haud plurimùm obnoxio, eſſe obſervantur: Nec etiam intelligo de fontibus particularibus, qui plærunque ab aquis pluvialibus nutriuntur, & proinde ceſſant omnino, aut ut plurimũ diminuuntur æſtate: Sed de illis generalibus & conſtanter (non obſtante æſtate admodùm ſicca) fluentibus, qui procul dubio relationem habent ad fontes hæmiſphærij oppoſiti. Quare, ut diximus, flatus Auſtrales tempore hyemali & conſequenter nubes, quæ ex eorum conſiſtentia generantur in Boreali Hæmiſphærio, fieri partim ex vivo actu ſolari in Meridie, & privatione. Polari in Septentrione: Ita etiam fontes ex parte Meridiei ab aëre dilatato deprimuntur, & ex parte Boreali conſtringendo altiùs attrahuntur. Nonne eſt etiam res notatu digna, quòd fontes animadvertantur eſſe imiores & occultiores, dum ſol ſit prope Æquinoctia? Nam eſt obſervatio ab ijs certiſſima, qui profontium inventione effodiunt, quòd ſi fons ille inventus ſit vivus in eo tempore, erit in perpetuum tum poſteà durabilis: Ratio autem, quòd fontes ſunt tunc temporis adeò in terram immerſi, & quoniam aëris temperies eſt æqualis: Vnde recedente ſole ab uno Hæmiſphærio ad aliud, aquæ ſunt in motu per viſcera terræ ad locum oppoſitum: Nam tanta eſt actio ſolaris in puncto Æquinoctij, taliſque æquinoctij proprietas; idque præcipuè dum Sol illud interſecat, quod res verſus polos in altum elevatas, reddit pronas: Vti in oculari Magnetis obſervatione, videre licet, cui ſi ſtylum ferri ſive aciei polo applicetur perpendiculariter erigatur: Si in loco circuli polaris, elevabitur etiã ſed non ita perpendicu-



hari-

lariter. Si in parte Tropici, exurget, sed magis adhuc obliquè: At verò in parte lineæ Æquinoctialis depressè Iacebit sine ulla elevatione, Demonstratio est ista. Quare non est mirum, si fontes tunc temporis, nimirum, dum Sol est circa Æquinoctia, sint occultiores, tum propter eorum depressiones, partim ab Æquinoctio, quòd eos magis congregat à terræ Hyemalis superficiè, in ejus ventre eos præparans, pro hyeme oppositio: Partim propter mitigationem frigoris hæmisphærij olim hyemalis, cujus erat, eos sursum attrahendo elevare: & partim propter diminutionem caloris Hæmisphærij olim æstivalis, cujus erat, fontes per aëris loci dilatationem, deorsum pellere, ut ex speculi sive Instrumenti nostri experimentalis diligenti observatione redditur manifestum. Verum quid pluribus opus est. 5. cum ex præcedentibus à nobis expressis, rei istius ratio enucleatè explicatur, nam si calor hæmisphærij æstivalis subtiliando aërem deprimit aquas deorsum versus terræ viscera, frigus hæmisphærij oppositi constingendo & contrahendo aërem, eam à visceribus ad sē elevat, tunc necesse est credere, quod per continuā operationē caloris æstivalis ex una parte & frigoris hyemalis ex altera, aquæ fontiū in fine æstatis inveniantur imiores. Et in Visceribus terræ magis congregaræ, atque in hæmisphærium hyemale elevatæ: Sed jam ad Peripateticorum de fulgure & Tonitru opinionem procedam.

CAPVT. XI.

Fulgura & Tonitrua in isto capite secundum Aristotelis opinionem describuntur, quæ tum posteà sacræ scripturæ testimonio confutatur.

Factâ jam inquisitione in Philosophia Aristotelica, de ventorum, Nubium, nivium & fontium natura, hoc in loco opus est, ut animi ipsius de admirabili Fulguris & Tonitru ortu & conditione sententiam, explicem: Quippe, quæ sunt tantæ admirationis meteora, ut speculationem ad eorum enucleationem profundissimam requirant: Opinio ergo Peripateticorum est, quòd causa materialis Tonitruorum atque fulgurum sit calida & sicca exhalatio è terra extracta & in mediam aëris regionem virtute solis & stellarum elevata; ubi partim ratione fortis nubium collisionis seu concussionis & partim per illam Antiperistasin, quæ est inter calidam exhalationis & frigidam regionis illius dispositionem, materia illa inflammabilis in nubis ventre sic coarctata accenditur, & violenter è suo carcere irrumpens, deorsum ratione suæ terrestreitatis seu consistentiæ compactæ tendit: Concluditque, quòd violentiâ eruptionis ejusdem è nube, fiat sonitus, sive vox illa horrenda, quæ diciter Tonitru. Hoc, inquam mentis Aristotelicæ de fulgure & Tonitru compendium. Et profectò videtur Aristoteles excusatione quodammodò dignus, si in isto negotio tam abstruso errat, quoniam extat dubium de fulguris & Tonitrui ortu, haud facile à Philosophis resolvendum. Hinc ergo est, quòd ipsi, non sibi in hujus rei naturæ inquisitione constare videantur: Nam Empedocles est opinatus, fulgura ex interceptione seu impedimento descensus radiorum solarium provenire; sed Anaxagoras vult, quòd sint ignis ætheræi portio, quæ descendit in nubis cavitatem, in qua tum postea includitur, dicitque, quòd lux ista è nubis concavo glisens, dicatur fulgur, & quòd effectus irruptionis ejusdem appelletur Tonitru: Alij credunt, istiusmodi coruscationes igneas à ventorum calidorum collisione accidere, qui cum sint undequaque nubi inclusi. Atque in ea coarctati, ab ipsa accenduntur, & hinc inde provenit murmur illud, & nubium perturbatio: Iterum multi alij aliter de ipsis determinaverunt, ita, ut in hac re haud injuriâ sit dicendum, quot Philosophi, tot istiusmodi sententiæ. Iamque ad opinionem Aristotelis quod spectat, est ipsa profecto veræ sapientiæ rudimentis adeò contraria seu contradictoria, quòd nonnulli ex fidelioribus suis discipulis Christianis, ei in hac ipsius opinione omnimodè oppositi fuerunt: Vnde in Margarita Philosophorum hæc scripta habemus: Quidam Philosophi considerantes mirabilem Fulminis operationem, ipsum non opus naturæ, sed summi Dei effectum immediatum arbitrati sunt.

Marg. Philosophi in capite de Fulmine.

Lib. 2. Meteoror.

Sed ad definitionis Aristotelicæ particularia veniamus: Dicit, quòd causa fulguris materialis è terra eliciatur, causas verò efficientes facit plures: Nam Agens, in ipsius elevatione, affirmat esse attractivam syderum virtutem. Porro agentia externa, in exhalationis accensione faciunt accidentia, nimirum collisionem & concussionem nubium oppositarum, atque Antiperistasin illam, quæ fit in inter exhalationis calorem & mediæ aëris regionis frigora: Nam, ex ijs exhalationis accensionem fieri concludit, ac tandem ostendit rationem, cur fulgura tendant deorsum, nimirum, quoniam materia eorum est terrestis, seu existentiæ compactæ: Meum autem erit quodlibet istorum particularium, ordine, idque tam rationibus, ex naturæ cista depromptis, quā sacræ scripturæ Authoritate confutare.

Pro materiali ejus fulgurum & Tonitruorum causa, quam ait esse calidam & siccam exhalationem, ex substantia terrea compactam, & in altum calore astrorum

attractivo elevatam. Primùm, videtur ipsa in oculis meis ideò esse merè figmentum, quoniam probatur anteà, syderum calorem facultate attractiva esse destitutum. Secundò, si exhalationi ventosæ (quæ est levis & non ita compacta, & per consequens non adeò disposita ad ascendendum & penetrandum ratione suæ subtilitatis in medium aëris regionem) in eam regionem denegatur introitus, multò minus prohibebitur istiusmodi exhalationis speciei in locum tam frigidum ingressus, quatenus ipsa est de substantia magis terrestri & compacta, ac de facili inflammatione, inflammabilis. Verùm ista ad hoc negotium perficiendum impossibilitas Authoritate sancta clarius exponetur. Fulgura (inquit Textus) procedunt à Throno: Et, Apocal. 4. Deus dicitur fulgurare lumine suo desuper, cardinesque maris operire. Atque Iob. 36. iterum: Sternutatio ejus, splendor ignis, & oculi ejus, ut palpebræ diluculi. Iob. 41. 9. De ore ejus lampades procedunt, sicut 10. tædæ ignis accensi, de naribus ejus pro- 11. cedit fumus, sicut ollæ succensæ atque ferventis: Halitus ejus prunas ardere fa- 12. cit, & flamma de ore ejus egreditur. Et alibi: Illuxerunt coruscationes tuæ orbi terræ: Ascendit fumus in ira ejus & Psal. 17. a. 9. ignis à facie ejus exarsit. Carbones suc- 10. censi sunt ab eo: Inclinavit cœlos & des- 11. cendit & caligo sub pedibus ejus: Et, ascendit super Cherubin & volavit super pennas ventorum, & posuit tenebras latibulum suum, in circuitu ejus Tabernaculum 12. suum, tenebrosa aqua in nubibus aëris: Præ 13. fulgore in conspectu ejus nubes transierunt, grando & carbones ignis. Et intonuit de 14. cœlo Dominus, & Altissimus dedit vocem suam: Grando & carbones ignis, & misit 15. sagittas suas, & dissipavit eos: Fulgura multiplicavit & conturbavit eos &c: Quid? an colligemus ex istis, quòd istius materiæ coruscantis substantia esset à terra, vijs ab Aristotele effictis, extracta, nimirum vi stellarum? Aut ausus est quispiam literatus cogitare, in Christiano mundo versatus, quòd res tam abjecta & vilis momenti, qualis est terræ excrementum, à Patriarchis, Prophetis & Apostolis tantâ audaciâ & sine ulla reverentia asceriberetur essentiali potestati Dei, & à sua præsentia & Throno; imò verò ab ipsius ore & facie derivari atque accendi? Nec non æstimabitur in ipsis impudentia inaudita, respectu Divinitatis rei, asseverare, Deum esse ignem consumentem, uti tam novo quàm veteri Testamento invenimus? Aut affirmaret, Propheta, quòd faceret Angelos suos ventos & ministros ignes urentes? Quàm viliter potuit diligens in mysterijs divinis speculator, de Angelorum & lucium spiritualium origine judicare, si substantiæ eorum materiales, essent meræ exhalationes accidentales? Iterum docemur quòd cœlum seu aër sit Thesaurus, ex quo venti, nubes, nives, grandines, fulgura & Irides extrahuntur, & quòd hæ omnes proportionentur à Spiritu Dei ad placitum ejus obeundum. Vnde loco anteà citatò: Deus sapientiâ suâ aptat pondus aëri & appendit nubes in mensura, facit pluviæ Iob. 28. 25. statuta, & viam fulgetro tonitruum. Quibus apparet, quòd materia omnium Meteorum, sive sint aquosa sive ignea, ex substantia aërea seu Elementi sublunaris Catholici, per verbum aut sapientiam Dei extrahatur, & consequenter non ex terra, neque in isto negocio ulla attractione seu elevatione stellari opus est, cùm pura fulguris substantia perpetuò in divina potentia & in arca ejus Thesauraria reservatur, quo usque ille ipsam ad placitum suum perficiendum evocat, qui eam creavit. Nonne esset res admiratione digna, quòd tam immensa exhalationum copia uno eodemque tempore per accidens è terra in mediam aëris regionem elevaretur vi astrali, quemadmodum subitò eveniebat in exuberanti sulphuris super Sodomam & Gomorrham pluvia? Sed nostri Aristotelici replicabunt juxta eorum consuetudinem, hoc non fuisse naturaliter, sed miraculose factum: Respondeo, quòd negare neque, meteorũ illud fuisse materiale: Erat enim ex sulphure & igne conflatum: Iam verò ab ipsis scire velim, ex quo sacrario seu Thesauro produceretur, & an stellæ ipsam à terra extraherent, & in mediam aëris regionem elevarent nec ne, aut an potius Deus eã ex invisibili suo Thesauro aëreo evocaret: Nam D. Paulus ait, Heb. 1. quòd visibilia essent prius ex invisilibus.

Secundò, quod ad causam agentem seu efficientem attinet, in ea magis, quàm in ejus causa materiali peccat, uti ex prædicto Psaltes Regij sermone explicatur: Nam primùm dicit, quòd agens, quod attrahit & elevat exhalationem illam, sit virtus attractiva Solis & Stellarum, tunc imaginatur causam efficientem à materiæ accensione esse partim concussionem nubium, & partim discrasiam illam, quæ est inter caliditatem & siccitatem exhalationis & frigiditatem mediæ aëris regionis, quæ invicem oppugnantes efficiunt accensionem ignis illius, qui dicitur fulgur. Bone Deus! Quàm male conveniunt ista, & quàm confusum est istius chimæreæ inventionis Chaos, quæ causarum efficientium externarũ multitudinẽ fingit; cùm rei veritate non sit nisi unicum, illudque admirabile in isto negocio, quod est admodum essentiale, internum & centrale, quod movetur, quo & ubi vult, & operatur omnia in omnibus. Suntne omnia hæc superficialia, accidentalia & externa agẽtia primarij fulminum ac Tonitruũ motores & animatores? Et tamen dicitur, quod Deus animet & vivificet ea sua præsentia: Psal. 17. 9. Nã Textus prædictus Davidis habet: Ignis à facie ejus exarsit, carbones succensi sunt ab eo præ fulgore, in conspectu ejus nubes transierunt, fulgura multiplicavit &c: Et Iob. 36. Iob: Deus fulgurat lumine suo: Et alibi:

ster-

Sternutatio ejus splendor ignis, oculi ejus, ut ignis accēsus, de naribus ejus succedit fumus. Halitus ejus prunas ardere facit, & flamma de ore ejus egreditur &c: Quibus manifestum redditur, quòd fulgur sit actus immediatè à Deo & quasi virtus quædam, essentialiter ab ipso procedens, spiritumque mundanum Diaphanum induens & illustrans, non aliter, quam die creationis quarto, Tabernaculum suum Solare induebat. Et, in hoc sensu dixit David: Vestitur lumine quasi vestimento, non quòd ipse sit fulgur, sed in fulgure & quasi lucida fulguris anima existat: Vnde aliqui: In lumine numen, in numine lumen. Et Moyses: egressus ignis à Domino devoravit eos. Et alibi: accensus in eos ignis Domini, devoravit extremam castrorum partem. Et alibi: Ignis à Iehova egressus consumebat ducentos quinquaginta illos viros qui admoverant thus &c: Sic dicitur alibi: ignis consumens: Et alibi: ignis accensus est in furore meo, qui ardebit usque ad imum Sepulchrum, absumetque terram & proventum ejus & inflammabit fundamentum montium &c: sic dicitur, quòd ignis Dei à cœlo descenderit virtute Eliæ: Et alibi Dei præsentiâ montes, ut cera liquescunt. Hisce ergo consideratis, quid habemus nos Christiani ad agendum, ad mysticam fulguris creationem, cum superficialibus, accidentalibus & externis Peripateticorum agentibus? Aut cur motores aut animatores nescio quos in fulgure divinitus edito effingunt? Quid imaginabimur nos Christiani de doctrina Aristotelica, cum actum Dei immediatum in creaturis suis Angelicis, fingit esse tam vilem & frivolam, ac sunt adventitiæ fumorum elevationes à creaturis stellaribus, & concussiones nubium fortuito evenientes & conflictus inter frigora & calores factæ? Non erat equidem mirum, si (cum inventio ejus ipsum, in mysterij tanti momenti investigatione, fefellerit) coactus sit ea nobis proponere quæ oculis prudentum vix probabilia videntur, Nam, si mirabiles fulguris effectus consideremus, nimirum, quomodò ipsa vaginam illæsam penetrando liquefaciant ensem, crumenam perforent, sine ejusdem damno pecunias dissolvendo, dolium penetrent, vinumque absque sensibili vasis detrimento absorbeant, ossa in pulpam resolvant, sine apparenti corporis animalis læsione; imò verò & quòd amplius est intellectu & ratione, ad discipulos falsæ Aristotelis doctrinæ, opera istiusmodi mirabilia & timenda Dei, in contemptu & neglectu habentes, puniendos, sit præditum: Non possumus negare, quin Aristoteles in mundana solummodo sapientia esset versatus, & consequenter Sapientiæ veræ statutis penitus ignarus, quatenus ipse inconsultè satis, est imaginatus, fulgura non habere interna sua principia, sive agentia essentialissima, quæ ipsa faciunt operari & pro voto suo movere, ubi & quando volunt: haud aliter, ac supra adversus mentem ipsius probavi: quòd ventus spiret, ubi vult: eodem planò modò fulgura agitantur & feruntur pro placito & per consequentiam voluntate fruuntur, quippe, quorum agens centrale est Spiritus Sapientiæ ille, qui (ut Salomon ait) est omni re mobilior & Soli atque stellis claritate excellentior, & omni repenetrabilior: Hoc innuere videtur Iob, ubi ait, Sapientia facit pluviæ statura & viam Fulgetro Tonitruum. Hoc est, ipsa per spiritum suum animat, gubernat, & movere facit fulgura, qua via ei placuerit. Ac siquis diceret, quòd homo moveatur ab anima ei à Deo inspiratâ, quò & quando vult. Quare indiscretè assignavit Aristoteles ad fulgurum compositionem & animationem, externam & adventitiam & non internā atque essentialē causam. Sed, ut ea quæ à me sunt dicta confirmē nimirum, quod sit ratio & intellectus in istiusmodi creaturis, quodque homines à Dei omnipotētia derogantes, & ejus Magnalia more Philosophiæ Ethnicæ in contemptu habentes, luant pœnam, duos vobis Historias verissimas & meo tempore accidentes de hac re recitare mihi proposui: Quibus claré manifestabitur, esse divinam in fulmine seu Fulgare voluntatem. In Hibernia duæ puellæ rusticæ à foro cujusdam oppidi domum redeuntes: quarum una novos sibi calceos emerat, eosque manibus portabat: Hæ, inquam, per agros commigrantes, tonitru quodam horrendo in via deprehendebantur: Harum una erat timore percussa, Deumque inclamando arborem versus properabat; altera, alterius fugientis pusillanimitatem redarguens eamque ingenti cachinnoderisit & more impio se gessit: Nam voces Tonitruorum in contemptu & derisione habens: quid, ait, times Tonitrua? & anum seu podicem altera manu percutiendo, eumque contra locum, à quo soni edebantur convertendo, osculetur Tonitru podicem, inquit, modò si calceos meos relinquat intactos, non curo: Vnde factum est, ut prior timore Dei & vocis ejus percita tutò evaserit, alteri verò anus & clunes integri fuerunt protenus dilacerati & dilaniati, atque ita blasphema illa miserè mortua est: Sed, ut ad meritum insipientis Peripateticorum assertionis præmium jam instem. Quodam tempore mercatores quidam & nonnulli alij in societate cujusdam Peripatetici, ab Actu Oxoniensi cum cæteris tunc temporis venientes (juvenis bonæ indolis, qui in civitate Salopiæ degebat, in qua ludi magistri negociū susceperat, & pro ejus in Philosophia Aristotelica cognitione in pretio apud plurimos habebatur.) Hi (inquam) per amplam planitiem Salopiensem simul vias

Sap.7.
Iob.28.25.

Historia Prima.

Secunda Historia.

Ps.41.a 9.

al.104.2.

v.10.2.
um.11,1.

um.16.35.
euter. 4. 24.

euter.32.a 2.
Reg.1.12.
al.97.

facientes, nubes denſas cum ſonis & tonitru ad ipſos appropinquantes animadverterunt: unde major eorum pars pavore haud minimo fuit perculſa. At juvenis iſte, ut ſe ijs in Philoſophia Peripatetica admodùm verſatum oſtenderet, ipſos in caſu tam perplexo conſolari, & ne timerent, eis audaćter ſuadet, affirmando, illud eſſe in natura commune, modoque adventitio contingens, narratque non tantum eſſe in eo periculi, utpote, quòd generatur ex ſola exhalatione calida & ſicca é terræ gremio, vi Solis & ſtellarum in mediam aëris regionem elevatam, & per Antiperiſtaſin illam, quæ fit inter calorem exhalationis, & frigoris loci ăccenſum; Sed Deus iſtius conſilij impietate accenſus, oſtendebat auditoribus, rem longe aliter ſe habere, atque ipſe prædicabat: Nam infelix iſte vir, qui falſam Ariſtotelis doctrinam, in derogatione ab opere divino publicare eſt auſus, pœnas luebat: Nam ipſe ſolus inter cæteros fulgure erat ſubitò exanimatus, reliquis ſolo ſtupore quodam attonitis, manentibus: Atque ita juſto Dei judicio condemnata erat Ariſtotelis de hac re ſententia. En & ecce (mi peripatetice Chriſtiane) exempla notatu digna: Nonne vides ex iſtis motorem intellectualem divinamque voluntatem fulmini ineſſe? Nonne vides, hic infelicem & miſerum mortalem, ob nimiam ejus in Philoſophia Ariſtotelis confidentiam deperditum? Nam, ſi illam doctrinam ſeu Philoſophiam, quæ ſuper Sapientiam terrenam & Diabolicam eſt fundata reijeciſſet, & ſe cum reverentia veræ Sapientiæ diſciplinæ addixiſſet, procul dubio timore vero perculſus, ipſum, qui in Tonitru loquitur, revereri & cum ſocijs orare voluiſſet, ut iracundiæ ſuæ effectus abijs averteret, & ſub alarum ſuarum umbram ſe à percutiētibus, & lædentibus ſuis miniſtris præſervaret, & tunc procul dubio, tum ille, tum cæteri, qui aderant, evaſiſſent tutò. Tunc (dico) ipſe reijciendo figmenta Ariſtotelis, divinam in tonitru & fulgure poteſtatem ex ſcripturis collegiſſet, & quòd ſint ejus miniſtri, ad voluntatem ſuam perficiendam aptiſſimi. Nubes, inquit Iob, ſpargunt lumen ſuum, quæ cuncta luſtrant, per circuitum: quocunque eas movet Voluntas Creantis agit, omne, quòd præceperat illi ſuperfaciem terræ, ſive ſit ad flagellum ſive ad beneficentiam. Atque alibi: Fulgura nunquid mittis & revertentia tibi dicent, adſumus? Et Salomon: ibunt directé emiſſiones fulminum, & tanquam à bene curvato arcu ad metam, hoc eſt, ipſa fulgura animata à Deo, vadunt & emittuntur ab eo, in quo eſt eorũ voluntas & operatur omnia: quod etiam evidenter ex Textu iſto conſtat: Aſcendit, ait, fumus de naribus Iehovæ, & ignis de ore ejus volavit; carbones ſuccenſi ſunt ab eo, & inclinavit cœlos & deſcendit & caligo ſub pedibus ejus, & aſcendit ſuper Cherubin, & lapſus eſt ſuper pennas venti, poſuit tenebras in circuitu ſuo latibulum, cribrans aquas de nubibus cœlorum, præ fulgore in conſpectu ejus, nubes ſuccenſæ ſunt, carbones ignis volabant, tonabat de cœlo Dominus & Excelſus dabat vocem ſuam, miſit ſagittas & diſipavit eos fulgur. Quo ſermone arguitur, quòd nulla ſit cauſa eſſentialis efficiens, quæ eſt naturalis, ſed, quòd ſit Deus ſolummodò in natura & extra naturam, qui operatur omnia: Nam in ſermone præcedente non dicitur, quòd aut nubes, aut ventus coruſcationes ſuas emiſiſſent, aut quod ignis deſcendit à Sole aut aliquo alio corpore cœleſti, ſed quòd fumus egrederetur ex naribus Iehovæ & ignis ex ejus ore, neque dicitur, quòd vapores aut exhalationes eſſent cauſæ nubium materiales, ſed Iehova inclinavit cœlos ſeu aërem nubeſque congregabat ex aëre, juxta placitum ſuum; nec erat frigus mediæ aëris regionis cauſa agens, in accumulatione aëris in denſam nubium maſſam, ſed Iehova eas colligebat in ſua privativa & contractiva proprietate: Nam Textus habet: Poſuit tenebras in circuitu ſuo latibulum: nec erat cauſa aliqua Angelica efficiens, quæ ea per ſe fecit, ſed Iehova aſcendens ſuper Cherubin ſeu ſpiritum Angelicum, eum animavit, & ad placitum ſuum præſtandum exagitavit: nec erat ventus, qui erat per ſe motor. Sed Spiritus Cherubinicus à Iehova animatus & inflatus, qui ventum fecit movere: Neque erat locus ille tenebroſus pro ſecreto Iehovæ Tabernaculo meré à ventis Angelicis diſpoſitus, ſed Iehova movens ſuper Cherubin, incitavit Cherubin admovendum & inſpirandum ventum ad nubes in aëre, & ex aëre colligendas: Neque fuit reſolutiva Solis facultas, quæ nubes liquefecit in pluviam, ſed Iehova cribrabat aquas de nubibus: Nec erat ulla nubium oppoſitarum Colliſio aut Antiperiſtaſis frigoris & caloris, quæ producebat fulgura aut nubium ſuccenſionem, ſed fulgor & inexplicabilis ſplendor ſuæ præſentiæ: Nã verba Textus ſunt: Præ fulgore in conſpectu ejus nubes accenſæ ſunt: neque erat luctus ille contentioſus, qui erat factus inter ignem & aquam in nubis fiſſura, quæ vocem tam ſtupendam edidit: Sed erat vox Iehovæ, quæ tonabat de cœlo mediante organo ſeu denſo ſuo Tugurio: Erat, inquam, altiſſimus, qui edit vocem ſuam é nube & fulgura ſua emiſit ad deſtruendos impios. Quod cum ita ſit, quid operis habemus nos Chriſtiani cum fictis cauſis Naturalibus, efficientibus per ſe agentibus: cùm certum ſit nobis & à Pagina ſacra confirmatum, quòd Deus operetur omnia in omnibus: Ad illam autem Peripateticorum diſtinctionem quod ſpectat, quæ eſt, quod cauſa agens ſit vel principalis vel ſecundaria & ſubalterna, videtis ex Textu præcedente, quòd pro nihilo & merò figmento habeatur:

2.Reg.22.8

Iob.28.25.

Iob.36.
Sap.5.22.

tur: Nam Sola efficiens causa in primo, secundo, tertio, & quarto organo seu instrumento erat Iehova: Erat enim ipse, qui inspiravit Cherubin, erat ipse, qui ascendit Cherubin, erat ipse, qui in ea super Cherubin animavit ventum, cribravit aquam è nubibus, ipsasque succendebat per sua fulgura à se ipso emissa: Denique tametsi pluribus utatur organis, tamen actus essentialis, qui operatur in & per ea, ab unica, syncera & simplici veritate seu identitate emanat: quæ non aliter comprehendit omnia in se, quàm Vnitas in Arithmetica numerum quemcunque: Nam semper Vnitas invenitur in primo, medio & ultimo; imò verò in omni loco numerorum. Variæ sunt aliæ historiæ de isto subjecto admirabiles, quas omnes, quoniam capite 20. Sect. 1. Portio. 4. Part. 2. lib. 4. memb. 1. Historiæ meæ Meteorologicæ luculenter expressi, hoc in loco omittam.

Sed Peripatetici (sat scio) contra istam meam sententiam insurgent, replicantes, Metaphoricè fuisse in Scripturis dictum, Iehovam loqui & vocem suam emittere in Tonitru; & per consequens illud non esse realiter, pro ut se oculis objicit, intelligendum: Quod si hoc esset verum, sequitur vocabula nubis, Nivis, grandinis &c. esse more Metaphorico intelligenda: Vnde patet, quòd esset aut sermo realis aut non realis: si non realis, homines potius à veritate in errorem ducerentur: Sed Scriptura plena est hujusmodi sermone, quare certum est, quòd tota Biblij Harmonia illud interpretatur, prout revera est: Iterum eorum aliqui; agnoscunt, sermones illos esse genuinos & reales, verum, dicunt illi, ubi Deus loquitur in Tonitru, ibi actus ille est miraculosus & non naturalis. Quibus respondeo cum ore Iobi: Pro irrigatione fatigat Deus densam nubem & dispergit lucem nubis suæ &c. quo redditur manifestum, quòd Deus est Actor in usuali nubium congregatione, & facit eas instrumenta seu organa sua communia, ad vocem & sonos suos mundanis edendos; tam pro augmentatione & incremento fructuum animalium, quam pro punitione creaturarum: Vnde alibi: si considerare homo extensiones densarum nubium, fragores in Tugurio illius, extendit super illud lucem suam, cum his judicaturus est populum & daturus cibum abundè. Etiam alibi adhuc clariùs: Vide arcum & benedic ei, qui fecit illum, valde speciosus est in splendore suo, giravit cœlum in circuitu Gloriæ ejus, manus Excelsi aptaverunt eam, imperio suo ac celerat nivem, & coruscationes emittit judicij sui: Propterea aperti sunt Thesauri & evolarunt nebulæ sicut aves, in magnitudine sua posuit nubes, & confracti sunt lapides grandinis, in conspectu ejus movebantur montes, & in voluntate sua spiravit Notus, Vox Tonitrui ejus reverberavit terram, tempestas Aquilonis & congregatio spiritus aspergit nivem &c: Hæc Syriaci oratio arguere & probare videtur, quòd Sola causa efficiens essentialis in generatione Meteororum, videlicet pluviæ nivis, fulguris, nubis, grandinis, Tonitrui, venti, Tempestatis &c: Sit ipsius Spiritus divini actus, atque etiam denotat, quòd materialis eorum existentia sit aër: Quare dicit in conclusione: Congregatio Spiritus dispergit nivem: Hoc est ex aëre congregato fit nubes & ex dissolutione nubis dispergitur undique nix: Denique nos certiores facit, quòd manus seu Spiritus Dei non sit otiosus in talium operum productione, quæ Aristoteles vocat Naturalia, & consequenter operatur non modò, primariò & secundariò, sed Catholicè & omnino, hoc est, omnia in omnibus, ut ait Apostolus, tam in rerum generatione & præservatione quàm corruptione & destructione, idque non aberrando in sua actione à limitibus suæ Identitatis, sive Vnitatis divisione. Quare contra Aristotelis sententiam nullam aliam naturam agnosco ego, præter solum & unicum Deum in suis Creaturis, vel, si vultis, unicam naturam infinitam in qualibet re creata, quæ est solus actor omnium: Agnosco, inquam cum Apostolo, excludendo omnes Deos Ethnicorum sive in cœlis sive in terris, quibus primariam aut secundariam aut tertianam actionem falsò attribuunt; unum Deum Patrem, à quo omnia, & unicum Dominum Iesum Christum, per quem omnia: & præter hos nullam causam essentialem intelligo in machina mundana efficientem.

Ad ultimam Definitionis Aristotelicæ clausulam qua asserit, fulgura deorsum moveri; quoniam materia, ex qua fiunt, est magis compacta & terrestris, respondeo, rationem istam suam esse nimis tam gyganteo Authore debilem & insufficientem: Nam eodem respectu inferre possumus, quòd pulvis Bombardalis, cujus substantia est multò grossior & magis compacta, quàm est illa fulguris, debeat necessariò descendere deorsum: & tamen vidimus (experientia illorum locorum, quibus pulvis iste subijcitur, atque etiam in igne artificiali, quòd virtus istius pulveris est tendere sursum. Iam verò venio ad veras Fulminis & Tonitrui descriptiones, etiam à scripto totius veritatis nobis assignatas.

CAPVT. XII.

Quomodo fulgura rectè à vero Philosopho & juxta sacræ Scripturæ instituta sint describenda.

CVm ergo ex capitis præcedentis discursu pateat, quòd Aristoteles magnoperé & immaniter in sua opinione & concepta tam in materiali, quàm formali fulguris & Tonitrui causa erraverit, mihi hoc in loco pro capacitatis meæ exilis validitate, veram & genuinam illorum definitionem ex profundo sacrarum scripturarum mari expiscari liceat, ut ea ratione vobis synceram ipsorum naturam originemque essentialem ostendam.

Fulgur est igneus quidam aër, qui ex cœlesti seu aëreo Dei Thesauro extrahitur & fulgidâ ipsius præsentiâ animatur, inque terram & mare ad voluntatem ejus sive sit in creaturarum bonum sive detrimentum exequendam emittitur.

Vel sic.

Fulgur est coruscans quædam claritas é nubis, quasi Tugurij divini cavitate procedens, quæ à Throno Iehovæ in terram & maria ad placitum ejus obeundum emittitur.

Quòd si velimus fulgur cum omnibus suis accidentibus describere & consequenter totam Tonitrui essentiam (quæ est naturæ mixtæ) describere, illud ex Testimonio sancto hoc modo præstare possumus.

Fulgur est ignis consumens, qui accenditur à facie seu præsentia Iehovæ, ad cujus claritatis aspectum & contactum nubes transeunt, & altissimus tonat seu vocem suam é cœlo edit, sagittasque ad impiorum destructionem ejaculare solet.

Vel sic.

Fulgur est ignis evolãs abore Iehovæ, de super à Tentorio ejus emissus, in cujus conspectu aquæ seu nubes (utpote timentes & Abyssi quasi conturbatæ transeunt, voxque Tonitrui Iehovæ in rota movetur) atque carbones ignei seu sagittæ ejus, ad voluntatem suam in cœlis & in terris exequendam ejaculantur.

Vel sic.

Fulgur atque etiam Coruscatio est lux quædam munda & nitida facta in superioribus nubibus, quas ventus transiens purgavit.

In prima fulguris descriptione manifestum habetis, quòd causa ejus materialis sit aër, igneus locus, a quo de promitur est arca Dei Thesauraria seu cœlum: Causa formalis in eo explicatur, quòd dicitur Spiritus seu aër igneus, Causam ejus efficientem facimus actum immediatum seu velle divinum: Denique causam finalem in eo detegimus, quòd ad voluntatem Iehovæ vel ad mortalium flagellum & pœnam, vel ad misericordiam & benignitatem ijs præbendam emittitur: Quod totum ex Testimonijs sanctis in capite præcedenti expressis luculenter confirmatur.

Secunda descriptio confirmatur à Pagina Sacra: Fulgura, ait Textus, procedunt à Throno. Et alibi: Præ fulgore in conspectu ejus nubes transierunt. Et alibi: ignis ab ore ejus evolavit. Et: ab ore ejus, velut tædis præcuntibus & quasi halitus ejus carbones accenderet, & flamma ab ore ejus prodiret. Et alibi: illuxerunt coruscationes tuæ orbi terræ. Porro: Iehova extendit nubes, quasi Tentorium suum & fulgurat lumine suo desuper, cardinesque maris operit. Apocal. 4. Psal. 17. 9. Iob. 41. 10. Psal. 76. 17 Iob. 36.

Tertiæ verò descriptionis membra (quibus universa Tonitrui natura enucleatur) ex testimonijs sacris partim prædictis & partim sequentibus confirmamus. Et inprimis causa Tonitrui materialis ex hisce exprimitur, videlicet, quòd sit ignis exardens vel igneus aër, & per materiæ descriptionem ejus formam elicimus: Porro causam ipsius efficientem diximus esse Iehovæ irascentis spiritum: Effectum etiam illius agentis asseruimus esse nubium exagitationem & Tonitrui vocem; & tandem finem indicavimus esse ad voluntatem divinam in impiorum ruinam perficiendam: Confirmatio horum hujus descriptionis membrorum, est talis. Ait Psaltes: ascendit fumus in ira ejus & ignis à facie sua exarsit: Carbones succensi sunt ab eo: inclinavit cœlos & descendit & caligo sub pedibus ejus &c: & posuit tenebras latibulum suum in circuitu ejus, Tabernaculum ejus tenebrosa aqua in nubibus aëris. Præ fulgore in conspectu ejus nubes transierunt, quando & carbones ignis: intonuit de cœlo Dominus & Altissimus dedit vocem suam, grandinem & carbonem ignis & misit sagittas suas & dissipavit eos, fulgura multiplicavit, & conturbavit eos &c. In quorum siquidem verborum filo, omnia descriptionis præcedentis membra patefiunt & confirmantur. Psal. 17. 9.

Quartæ descriptionis particulæ etiam ex præcedentis Textus authoritate statuminantur.

Ad quintæ autem confirmationem quod spectat, ea ex præcedentibus confirmatur: Porro etiam tertia & quarta hisce amplius fundavimus. Viderunt te aquæ (Deus) viderunt te aquæ & timuerunt, & turbatæ sunt abyssi: Multitudo sonitus aquarum, nubes dederunt vocem: Etenim sagittæ tuæ transeunt: Vox Tonitrui tui in rota, illuxerunt coruscationes tuæ orbi terræ. Psal. 76. 1

Vltima descriptio confirmatur sic: Iam

nen

non reſpiciunt homines lucem, cum nitida eſt in ſuperioribus nubibus, quas ventus tranſiens purgavit. Poſſumus etiam fulgura magis perſpicuè in natura Angelica deſcribere: Verbi gratia.

Fulgura ſunt ignes urentes, quos Deus creavit, ut ſibi eſſent ad placitum ſeu voluntatem ſuam faciendam miniſtri.

l.104.4. Ait David: Qui facis Angelos tuos ventos & miniſtros tuos ignem urentem: Nam, ſcire debemus, quòd, ut Cherubin, id eſt, aëreus ſpiritus eſt animator ventorum non accenſorum: Ita Seraphin, qui eſt ſpiritus igneus eſt animator fulgurum: Sed, quoniam alibi, nimirum ſect. 1. Port. 4. part. 2. lib. 4. memb. 1. cap. 20. de Meteorologia ſeu Philoſophia mea ſacra de abſtruſo fulminis & Tonitrui interno Angelico, hoc eſt, de abſcondita cauſa eorum efficiente, amplam effecimus mentionē, vos ad eum, ſi placeat, locum referam, ut ad Tonitrui deſcriptiones citius deſcendam.

CAPVT. XIII.

In quo Tonitrua ſecundum Bibliȳ ſacri inſtitutionem deſcribuntur.

AD Tonitrui naturam quod attinet, eam, perſpicuè ex varijs ſcripturarum ſacrarum locis colligimus, in hunc modum eſſe deſcribendam.

Tonitru eſt fragor in Tugurio Iehovæ, ſuper quod, ipſe lucem ſuam extendens radices maris tegit, terræque orbi illuminat, ut cum his judicet populum & det cibum abundè.

1.36. Hinc dicit Iob: Si conſideret homo extenſiones denſarum nubium, fragores in Tugurio illius, extendit ſuper illud lucem ſuam, cum his judicaturus eſt populum & daturus cibum abundè. In quo verborum filo tota prædicta deſcriptio elicitur: Nam ex eo patet, quòd forma Tonitrui ſit fragor; efficiens verò cauſa Lux Iehovæ; materiale verò organum nubes denſa, quæ dicitur Tugurium Iehovæ: Hinc ergo aliter: Poſuit tenebras latibulem ſuum in circuitu ejus, latibulum ejus tenebroſa aqua in nubibus aëris: Præ fulgore, in conſpectu ejus

11.17. nubes tranſierunt, & intonuit de cœlo Dominus. Denique finis Tonitruorum & Fulgurum inibi declaratur, videlicet, quòd ſit ad judicandum populum & ad dandum cibum abundè.

Vel ſic.

Tonitru eſt vox Altiſſimi cum flamma & fulgure mixta à Deo ad conturbandos impios edita atque ordinata.

In qua, forma eſt, vox ſeu fragor cum ſulphure: Efficiens cauſa, eſt ipſe Iehovæ ſpiritus, & finis, ad impiorum flagellum. Confirmatur: Dominus de cœlo Altiſſimus dedit vocem ſuam, grandinem & carbones

11.17.15. ignis & miſit ſagittas ſuas & diſſipanit eos, fulgura multiplicavit & conturbavit eos.

Vel ſic.

Tonitru eſt vox ſeu ſonitus, à fulgure è Throno Dei procedens & è nubis cavitate, in aërem apertum, divino numine, ad voluntatem ſuam vel in creaturæ malum, vel in bonum, tam in cœlis, quàm in terris exequendam emiſſus.

Vbi cauſa formalis eſt vox ſeu ſonitus: efficiens eſt fulgor Dei; ac tandem finis eſt in benedictionem vel maledictionem creaturæ. Confirmantur autem ſic: A Throno

ocal.4. procedunt fulgura. Et alibi: Nunquid mit-

1.38.38. tis fulgura & ibunt & revertentia dicent tibi adſumus? Et alibi: Aſcendit fumus in ira ejus & ignis à facie ejus exarſit. Et, alibi: Nubes & caligo in circuitu ejus, ignis ante ipſum procedit & inflammabit in circuitu ejus. Alluxerunt fulgura ejus orbi terræ: & alibi: Vocem dederunt nubes: etenim ſagittæ tuæ tranſierunt, &c: Vbi per ſagittas fulgura hoc in loco intelligit. Vnde alibi: Ibunt directè emiſſiones fulgurum, & tanquam à bene curvato arcu nubium.

Pſalm.17. Pſal.97.2. Pſal.76. Sap.5.22.

Vel ſic.

Tonitru eſt vox Dei in nube elevata, impetu aquarum undique circumſepti & operti, antequam ignis præcedit & inflammat in circuitu ejus.

Hinc ait Iob: Nunquid elevabis in nebula vocem tuam, & impetu aquarum operiete? Et alibi: Nubes & caligo in circuitu ejus: Ignis ante ipſum procedit & inflammabit in circuitu ejus.

Iob.38.34. Pſalm.97.2.

Vel ſic.

Tonitru eſt vox Dei, ad quam multitudinem aquarum dat in cœlo, fulgura que & pluviam facit.

Hinc ſcriptum eſt: Ad vocem ſuam dat multitudinem aquarum in cœlo, & elevat nebulas ab extremitatibus terræ, fulgura in pluviā facit, educit ventū è Theſauris ſuis.

Ierem.10.13.

Vel ſic.

Tonitru eſt multitudo ſonitus aquarū, ſeu vox nubium à Dei corruſcationibus toti terrarum orbi illucentibus, effecta.

Vel ſic.

Tonitru eſt multitudinis aquarum aſpectum Iehovæ timentium & perturbatarum ſonitus: Vel vox ſeu fragor circumiens, quem dare ſolent nubes, quæ quidem vox immediatè à corruſcationibus ex Throno Dei procedentibus, & è nubibus, quæ ſunt Tugurium Dei, erumpentibus eſt edita ſeu procreata, ad voluntatem divinam exequendam.

In qua deſcriptione, materiale vocis hujuſmodi, organum ſeu inſtrumentū eſt aqua, ſeu nubes aqueæ quaſi timētes & perturbatæ, unde & vocem ſeu fragorem & ſonitum dare ſolent, ob penetrativam illam poteſtatē, quā lucidus & fulgidus Dei aſpectus ſo-

lius mirabilium operatoris producit: Hinc dicitur: Præ fulgore in conſpectu ejus nubes tranſierunt, grando & carbones ignis,
Pſal. 17. intonuit de cœlo Dominus, & Altiſſimus dedit vocē ſuā. Et alibi: Viderunt te aquæ, Deus, & timuerunt & turbatæ ſunt Abyſſi, multitudo ſonitus aquarum, vocem dederunt nubes, vox Tonitrui tui in rota: Cauſa etiam formalis in eò deſcribitur, quòd
Pſal. 76. 17. cum fragore & corruſcationibus fiat. Cauſa efficiens videntur eſſe fulgura, ſeu potius igneus Dei aſpectus, ipſa fulgura animans, & ad metam à Deo ordinatam dirigens: Vnde fulgura ſunt quaſi inſtrumenta Dei in iracundia ſua, ut gladius eſt inſtrumentum hominis percutientis, ubi tali enſe percuſſiſſe dicimus, & non enſem: Quare ipſum Deum ſolum in rebus mundanis actorem, ipſorum Tonitruorum Patrem dicimus, qui emittit fulgura, quaſi ſagittas ſuas à Throno ſuo. Finem poſuimus eſſe ad voluntatem divinam perficiendam.

Vel denique in hunc modum.

Tonitru eſt vox ſeu loquela, ſeu eloquium, ſeu ſonus ab ore Iehovæ progrediens, quod ſub toto cœlo, cum luce, ſuper terminos ſeu oras terræ dirigitur, Poſtquam rugit ſonitus, ſeu tonat Deus voce excellentiæ ſuæ, & nō inveſtigatur: Poſtquam audita fuerit vox ejus, qui tonans facit voce ſua mirabilia.

Hanc ſic confirmatam habemus, audite cū tremore, ait Iob, vocē ſeu loquelam vel, (ut alius interpretatur) eloquium ab ore Iehovæ egrediens, ſub toto cœlo dirigit illud & lucem ſuper terminos vel oras terræ, poſt
Iob. 37. eū rugit ſonitus, tonat voce excellentiæ ſuæ & non inveſtigatur, cum auditur vox ejus: Tonans Deus voce ſua facit mirabiliter.

Ex hiſce igitur evidenter apparet contra maleſanas Ethnicorum opiniones, quòd neque ſint exhalationes nec vapores cum illis, nec ſol cum ſtellis, nec terra aut aqua nec Elementa, neque natura creata, ſed ſolus Deus, qui eſt omnium mirabilium operator, qui eſt efficiens horum mirabilium cauſa immediata: Quod etiam, uti videtis, à ſacro ſcripto habetis confirmatum, ne cum Ethnicis, hoc opus, aut naturæ imaginariæ, aut Elementis, aut Elementatis illa attribuatis, quæ Creatori in primis ante omnia ſunt attribuenda. Quare conclude, quòd ſumma eſt in Philoſophis Chriſtiani nomine inſignitis, imprudentia; Imò verò dementia haud recuperabilis, fidem tantam in vanis & mendacibus Ethnicorum de fulgure & tonitru opinionibus ponere, quibus homines tonitrua & fulgura eſſe quaſi res adventitias, & naturali aëris ſeu cœli intemperie orta, & minimè divinitus emiſſa, facilè perſuadentur: Atque ita effectum ſolummodò reſpicientes, illum falſò pro cauſa efficiente æſtimant, ac ſi æquum ac religioſum eſſet, opera à Deo Creatore effecta, creaturis aſcribere. Quare, ſciatis velim, me hoc in loco more haud temerario, ſed ſedulò, ſeriò & bonis fundamentis ſtipatum ſcripſiſſe: Vt pote cui etiam & alij Philoſophi, me longè in abſtruſiori Iehovæ myſterio profundiores, aſtipulari videntur: Quippe, qui conſiderantes admirabilem Fulminis naturam, & abſtruſam cæterorum Meteororum generandorum rationem animadvertentes, ea non opera naturæ alicujus ſecundariæ, cujus famam peripatetici tot laudibus videntur celebrare; ſed immediatos ſummi Dei actus cum ſcripturis eſſe arbitrantur. Concludimus igitur, quòd ſit evidens, opinionem Peripateticorum, tam Chriſtianorum quàm Ethnicorum eſſe errabundam, longèque à veritate diſtantem; Quippe, quæ dicit, fulgura nihil eſſe aliud, præter calidas & ſiccas exhalationes, ex terra extractas, & in mediam aëris regionem, attractiva ſolis & ſtellarum virtute, elevatas, quæ nubi denſæ incluſæ, partim colliſione nubium, partimque per Antiperiſtaſin, quæ eſt inter loci frigora & ſuum proprium calorem, accenduntur; cujus tum poſteà flammæ ex nube eruptione, coguntur tonitrua. Velim, ut quilibet ſagax Chriſtianus diligenter obſervet ex ijs quæ ſunt anteà dicta, utrum Tempeſtatis, Turbinis, & Tonitruorum myſterium ex retam pauci momenti atque æſtimationis dependeat, ac Ariſtoteles nobis tradidit, vel è regione, an potius ex inſcrutabili profunditatis divinæ abyſſo non emergat, cum fulgura, tradantur à veritatis fonte, eſſe igneæ Iehovæ tædæ, & lumina, quæ ab ejus Throno emanant: & cum Tonitrua dicantur voces, verba & eloquia Altiſſimi &c: Atque ob iſtam rationem Iehova iſtiuſmodi Philoſophorum mundanorum audaciam reprehendens, qui tantoperè actiones ipſius arcanas præjudicare, & ſe ipſos præcipitanter in cauſarum eſſentialium Myſteriorum Meteorologicorum profundum, ſine aſſiſtentia & ductu divini ſpiritus immergere præſumunt, & mundum vix probabilibus ſeducere intendunt, ei perſuadentes, ut credat, quòd arcana talia Dei Magnalia, à rebus tam ſtultis & inanibus, & ſecundum ſuæ phantaſiæ imaginationem partis procedant. Eos in Turbine in hæc verba alloqui videtur: Auribus percipite & conſiderate mirabilia Dei fortis noſtri, cùm diſponat Deus de illis, cum ſplendeat Lux nubis? Sive: Noſtine de libramentis denſæ nubis, mirabilius Dei perfecti ſcientijs? Quæ nam eſt via, qua in partes diſſilit Lux? Cujus utero egreſſa eſt glacies? Aut pruinam cœli quis genuit? Quâ nam Iob. 38.
viâ itur, ubi habitat Lux, & tenebrarum ubi eſt locus? Quis dedit vehementiſſimo imbri curſum & viam ſonantis tonitrui? Quis eſt pluviæ Pater? Vel quis genuit ſtillas roris? Nunquid elevabis in nebula vocem tuam & impetus aquarum operiet te? &c: Hoc, inquam, dicit Iehova Iobo

è turbi-

è turbine, & multò magis jactabundis hujus mundi Philosophis, sapientiæ veræ disciplinæ inexpertibus, illos deridendo & objurgando, præ inani ipsorum præsumptione: & præcipuè indigitare videtur, ipsos Peripateticos, qui profitentur se omnia prædicta Dei arcana sine ullo divinæ sapientiæ instinctu intelligere, cùm è regione, se ex eorum scriptis & doctrina, veræ Meteorologiæ ignaros, sapientibus veris declarant: Vir, Aristotele longè sapientior, ait: Quis hominum cognoscit consilium Dei? Nam, ratiocinationes mortalium sunt timidæ, & instabiles cogitationes eorum: Infestum enim corruptioni corpus, aggravat animam, & deprimit terrena habitatio mentem plenam curis multis: & vix conijcimus ea, quæ in terra sunt: Quæ autem in cœlis sunt, quis investigabit, & consilium tuum quis noverit, nisi tu dederis sapientiam & miseris Sanctum tuum spiritum è locis altissimis? Sic enim correctæ sunt eorum, quæ in terra sunt, semitæ, itaque sapientiâ fuerunt salvati &c: Ex quibus aureis Salomonis verbis colligimus, primùm, quòd Philosophi Ethnici fuerunt mysteriorum & operationum Dei arcanarum ignari: Vt pote, in veræ sapientiæ rudimentis minimè instructi, cujus instinctu & directione, sapientes veri ad magnalium Dei cognitionem pervenerunt, ut testatur Salomon, qui fassus est, se cognitionem, mediante isto spiritu habuisse, virium Elementorum & naturarum ventorum &c: Deinde, quòd vera sapientiæ disciplina, & Philosophiæ sanctæ subjectum, non sit in Philosophia Aristotelis invenienda, sed in libro totius veritatis, id est, Biblio sacro, quippe, quod est vivum verbi revelati exemplar. Tertiò, quòd maxima est in Christianis dementia, veritatem ibi quærere, ubi non est invenienda: Intelligo in operibus Gentilium seu Ethnicorum: quod in eo manifestatur, quoniam ipsa radicitus contradicunt veritati scripturarum, atque ob istam rationem eorum sapientia pronuntiatur ab Apostolo Iacobo, esse terrena, animalis & Diabolica: Verbum sapientibus sat est. Pro vero Lapidis Ceraunei, sive fulminaris ac Iridis cœlestis atque aliorum Meteororum ortu seu origine, vos ad Philosophiam meam sacram seu Meteorologiam refero, ubi ea more Theo-Philosophico descripta invenietis.

p. 9.

Sap. 7.

Iac. 3.

Conclusio istius sectionis primæ, in qua, fidelis omnibus pijs Christianis admonitio facta est, ut à Philosophia mundana abstineant, & firmiter sapientiæ, quæ à sacris scripturis docetur; idque ob rationis in isto Epilogo expressas adhæreant.

Liceat mihi jam in istius sectionis conclusione (ô vos Europæi, qui tam seriò & tanto Zelo vitam vestram in Religione Christiana conteritis) ut calami mei argutiam & orationis meæ filum ad vos convertam, qui falsâ Aristotelis doctrinâ seducti, putatis Meteora, ac præcipuè fulgura & tonitrua esse res naturaliter contingentes, & per consequens, parvi aut nullius momenti aut æstimationis, ut pote aut à calida aut à frigida in aëre intemperie productas: Vos sedulò obsecro, ut Christiano more consideretis & observetis admonitionem istam, quam vobis pro ultimo ad istam sectionem Vale, commendo, obtestorque, ut assertionem meam antedictam, neque cachinnis aut derisione, neque contemptu reijciatis, ut pote, qua vobis sufficienter & luculenter est probatum, quòd venti, Turbines & tempestates & fulgura & Tonitrua, imo verò & alia omnia Meteora quæcunque, sint opera manus Dei immediata: Nam isto meo conamine non modò vobis consolationem & salutem afferetis, dum terribilis nubium fragor, seu vox & eloquium Iohovæ, cum fulgure tremendo, & Turbines atque tempestates stupendæ adsunt, in animum revocando peccata vestra, & pœnitentiâ ducti, ad Deum cordialiter & humiliter orando, ut ea in iracundia & severitate sua non judicet, sed etiam honorem & gloriam ei attribuendo, qui ab alto tonando, & sonos suos horrendos, tempestates, turbines, ventos, diluvia, cometas, grandines, nives & alia Meteora stupenda emittendo mirabiliter, tam ad flagellum, quàm ad beneficentiam creaturarũ, operatur. Velim ergo, ut ingenuè sciatis, quòd sapientes mundi istius seculi Christiani, Philosophorum videlicet Ethnicorum asseclæ, sunt adeò ad hunc usque diem à sapientia hujus mundi occæcati, & imaginationibus suis decepti, ut fidem adhibere nesciant, quòd Deus mediante suo verbo, immediatè operetur omnia in cœlo & in terra: Cùm nihilominus pro certo à scripturis est determinatum, ipsum in una eademque essentia, licet proprietate diversa, efficere omnia per suum verbum, mediantibus suis creaturis, quibus utitur loco organorum, in quibus agit pro placito suo: Nonne, obsecro, est istud eorum tenens sive assertio, Authoritati sacræ opposita & contradictoria, quæ dicit, quòd quamvis sint, qui dicuntur Dij sive in cœlis sive in terra; nobis tamen unus Pater, à quo omnia & unus Dominus, Christus Iesus, per quem omnia: Sed non omnes istam habent scientiam &c: Ex quibus verbis colligere possitis, quòd, tametsi nos mundani hoc vel illud opus attribuimus aut Angelis,

Iob. 37.

1. Cor. 8. 5.

gelis, aut ſtellis, aut ventis, aut naturæ alicui creatæ ſecundum Ethnicorum doctrinam : Tamen tales Philoſophi veri Chriſtiani , qualis erat D. Paulus , agnoſcunt non niſi unicum Deum , à quo omnia in mundo ſunt ſecundum placitum ſuum ordinata , & unicum verbum eſſentiale , nimirum Ieſum Chriſtum, per quem ſolummodò & non per aliquam creaturam mundanam, res ſeu actio quælibet à Deo Patre ordinata, immediatè in effectum ducitur. Quod omne , tametſi veris Chriſtianis pro mera veritate habeatur , tamen Philoſophis & ſapientibus hujus mundi , doctrina iſta à ſapientia cœleſti procedens , reijcitur & pro vanitate habetur. Et quare ? Quoniam; ut ait Textus præcedens , omnes non habent iſtam ſcientiam : Quippe , qui magis reſpiciunt (ut ait ſcriptura) tenebras, quàm lucem : vanam dico iſtius mundi ſapientiam , quæ eſt terrena , animalis & Diabolica juxta ſententiam D. Iacobi: Vel , ut D. Paulus habet , mera ſtultitia coram Deo , quam illam , quæ eſt de ſupra à Patre Luminis , & ſic erraverunt in imaginationibus ſuis. Vobis ergo ex corde meo ſuadeo , qui in Biblij ſacri inquiſitione verſati eſtis & ſpiritualiter in lege Domini noſtri Ieſu Chriſti verſamini , atque enutriti eſtis , ut vobiſcum concipiatis atque iterum iterumque reſolvatis , quòd Deus inprimis primam omnium rerum conſiſtentiam , nimirum naturam humidam ſive aquas , mediante verbo ſuo creaverit , & quòd ipſæ manent & ſubſiſtunt in verbo & per verbum in eodem ſtatu humido ſive madido , quo fuerunt à mundi origine etiam ad hunc uſque diem. Et , quòd ex aquis ſuis Catholicis , per verbum ſuum cœlos & terram creaverit, quæ etiam ad hunc uſque diem firmiter in ſua exiſtentia atque eſſentia per verbum conſiſtant : Vt teſtatur D. Petrus. Epiſt. 2. cap. 3. Præterea mediante eodem verbo produxit lucem in cœlo , atque etiam ſolem , lunam ac ſtellas cum cæteris mundi creaturis , ut ſibi loco organorum diverſorum , in quibus juxta placitum ſuum operaretur tam in cœlo, quàm in terra inſervirent : Quæ omnes moventur & agunt in & per verbum Dei , & in concluſione probatur , Deum ſolum mediante ſuo verbo operari omnia in omnibus , ut ait Apoſtolus. Quod cùm ita ſit, ſcire velim libenter , ubi ſit Phyſica illa Peripateticorum natura , cui formam & actum diſtinctum eſſentialem ex ſe & per ſe aſſignant ? Profectò certiſſimum eſt, nullum eſſe talem actorem Catholicum, qualem ſomniaverunt Peripatetici , ſed eſt ſolum Dei verbum , ſeu Chriſtus ille Catholicus & omnia implens (ut ait Apoſtolus) una æterna ſapientia , quæ replet orbem terrarum (ut Salomon affirmat) unus in corruptibilis ſapientiæ ſpiritus , qui in eſt omni rei , qui operatur omnia in omnibus : Vnde ſequitur , quòd ſine eo nihil aut agere aut movere aut exiſtere queat.

Iohan. 1.
Ephes.
Sap. 1.
Sap. 12. 1.

Quatenus igitur aër eſt pars cœleſtis conſiſtentiæ , ſequitur , quòd à Deo per ipſius verbum ſit factus , & quòd in ipſo verbo ad hunc uſque diem quaſi natet, quippe , quòd comprehendit omnia , ut pote , quæ in eo perpetuò conſtant , ut teſtantur ſcripturæ : Vnde ſequitur, quòd ipſe à verbo & per verbum movetur pro placito ordinantis : Imò verò in aëre, cùm ſit Dei Theſaurus ſeu arca Dei Theſauraria, ſunt multa ſacraria, ex quibus mediante verbo, quòd ab Angelis Dei, potentibus robore , efficitur (ut teſtatur David) varia Meteororum genera aſſiduè procreantur ; Quemadmodum probatum eſt anteà , quæ diverſorum Angelorum ſeu ſpirituum ventis præſidentium , gubernationi committuntur ; Qui etiam ſecundum ſuam exiſtentiam ex aëre creantur , & in aëre mediante verbo morantur & per conſequens moventur & agunt in verbo , ſeu in & per unum & eundem ſpiritum divinum , quem Propheta Ezechiel , ſic volente Deo , à quatuor ventis ad oſſa mortua reſuſcitanda vocavit , cujus adminiſterio & ductu (verbo eos movente & in eos operante) omnes ſpecies Meteorologicæ generantur & ſenſibiliter producuntur in aëre ; Imò verò omnes tempeſtates mirabiles , quæ mundo eveniunt , efficiunt. Atque hinc eſt , quòd Pſaltes dixerit : Qui facis Angelos ventos , & miniſtros tuos ignem urentem. Et alibi: Dei curruum duæ ſunt myriades , multa millia Angelorum , Dominus cum illis eſt, Dominus Sinai in Sanctuario habitans. Hi ergo ſpiritus , qui in reſpectu eorum externi ab aëre erant facti , officia ſua cum ſumma diligentia in aëre exercent, & ſecundum divinam ordinationem movente in ijs verbo circa tempeſtates, nubes, pluvias, nives, grandines, pruinas, glaciem, fulgura, Tonitrua, cometas , Chaſmata, inundationes, calores, frigora, ſiccitates, humiditates & omnia alia , quæ in aëre verſari ſolent : Hinc ergo teſtatur Revelator , quòd ordinatione divina quatuor Angeli , ſuper quatuor angulos ſeu cardines terræ conſtituantur prælides , quibus imperium ſuper quatuor mundi ventos habentibus erat aſſignatum , terræ & aquis & arboribus & fructibus nocere : Sed, ibidem dicitur , quòd iſti præſides Angelici non habuiſſent poteſtatem, damnoſam ſive tempeſtuoſam ſuam violentiam exercere & exequi in terram & aquas, quouſque Angelus ille Imperialis , qui aſcendebat ab Oriente , illis agendi atque movendi veniam conceſſiſſet , hoc eſt , niſi à verbo (quod magnus alibi dicitur Angelus , qui ſe ipſum nominavit Alpha & Omega) ad tale opus agitarentur & incitarentur.

Pſal. 104. 4
Pſal. 67. 18
Apoc. 7. 1.
Apocal. 1.

tur. Nonne ex præcedentibus (teſtante Davide & libro Regum) intelleximus, quod Deus inclinando cœlos deſcenderit, & aſcenderit ſuper Cherubin, id eſt, aëreum Angelum, & mediante eo, Verbum Dei efficiens volaverit ſuper alas venti & nubes contraxerit & accenderit eas, & fulguraverit & tonaverit de cœlo: & aquas é nubibus cribraverit & carbones fecerit in aëre volare &c ? Sed totum hoc Philoſophis Ethnicis erat incognitum, atque ob iſtam rationem diſciplina iſta veritatis, à Chriſtianis ipſorum diſcipulis, penitus reijcitur vel ſaltem negligitur: quippe, in quorum dictis & ſcriptis falſus Ariſtotelis ſpiritus Dominium habet, primumque in eorum ſcientia ſibi vendicare videtur locum Tametſi ergo iſta mea admonitio apparebit fortaſſe ijs, qui firmiter & obſtinaciter ſuis imaginationibus Chimerijs, & ſubtilibus Ariſtotelis documentis adhærent, vilis, vana, ridiculoſa & minimæ aut nullius æſtimationis. Tamen iſtiuſmodi farinæ homines ſcire atque mente clariori intelligere velim, quòd ipſa ſit res maximi momenti & conſequentiæ in ſtatu Chriſtiano, utpote, quæ concernit honorem & Majeſtatem Dei. Nam, mediante ea, veri Chriſtiani reales & eſſentiales tempeſtatum atque aliarum Dei operationum mirabilium cauſas, fundamentaliter addiſcere poſſunt, atque exinde intelligere, quod non caſu aut fortuitò eveniant aut aliquo actu proprio & ipſis naturaliter inſito, ut Ethnici phantaſtici in ſuis ſcriptis finxerunt: Sed, quòd é providentiæ divinæ ſacrario ſeu ejus Theſauro producuntur, & deorſum, mediantibus miniſtris Angelicis per verbi divini actum immittuntur, vel ad impiorum afflictionem & flagellum, aut ad peccatorum ſuorum recordationem, ut pœnitentia tandem præ timore ducti reſipiſcant: Et quandoque ad creaturarum beneficentiam, & ad cibum pro ipſis comparandum: Vnde Iob: ſi conſideret homo extenſiones denſarum nubium, fragores in Tugurio illius, extendit ſuper illud lucem ſuam, cum his judicaturus eſt populum & daturus cibum. Quo innuit, tempeſtates fieri tam ad judicandum, & puniendum populum, quam ad dandum ipſis nutrimentum: Quare, ipſi terrefacti cum vocem ſeu eloquium Domini ab alto in tonitru audient & indignationis ipſius flammas & coruſcationes timidé intueantur aut inundationes ex nimia vel pluvia vel nive præter rationem exſurgentes, vel Cometas cum aëre corrupto terrore perculſi percipiant, ad pœnitentiam exinde inducantur ſeque humiliter corã Deo proſtantes preces ad creatorem omnium effundant, ejuſque auxilium in tanta neceſſitate & periculo humiliter & pœnitenter imploreant: illum ſupplicando, ut tempeſtatis furorem mitiget, & ipſius malitiam à ſe ſuiſque pro miſericordia ſua & pro amore Filij ſui Ieſus Chriſti avertat, miniſtrorumque ſuorum tam aquoſorum, quàm igneorum & ventoſorum rabiem ſupprimat, ac tandem, ut ipſis tempora atque aërem mitiorem & clementiorem cum imbribus fertilioribus concedat, & quòd familiæ ſuæ & domeſticis & animalibus & jumentis, cum fructibus terræ ad cibum ordinatis, benedicat & à violentia Angelorum tempeſtuoſorum & malevolorum, qui ſunt, iræ ipſius inſtrumenta, defendat. E regione, qui iſtud meum conſilium, quod fundatur ſuper veram ſapientiam, negliget, & cum porro vel ſue in luto ſeu cœno verſari geſtiet, & documentis ſapientiæ mundanæ (quæ eſt ſtultitia coram Deo) firmiter adhærebit, & per conſequens vult, quòd magnalia Dei Meteorologica in mundum contingenter & per accidens ac ſine ullo interno principio agente eveniant, atque ob iſtam rationem ea, quatenus communiter in curſu naturali evenientia negliget, ac proinde illa neque (uti Chriſtianum decet) timebit, neque ipſum, qui eſt eorum author & creator immediatus agnoſcet, eſt meritò inter ipſos numerandus, quos ſapiens iſtiuſmodi ſermonis filo indigitat: Vani (inquit) ſunt omnes homines, in quibus non ineſt ſcientia Dei, Sap.13.1. & de ijs, qui videntur boni non potuerunt intelligere eum, qui eſt, neque operibus attendentes agnoverunt, quis eſſet artifex. Et Apoſtolus de iſtiuſmodi: Revelatur ira Dei de cœlo ſuper omnem impietatem & injuſtitiam hominum eorum, qui veritatem Dei in injuſtitia detinent: Inviſibilia Rom.1.18. enim ipſius à creatura mundi per ea, quæ facta ſunt, intellecta conſpiciuntur, ſempiterna quoque ejus virtus & divinitas, ita, ut ſint inexcuſabiles &c. Caveat, inquam, talis, ne in eum dirigat Deus fulgura ſua directé, & quaſi ab arcu bene gubernato: Nam ſciat velim, quòd fulgura non ſolùm Sap.5.22. ſenſum habent, ſed & ratione quadam mirabili & Angelica imbuuntur ad mandata divina ad verſus impios & operum Divinorum contemptores exequenda. Fulgura (dicit Iob) nunquid mittis & ibunt Iob.38. & revertentia dicent, adſumus ? Sit ei pro Exemplis puella illa Hibernienſis, quæ pro ſuo contemptu & blaſphemia in eodem ſui corporis loco, quem cachinnando elegit, erat miſerabiliter percuſſa. Et Peripateticus ille Salopienſis, qui pro ſua à divinæ Majeſtatis actu derogatione, ut famam opinioni Ariſtotelis arrogaret, Solus inter cæteros itinerantes, in plano Salopienſi eſt exanimatus. Reſpiciat exempla alia poteſtatem divinam in tempeſtatibus arguentia, à me Sect.1. port.4. part.2. lib.4. Membri 1. cap.20. expreſſa & videbit apertis oculis, quòd Dei virtus & potentia inſit Meteoris, & quòd numinis divini contemptoribus ne parcant quidem.

Im.17.a 9. Reg.22.8.

b.36.

EPILOGVS.

EX his, quæ in ſectione hac prima ſunt prolata (lector Chriſtiane judicio & eruditione prædite) immanem illam differentiam, quæ intereſt inter ſapientiam mundanam (quam Apoſtolus facit meram ſtultitiam coram Deo) atque illam, quæ de cœlo à Patre Luminis deſcendit (quæ eſt eſſentialis ſpiritus ſapientiæ) oculis, ni fallor, apertis diſcernere queas, & conſequenter videre liceat, quòd Philoſophia Peripatetica, quæ fundatur ſuper ſapientiam hujus mundi, quatenus traditioni hominum & mundi Elementis, & non Chriſto ſeu Lapidi vero Angulari innititur eſt inanis faliacia, ſeu figmentum præſtigioſum, & per conſequens illa Patriarcharum, Prophetarum & Apoſtolorum Philoſophia, quæ fundatur ſuper Chriſtum, ſeu Spiritum Dei Catholicum, in quo eſt plenitudo Divinitatis corporaliter, eſt unicé vera, realis & eſſentialis quæ immediatè deſcendit à Deo. Quare, pro concluſione vos Peripateticos
Deut. 30. 19. *Chriſtianos in verbis iſtis ipſius Moyſis (cujus Philoſophiæ hæc noſtra eſt typus exactus) mihi alloqui liceat: Conteſtor hodie contra vos cœlum & terram, me vitam & mortem, bonum & malum, benedictionem & maledictionem propoſuiſſe vobis: Quare eligite vitam, ut vos cum ſemine veſtro vivatis & in cognitione*
Coloſ. 2. 3. *atque intellectu veri Dei locupletes fiatis: Nam in vera ſapientia conſiſtit ſyncera, pura & ſancta Philoſophia, in qua ſita atque radicata eſt infallibilis rerum omnium ſcientia & diſciplina: ut teſtatur Apoſtolus, dicens, quòd in Chriſto ſint omnes Theſauri ſapientiæ & ſcientiæ abſconditi, & per conſequens non in Philoſophia illa Ethnica,*

FINIS.

Appendix quædam huic sectioni Philosophiæ Moysaicæ primæ annexa, ex volumine quodam Germanico Francofurti non multis ab hinc annis impresso, extracta, cui Titulus est (Tabula revelationis Majestatis divinæ capite primo Geneseos comprehensæ) quæ acriter contra Ethnicorum Doctrinam ac Christianos ejusdem discipulos invehitur.

Procœmium Authoris.

CVm neminem mente sana præditum latere possit, quàm plurimos & quasi infinitos veritatis adversarios ubique in mundo versari, (nullus enim inimicus, scientiæ & sapientiæ veræ ignaro (cujus farinæ hominum ingens ubique terrarum disseminatur multitudo) deterior ac periculosior est inveniendus) necesse habeo credere, me, pro pio & honesto hoc meo conamine veritatis causa suscepto, nil præter risum, cachinnos, opprobria, maledictiones, invectiones Satyricas atque omnium generum convitia, à mundanis partim ignorantia excæcatis, partimque Philosophia Peripatetica contaminatis radicaliter, loco mercedis ac præmij fore accepturum, ita, ut quid facerem aut quò me verterem haud quaquam intelligerem, nisi ipsam veritatem; cujus est omnia, imò verò ipsum Diabolum cum suis asseclis vincere, pro me pugnantem haberem. At quoniam haud minimum est homini calamitate circumsepto solamen, fidelem & Theodidactum in suis angustijs habere socium, qui sagittarum ex livoris & malevolentiæ pharetra extractarum, & in eum malignitèr emissarum, portionem sustinere, & labores ejus atque ictus in eum inflictos alleviare queat, ideo unum in isto meo conflictu elegi, virum, inquam, scientiâ admodum strenuum & me ipso millies profundius in Mysterijs Dei atque arcanis verbi ejus operationibus immersum, (nam quòd ego Theoricé & sola contemplatione ac diligenti sacrarũ literarũ lectione didici, hoc ille non solũ speculatione & lectione, sed etiamnũ oculari praxi & reali in Tabula Sophorum inspectione instructus, intellixit, uti ipse in volumine suo antedicto asseverare videtur: Vnde & Ethnicorum errores & vanitates non modò luculenter & ad vivum in eo depinxit, sed etiam acriter adversus eas invehitur: Hinc ergo est, quòd membra nonnulla ex viri illius doctissimi operibus abstraxerim, quæ Ethnicorum librorum inanitatem, & Philosophiæ eorum vanitatem, ac Christianorum ejusdem discipulorũ ineptias ad amussim & enucleatè detegunt, eaque in unum quasi fasciculum ideò colligavi, ac huic meæ sectioni Philosophiæ Moysaicæ primæ appendicem feci: inprimis, ut seculi istius malevolis indicarem, me primum non fuisse in istiusmodi pia reformatione motorem aut Authorem: ac deinde eò quòd voluminis illius Dominus, in omnibus mecum convenire & opinionibus meis exactè astipulari videtur: Agnoscit enim, omnia ex aqua originaliter fuisse facta: Fatetur, universa à verbo Dei creata, atque etiam num ad hunc usque diem in eo continuata, præservata, aucta, & multiplicata: Dicit, Deum sine creaturarum assistentia per Verbum operari omnia in omnibus, & consequenter nec ullam Ethnicorum naturam, nec causas earum aut secundarias aut tertianas admittit: Narrat aërem seu universum cœlum esse aquam (unde ego illum pro Elemento Catholico habeo) eumque Verbo Dei, mediantibus organis Angelicis duci. Porro ait, quod Angeli movente verbo omnia Meteororum ac Tempestatum genera, in & ex aëre, quasi arca Dei Thesauraria producunt: Concluditque, Verbum movere Angelos, Angelos ventum, & ventum aërem, uti in Appen-

dice iſta ſequenti latius apparebit. Profecto haud minima erat mihi in lucubrationibus hiſce meis conſolatio, me virum tam ſolidâ doctrinâ præditum & in profundis Dei Myſterijs adeo verſatum habuiſſe in tanti momenti negocio comitem, mihique in uno eodemque ſubjecto tam concinné convenientem. Sed quid mirum, cùm in ſolidiſſimum & unicé verum fundamentum, lapidem nimirum Angularem Chriſtum Ieſum ſuper ædificavimus ambo.

Membrum hujus appendicis primum, ex capite ſexto libri ſexti Tabulæ revelationis Majeſtatis Divinæ, Capite primo Geneſeos comprehenſæ extractum: in quo Author, Ethnicorum doctrinam Chriſtianoſque ejuſdem diſcipulos acriter reprehendit.

SCripta Ethnicorum adeò palmam in Chriſtianorum Scholis obtinuerunt, ut ipſi ludimagiſtri parum vel nihil de Biblicis veteris & novi Teſtamenti ſcriptis ſciant aut intelligant: cùm tamen Deus in prima ſanctione ſua, qua cum Moyſe & Iſraëlitis collocutus eſt, juſſerit junioribus & provectioribus omnique adeò populo timorem Dei inculcare; ut nimirum ipſum ſolum invocarent, & præcepta, ordinationes atque ſanctiones ejus obſervarent: Etenim miniſter ejus Moyſes, ex mandato divino univerſum populum Iſraëliticum ſic alloquebatur. Hæc ſunt præcepta, mores, & jura, quæ Dominus Deus veſter mandavit, ut ego vos doceam & vos diſcatis & faciatis ea in regione, in quam proficiſcimini occupaturi illam, ut timeas Dominum Deum tuum & obſerves omnia ejus mandata & præcepta, quæ injungo tibi & filijs ac nepotibus tuis per omnē vitam veſtram, quo vivatis diu. Audi Iſraël & obſerva, ut facias illud, quòd Deus tibi dat in mandatis, quo bene tibi ſit & valde multiplicēris, ſicuti locutus eſt tibi Deus Patrum tuorum, in regione, ubi eſt lac & mel. Audi Iſraël Dominus Deus tuus unus eſt, dilige Dominum Deum tuum ex toto corde & tota anima & ex omnibus viribus: Et verba illa, quæ tibi hodie præcipio ſemper obſervabuntur in corde tuo, & filijs tuis ea annuntiabis & recordaberis illorum, & loqueris de illis, quando fueris in domo tua vel ambulaveris in via, quando ſederis vel aſſurrexeris & alligabis ea pro ſigno ad manum tuam & erunt tibi in memoriam præ oculis, ac deſcribes ea in poſtibus januæ tuæ. Timebis Dominū Deum tuū & illi ſoli ſervies. Non jurabis per nomē ejus neque alienos Deos coles populorū iſtorū, qui vos circundederunt. Etenim Dominus Deus tuus eſt Deus zelotes in medio veſtrum, ne exardeat ira Domini ſuper te & conſumat te de facie terræ: Non tentabitis Dominum Deum veſtrum.

Deut. 6.

Hic videtis (mi Chriſtiani) qua ratione Deus aperuit Ludum vel ſcholam filijs ſuis, jubendo nimirum, ut infantibus quoque timor & præcepta Domini ſtatim ab ipſis cunabulis proponantur & inculcentur; quinimò etiam, ut in pectore ſuo præcepta divina ſecum circumferant, recordentur eorum & loquantur de illis, ſive ſedeant domi, ſub tectis ſuis, ſive peregré per loca aliena tranſeant, vehantur aut equitent, ſive dormiant, ſive ambulent, ſive ſurgant. Nec ſolùm recordari debent eorum, ſed etiam ea ad actum deducere & omnibus viribus vitam ſuam ſecundum illa inſtituere: Et, nequando obliviſcantur eorum, ſed in præſenti memoria ſemper illa ſecum circumferant, jubentur præcepta divina pro ſigno alligare ad manus ſuas & in perpetuam memoriam deſcribere ea in parietibus ædium & poſtibus januarum ſuarum. Quòd ſi verò præceptis illis divinis non ſint obtemperaturi, ſed inſuper adhuc tentaturi Deum, quaſi non ſeriò res ageretur, vel nulla pœna transgreſſoribus foret infligenda, minatur illis Deus in eum caſum, ſæviſſimas & graviſſimas pœnas, quòd velit eos delere de facie terræ. Quamvis hæc ſunt rectiſſimé à Deo ordinata; attamen vos multas inanes ac futiles rationes in contrarium allegatis, aſtruentes, quòd juniores iſtiuſmodi res arduas de Deo & præceptis divinis nec percipere, nec intelligere, multò minus ad uſum transferre poſſint; ac propterea illis faciliora & minus ardua proponenda, videlicet Fabulæ Æſopi, diſticha Catonis, Bucolica Virgilij, alia Ethnicorum ſcripta, quæ huc uſque in ſcholis Chriſtianorum quotidiana ac uſitata fuerunt, quippe quæ melius juventuti conveniant: atque prætereà etiam perlegendas eſſe illis animi cauſa, Comedias Terentij & Plauti, ac tradendos etiam libros ſancti Ariſtotelis, in quibus tractat de rebus naturalibus & ſupernaturalibus, ac de eſſentia Dei, deſcribens ſimul ordine mundum ac cœlum: Ex iſtis nimirum libris poſſe juniores haurire Dei & creaturarum divinarum

narum ac totius mundi cognitionem. Tum verò posteà jactis hisce fundamentis promovendam esse eandem juventutem ad scripta Rhetorum, Ethnicorum, & exercendum in recitationibus orationum publicarum, quò reddatur tantò animosior, & ut possit ea, quæ de rebus naturalibus & super naturalibus, atque etiam de Dei essentia & de creaturis divinis ac mundo addidicit, alijs vicissim constăter & magno animo proponere: Quo demum facto, putatis liberos illos vestros eo modo imbutos atque institutos, esse optimos ac doctissimos oratores & concionatores, ita quidē, ut nemo eos valeat disputando ac edisserendo vincere vel superare. Ad quæ tamen scire debetis, quòd erretis toto cœlo, siquidem nec scripturas nec virtutem Dei sciatis. Anne adeò sagaces estis, & per spicaces, & tamen non intelligitis, quid Deus à vobis requirat? Neque enim animadvertitis, quòd multò majori ac difficiliori labore exscriptis Ethnicorum ineptiæ illæ pueris inculcentur, quàm si in timore Dei & præceptis divinis erudiantur. Etenim, si infans quatuor vel quinque annorum legere discat decalogum, & memoria eum retineat, suo satis fecit officio. Posteà breves illis interpretationes sunt tradendæ, ut exerceant illas ad invicem per quæstiones & responsiones: Et quamvis hæc omnia per infantiam non satis intelligant, tamen eam inde utilitatem percipiunt, ut possint ea retinere firmâ memoriâ, usque dum adolescant, maturum judiciū consequantur, & in verum eorum sensum ac intellectum inquirant; Quinimò etiam præterea assuescunt hac ratione ab ineunte ætate loqui de Deo, & alios de eo differentes audire. His postmodùm altiora possunt in lege divina, in Prophetis, & Psalmis facilè proponi & inculcari atque simul etiam interpretationes eorundem tradi, ita ut per accuratam & quotidianam exercitationem, illa omnia melius & rectiùs percipiant, intelligant & memoriâ retineant, cum nullis circa ea ineptijs Ethnicis distrahantur & impediantur. Atque hæc quidem piè peraguntur: Hujusmodi informationi largitur Deus Spiritum Sanctum & benedictionem divinam, artem, scientiam & intellectum. Verùm vos hæc omnia dimittitis, & producitis vestros Doctores Ethnicos, circa eos oportet vos multum laboris & molestiæ proferre, antequam doctrinam illam Ethnicam liberis & discipulis vestris possitis inculcare, atque simul etiam discipuli vestri plurimum temporis, & vel decem, viginti, & nonnunquam etiam triginta annos consumunt, priusquam subtiles illas, alios circumveniendi technas imbibant & addiscant: Quibus tamen omnibus ita plavè perceptis, ut nihil amplius restet, quod non pernoverint, non multò sunt doctiores, quàm Michael ille germanus, & neque Deum neque creaturas ejus cognoscant, nec aliud quicquam de illis sciunt, quàm quòd gramen est viride, quòd vacca sit varijs distincta coloribus, quòd equus sit scutulatus, quòd aqua sit humida, & quòd Deus sit talis, qualem ipsi eum esse ex traditionibus Ethnicorum somniant, ac quòd mundus sit æternus.

tth. 22.
rc. 12.

Hæc & similia phaleratis suis sophistica-tionibus adeò norunt pingere & exornare, ut vel somnolentum etiam canem valeant per ea ex cineribus provocare: Cùm interim ne minimi quidem grani des *Magnetici* proprietates & virtutes, vel minima saltem ex parte cognoscant. Et tamen docti nihilominus haberi volunt, ac disputare de Deo ac operibus ejus, in quibus revera magis cæci sunt, quàm lucem fugiens talpa: ô miseri & occœcati! An non veremini disputare de Deo & operibus ejus, quæ non novistis? Neque enim quisquam novit Deum, nisi solus Spiritus Dei. Quoniam igitur vos tanquam veri Ethnici Spiritum Domini non habetis, atque ea etiam de causa Deum non cognoscitis, quomodò de Deo & creaturis ejus ullo solidæ veritatis fundamento disseretis aut scribetis? Etenim hîc attendendum est ad illud, quærite primùm regnum Dei ac justitiam ejus & reliqua omnia adjicientur vobis. Sed vos Deum & doctrinam ejus deseruistis, & loco ejus filijs vestris ac discipulis Ethnicam doctrinam proposuistis ac inculcastis, & propterea Deus vos in erroribus vestris reliquit, ita ut per illam vestram doctrinam Spiritum Sanctum non habeatis: Sed per lectionem Scriptorum Ethnicorum in loco Spirirus Sancti Spiritum immundum in scholas vestras invitatis, qui etiam vobis fideliter assistit & opera vestra promovet, quo & vos & discipulos vestros inpotestatem suam & sub coronam vel jugum potius imperij sui pertrahat & redigat. Quamvis enim in scholis vestris decantetis canticulam illam. Veni Sancte Spiritus, & postmodùm discipulis vestris per integrum diem scripta Ethnicorum summo studio prælegentes, speretis venturum ad vos Spiritum sanctum: Attamen non ille, sed loco illius idolum vestrum Diabolus, ad vos venit: Ille vobis in scholis vestris opitulatur, ut pote, cujus instrumenta estis, quamdiu libros illos Ethnicos tractatis: Sed vos replicatis, haberi etiam simul apud vos scholas alias, in quibus scriptura sacra prælegatur, ne scilicet in alterutro defectus aliquis deprehendatur. Etenim aliquas etiam scholas habendas esse, in quibus Philosophica tractentur, ea quidem, quæ omnium optimè Ethnici descripserint, neque enim hauriri ea ex sacris scripturis posse: Sed posteà demum, quando quis plenè ex Ethnicorum scriptis Philosophica præcepta addidicit, facilè eum evadere Doctorem excellentissimum Paginæ sacræ;

ô fatuos delyrantes! Quis uſpiam Spiritum immundorum ſuggeſſit vobis Philoſophiam, vel, uti eam vocatis ſapientiam, apud Diabolum & filios ejus ac defertores Dei Ethnicos eſſe quærendam? Cùm tamen Deus ipſe atteſtetur, ſe ſolùm eſſe verum fontem & ſcaturiginem ſapientiæ. An verò non ſatis ſuperque intellexiſtis, Deum unicam duntaxat ſcholam aperuiſſe, in qua juſſerit ſe ſolum timeri, mandata ſua obſervari & ſibi ſoli inſerviri? Quomodò hæc conveniunt, quòd conamini habere ſcholam ſacrarum literarum, atque ſimul etiam ipſi Diabolo extruere ſcholam Ethnicam? Neque enim poteſtis ſervire Deo & Diabolo. Ad hæc etiam ſchola illa veſtra, quam Theologiam dicitis, formam non habet deo placentem: Etenim nullum vos in eo Doctorem admittitis, niſi ſcriptorum Ethnicorũ rudimenta prima, & vel omnimodè etiam fundamenta totaliter ac plenè perceperit atque imbiberit; Quippe hunc demum idoneum eſſe ad docendam ſacram ſcripturam aſſeveratis, ita quidem, ut Diabolus in utraque hac ſchola veſtra modo horrendo ad clavum ſedeat & manifeſtè homines ac publicè circumveniat & ad ſe alliciat. Proinde vos ipſi, ô miſerrimi diſcipuli, hæc aliquando altius conſiderate, excutite hoc jugum Diabolicum, deſerite ſcholas veſtras impias, & convertimini ad Deum veſtrum, & maximè idoneum ludimoderatorem, qui ipſe vobis ultro ſcientiam, artes ac ſapientiam; Imò etiam Spiritum Sanctum & vitam æternam offert ac pollicetur: Etenim videtis, quòd in ſcholis iſtis Ethnicis, timor Domini & præcepta ac mandata Divina neque ad manum alligentur, neque parietibus & poſtibus vel januis inſcribantur, uti alioquin Deus ad perpetuam iſtorum memoriam fieri juſſit, multoque minus aliquem vel domi vel ruri, vel inter dormiendum vel inter ambulandum vel inter ſurgendum recordari illorum, aut loquide illis: ſed contrarium potius eſt ante oculos, quòd nimirum omnes omnino ædes, parietes, cœnacula, feneſtræ, januæ, poſtes, libri, pocula, patinæ, orbiculi, cultri, gladij, frameæ & annuli, Ethnicorum ſapientum ſententijs ac dicterijs, loco Dei, atque timoris & præceptorum divinorum ſunt completi, ne ſcilicet domini rerum iſtarum, obliviſcantur unquam Doctoris ſui & doctrinæ ejus. Hoc jam verè eſt impudenter Deum ac Dominum ſuum tentare. Etenim, dum loco ſcholarum Deo aperiendarum Ethnicas ſcholas iſti homines erigunt, atque hac ratione Deum blaſphemant, anrumantes, apud eum non agi hoc negocium ſeriò nec cordi illi eſſe: Ac proinde ſe quoque propter hanc ſuam mandati divini tranſgreſſionem, nulli penitus pœnæ ſubjugandos eſſe, tentant hoc ipſo Deum quando nimirum pro conceſſione Spiritus Sancti eum invocant, atque interim diabolicam doctrinam tentant: quocirca etiam juravit Dominus, ſe iſtos blaſphematores atque tentatores deleturum de facie terræ.

Baruch. 3.

Schola iſta prædicta, quam Deus ipſe inſtituit, eſſe debebat veluti Mater & origo Eccleſiæ ſuæ Iſraeliticæ: Vnde etiam tot Sacerdotes, Levitæ, Cantores & Diaconi provenerunt. Illi doctrinam Divinam unà cum Prophetis & politicis ſanctionibus in Eccleſia Dei: Inde à Moyſe uſque ad adventum Chriſti legerunt, docuerunt, & didicerunt, ita quidem, ut etiam ex iſtis omnibus virtute Dei omnes ipſius creaturas cognoverint pleniſſimè, & tantam ſibi comparaverint ſapientiam, qua certò præſciverunt futurum, ut Meſſias verus Dei Filius ex Virgine in Bethlehem Iudæ naſceretur: Et poſtmodùm quando natus erat Chriſtus, & ſuo tempore ad templum aſcendit, ibi ille Doctores invenit ac diſcipulos legentes ac docentes Moyſen & Prophetas, abſque omni depravatione & corruptela ac mixtura doctrinæ Ethnicæ. Quia autem credere nolebant, verum Meſſiam jam exhibitum eſſe & legem atque Prophetas in Chriſto illo præſente metam ac terminum ſuum attigiſſe, idcirco Chriſtus Eccleſiam illam Iudaicam in Chriſtianam Eccleſiam transformavit, loco circumciſionis Baptiſmum inſtituit, & novas ſcholas & Doctores introduxit. Atque illi etiam unanimiter contra Ethnicorum doctrinam & eorundem Idololatriam ſunt concionati, & populum ad ſolum Chriſtum remiſerunt, illum nimirum eſſe verum Deum cum Patre & Spiritu Sancto, pari Majeſtate, gloria & potentia: ac humanitatem veram illum peccatorum noſtrorum cauſa aſſumpſiſſe. & crucifixum eſſe pro peccatis noſtris, atque hac ratione à morte æterna nos redemiſſe, tertia quoque die reſurrexiſſe à mortuis, aſcendiſſe in cœlum, ſedere ad dextram Dei, unde venturus ſit judicare vivos & mortuos. Hæc doctrina tempore duodecim Apoſtolorum, & poſt eorum diſceſſum longo tempore, inpleno fuit vigore, exploſâ omni Ethnicorum Doctrinâ & plurimis etiam librorum eorum combuſtis, donec tandem perverſi illi Ethnici, qui etiam ante Chriſtum natum extra Dei Eccleſiam in pretio & Authoritate fuerunt, rurſus ſeſe per libros ſuos apud Chriſtianos inſinuaverunt atque ſeſe ipſis immiſcuerunt & venenum ſuum inter ipſos ſeminaverunt, ac Sophiſticationibus ſuis multos Chriſtianos à ſemel agnita & recepta fide Chriſtiana averterunt, atque præterea omnes Chriſtianorum ſcholas libris ſuis repleverunt, uti hoc quotidie in oculis omnium hiſce noſtris temporibus obſervatur: Tantum enim Satan Ethnicis illis Sophiſ-

phiſinatum technis obtinuit , ut non ſolum multos Chriſtianos à vera fide ſeduxerit , Sed inſuper etiam illos , qui erant reſidui , tanto dementiæ malo ex cæcaverit , ut Ethnicos illos libros in ſcholis ſuis ferant , & radices agere permittant ac tantopere illis delectentur , ut perſuaderi illis nulla ratione poſſit , ut tollant illos & ſummoveant ex ſcholis , atque veras Dei ſcholas , ſublatis illis , aperiant & inſtituant. Proinde ut error iſte abominandus & horrenda obominatio ex Chriſtiana Eccleſia tandem aliquando extirpetur & ſcholæ ab illis repurgentur , magiſtratus in illud ſeriò animadvertet , & ludimagiſtros coget, libros ejuſmodi Ethnicos abolere & igne conſumere. Quo facto verbum Dei ſtrenuè creſcet & firmiter permanebit, non ſecus ac tempore Pauli factum eſt in
:.19. Epheſo , ubi libri quàm plurimi comburebantur: Et enim, ſi quis avertere & ſummo vere voluerit malum , neceſſe eſt, ut cauſam mali tollat. Si vis , ne infans aliquis cultro lædatur , adimendus erit ei cultellus & removendus. Quando quidem igitur per libros Ethnicos tantum Eccleſiæ Chriſtianæ damnum infertur, meritò omnes Principes debent in id incumbere ſedulo, ut primo quoque tempore doctrinam Ethnicorum & libros eorundem ex ſcholis ſuis tollant & ſummoveant , igneque comburant , & ſeverè & ſub graviſſimæ pœnæ comminatione impreſſionem eorum atque diſtractionem prohibeant & interdicant : Ac præterea etiam cum doctis , peritis ac prudentibus viris conſultationem atque deliberationem ſuſcipiant , qua ratione poſſunt ubique locorum ſcholæ ad præſcriptum mandati Diuini inſtitui ac aperiri , in quibus ſolus timor Dei & præcepta divina unà cum Prophetis , Pſalmis , Evangelijs ac politicis ſanctionibus Moyſis , doceantur & prælegantur. In illud etiam ſimul ſummo ſtudio & accurata diligentia ſerio animadvertendum eſt , ne clanculùm & intra privatos parietes rurſus venenum illud & Sophiſticatio Ethnicorum aliquibus obrepat , atque hac ratione totum negocium viciſſim evertat. Hoc modo reſiſti poſſit diabolo , quò minus valeret tantum & tam miſerandum malum in Eccleſia Chriſtiana excitare. Etenim omnia ipſius opera ſunt inania, nec quicquam aliud ſomniat , præter ſolam inanitatem , qua homines à Deo abducit. A quo monitos vos velim , qui eſtis diſcipuli. Porro hoc etiam auditu mirum eſt , quòd Iudæi , Turcæ , Ethnici libros noſtros tantoperè oderint , ut non ſolùm non legant illos , ſed etiam pro ſcelere & peccato reputent , ſi quis vel folium ſaltem aliquod ex illis manu ſua apprehendat. Tantoperè nimirum illi religionem ac doctrinam ſuam amant & tuentur , nequid Chriſtiani ei admiſceatur. Lætantur etiam ſummè , quando audiunt vel vident abominandos ſuos libros in tanto apud nos pretio & honore eſſe, adeòque eos non ſolum publicè in ſcholis noſtris proponi ac diſputari ex illis , ſed conciones quoque in ſuggeſtu ad populum ex ijſdem haberi , ſententiaſque ac dicta illorum pro noſtræ doctrinæ & religionis confirmatione allegari. Vnde iterum hoc maximum malum emergit, quòd , dum per noſtram Chriſtianam doctrinam Ethnicos convertere conamur, tamen nihilominus interim , neglectâ Dei ſcholâ Ethnicorum ſcriptis utimur: Illi concludunt, noſtram doctrinam omnino falſam , atque ſuam è diverſo veram atque inculpabilem eſſe. Proinde etiam malunt in confeſſione ſua Ethnica perſiſtere , quàm ad veram Chriſtianam fidem converti , maximè cùm nos ipſi etiam, qui Chriſtiani ſumus , iſtorum opinionibus aſtipilemur atque ita Ethnici efficiamur: Haud cogitantes , quòd Deus impunè ferre hoc iſtos Ethnicos Chriſtianos non ſinet : Quòd ſi quis voluerit Ethnicos ab Idololatria ſua & falſa atque fictitia doctrina ad veram Chriſtianam Eccleſiam convertere , longè aliâ viâ & modo inſiſtendum erit : Quippe non ſolùm libri ipſorum omnes ex ſcholis & univerſa Eccleſia Chriſtiana eijciendi erunt & comburendi , ſed etiam opertebit falſa ipſorum dogmata ſolidis Chriſtianæ veritatis fundamentis confurare , redarguere & infringere , atque è contra veram amoris ac præceptorum divinorum doctrinam unâ cum ſacro Sancto Evangelio , conſtantem & pio Zelo profiteri & concionari. Hac enim ratione demum illi addiſcent & intelligent , quis ſit Deus Creator, redemptor , protector & ſalvator noſter , & quòd falſa ipſorum doctrina & Idolatria in totum ei diſpliceat & ſit damnata , tum vel maximè etiam , quòd omnes illi qui non ſunt Baptizati , neque credunt Ieſum Chriſtum eſſe Filium Dei , nullam in ſe vitam habeant , ſed cum Diabolo ſunt condemnandi : Cùm è diverſo illi , qui in Chriſtum credunt , ſint cum eo reſurrecturi atque hæreditario jure occupaturi regnum cœlorum , & in omnem æternitatem illud in ſumma lætitia ac gaudio coram facie Dei poſſeſſuri. Id quidem etiam , quòd omnes Chriſtiani ſummè in votis habent , ut Ethnicis quoque contingat , & at ſimul cum ipſis regnum Dei obtineant & poſſideant ; ſi modò verè ad Chriſtianam fidem convertantur. Etenim Evangelium etiam Ethnicis licitè annuntiatur , & aperta eſt cœli janua omnibus illis , qui ad Chriſtum & regnum ejus convertuntur , atque illud ex animo quærunt. Hinc jam videtis vos Ethnico-Chriſtianorum ſcholarum patroni & ludimagiſtri , quan-

tum damnum & malum in Christianam Ecclesiam invehatis, dum discipulos vestros in doctrina Ethnica ab ipsis veluti incunabulis informatis; ac venenum istud veluti præmansum, illis in os ingeritis, quo à vera ac sana doctrina abducuntur: Et quòd etiam hac vestra Ethnicorum Scriptorum professione, ansam ipsis Ethnicis præbeatis, quò minus Christianam fidem amplectantur: Sed, ut in cæcitate sua adhuc obstinatiores perseverent. Deus sanguinem eorum, qui sunt seducti atque hominis à salute æterna impediti, interitum, petet & vindicabit ex manibus vestris. An verò etiam non putatis, futurum, ut vos, in judicio novissimo discipuli vestri, quos à Deo abduxistis, & Ethnici, quos impedivistis, quò minus ad veritatis cognitionem pervenerint, gravissimè sunt accusaturi & summè de vobis conquesturi; illi quidem, quod à verò eos religionis Christianæ tramite, ad avia Ethnicorum seduxeritis; hi verò, quòd publica prælectione ac professione Scriptorum Ethnicorum in Scholis vestris, eos in hæresibus suis & erroribus confirmaveritis, & reddideritis tantò obstinatiores, ita quidem, ut solida veritatis Christianæ principia & fundamenta apud vos non audiverint; multo minus fuerint admoniti ad deserendam falsam doctrinam & Idololatriam ac amplectendam veram religionem Christianam, & quærendum in illa Christum Salvatorem. At verò tamen vos nondum hæc ita futura creditis; sed magno vestro malo tandem aliquando nimis vera esse experiemini. Vel an forsam leve vobis videbitur timorem Dei & præcepta divina deserere & falsam Ethnicorum doctrinam consectari? An ignoratis Ethnicorum numina & idola veros esse diabolos, à quibus illi falsam suam doctrinam, artes, vaticinia & præstigias sunt mutuati? Quid fuerant Apollo, Diana, Iuppiter, quid Sybillæ? Quid fœminæ montanæ, Pygmæi? Quid Dei sylvestres? Quid virgines seu Nymphæ aquaticæ? An non hos omnes in necessitatibus & difficultatibus suis consuluerunt? deserentes interim verum ac unicum Deum, qui tamen vobis omnem gratiam atque misericordiam ultrò offert, quòd velit vobis præterita, præsentia & futura; imò verò admiranda & magna mysteria unâ cum Thesauris suis aperire & revelare. Et verò tamen nihilominus & vos agitat dementia, ut malitis diabolum & mendacia illius oracula sequi, & consilia ab ijs petere, falsamque & commentitiam illorum doctrinam promovere & tractare, quàm verò & vivo Deo Soli adhærere & salvari. An non novistis, illum esse Deum fortem, zelotem, qui non vult honorem suum dare alteri, sed requirit, ut se solum timeamus & præcepta ac sanctiones suas solas observemus, omnesque res Ethnicas atque Idololatricas aversemur, neque ulla ratione Deum alium præter ipsum habeamus & adoremus. Ita videtis omnes vestras actiones atque opera meram esse inanitatem, in qua etiam funditus peribitis, nisi Ethnicæ doctrinæ nuntium miseritis & toto pectore ad Deum & doctrinam ejus fueritis conversi.

Membrum hujus appendicis secundum, ex libri septimi capite 16. Tabulæ Revelationis Majestatis divinæ extrahitur, in quo probatur, quòd quibusdam istius seculi, spiritus sanctus conceditur: ubi etiam declaratur, quòd miracula juxta quorundam mentes non sint penitus hisce nostris seculis extincta, & in exilium ab hominibus relegata.

QVamvis essentia spiritus sit eximiè lucida & splendida atque ignea: attamen splendor ille cum luce atque igne suo nullatenus conspicitur, sed latent ista omnia corporeos oculos, ut pote, qui densis tenebris sunt obducti atque impediti; adeò quidem, ut vix Solis splendor penetrare atque illuminare eos valeat, ut possint visibilem hanc lucem perspicere & creaturas Dei contemplari. Et, licèt hi sancti in essentia sua sint admodùm magni, ac præterea quoque ipsum pellucidum cœlum una cum aëre, spiritibus atque Angelis istis omnino sit repletum; nemo tamen mortalium ejus est sanctitatis atque probitatis, vel etiam eo modo reconciliatus cum Deo, ut vel minimum saltem spiritum possit oculorum suorum acie contueri: Cujus rei & mali causa unica tantùm sunt, opera illa carnalia atque damnabilia, quemadmodum injusti, scortatores, adulteri, lascivi & incontinentes Sodomitæ, avari, luxutriosi, blasphemi &c. Ita quoque ijsdem nullum penitus Spiritum sanctum aut Angelum in essentia ejus vera videbunt: Et, si forsan etiam alicui contingeret istiusmodi Spiritus essentiam, qualis illa perse est, videre, uti Stephanus essentialiter conspexit Gloriam Dei simul cum Christo Iesu, protinus tamen ille mendacij argueretur & pro incantatore & venefico reputaretur, colludente cum Beelzebub; quin imò etiam omnes illum persequerentur odio infestissimo atque ad postremum quoque lapidarent.

Tanto-

Tantoperé nimirum occœcatus est hic mundus, ut nemo credat, eam à Deo gratiam homini posse exhiberi, ut videat aliquem spiritum: Hæc incredulitas prodit ac indicat falsó Christianos, quorum fides ne magnitudinem grani sinapis exæquat, quin potiùs nulla prorsus: Pro Christianis tamen hi ipsi ac pro Filis Dei haberi volunt, cùm tamen nullam habeant fidem, quæ alicujus sit effectus & viva: ore tantum credunt, nullatenus autem corde, adeòque sufficere sibi putant, si ore tantùm & labijs suis fidem confiteantur, cùm interim sit cor eorum ab illa quàm remotissimum, nec minori ab eo spatio ac intervallo distet, quàm sejungitur Oriens ab occasu. Radicare oportet fidem in corde & pectore, atque exinde sursum succrescere & proferre fructus homine Christiano dignos. Proinde frustra hi fidem suam jactitant, cùm ne minimus quidem fructus fidei in illis deprehendatur. Quisnam ex illis fidei suæ magnitudine & constantiâ restituit proximo suo sanitatem? Vel quis ipse per eam convaluit? Quis visionem aliquam divinam fidei suæ virtute conspexit? Vel quis etiam, per ejus veritatem ac constantiam memorabile aliquid aut notabile obtinuit? Prodeat vel unus saltem ex multis millibus millium, atque indicet minimum duntaxat fidei suæ effectum. Sponsionem fecerim ego, nisi omnes sitis dicturi, quòd filium Decurionis sanare non potueritis: atque simul interrogaturi, quid nam sit in causa, quò minus volueritis illud præstare: Sed respondebit vobis Dominus, quòd impossibilitas illa sit penes incredulitatem vestram: Si non poteritis certò aliquid operari, fidem veram non habetis: Quod si fidem veram non habetis, Christiani non estis: Sin autem non estis Christiani, quid gloriamini de fide Christiana? Præcludenda sané esset hæc gloriationis & jactantiæ via, & excommunicandi essetis, donec promissio fieret, vos admissuros atque præcepturos in Scholis Christianis meliorem & pleniorem fidei informationem.

Quamdiu autem hoc non fit, habendi estis pro Ethnicis incredulis, & ex societate Christiana exterminanda: Ignominiâ namque Christum afficitis, dum nomen ejus atque fidem profitemini & in mendacijs vestris deprehendimini. Etenim, inde Christi nomen inter Gentiles Blasphemiâ & convitijs proscinditur, quòd fides vestra inanis & mortua, nihil omnino in nomine Iesu præstet aut efficiat. Vos Magistratus, quam curam geritis Scholarum vestrarum? Quomodò juventus vestra in fide informatur? Vbi sunt libri vestri Christiani? Qua ratione proponunt Doctores vestri Moysen, Prophetas & Evangelia una cum Epistolis? Quando tandem subsequentur fructus atque operationes fidei ex doctrina illorum? Qui fit, ut nullus videatur illius rei effectus? Profecto Ethnici atque venenati libri vestri, ac damnabiles Sophisticationes in culpa sunt & impediunt, quò minus possitis edere ullum fidei opus aut fructum. Verum enim verò vos longè aliud habetis, quod respondeatis, afferentes nimirum, non opus esse hoc tempore miraculis, quippe signa illa in Primitiva tantum Ecclesia fuisse necessaria, ut per illa infideles ad Christianam fidem converterentur: illud autemhac nostra ætate non amplius desiderari, sed sufficere, ut fides hominibus per conciones sine miraculis proponatur. Ego verò amici mei, velim ad unum mihi respondeatis: Quid fecit Christus? Quid Apostoli ejus, dum in hoc mundo sunt peregrinati? Nonne ita est, quòd docuerint atque annuntiaverint pœnitentiam, & remissionem peccatorum, ac regnum Dei ad vitam æternam per fidem in Iesum Christum? Quòd itidem etiam ægros & corpore & animâ sanaverint, Dæmonia ejecerint, atque ita exemplum posteris reliquerint, quòd in docendo populo & sanandis ægrotorum corporibus & animalibus sequerentur? Vel, an non etiam ablegavit Dominus Apostolos suos in mundum hoc modo? Ite in mundum universum & Evangelium annuntiate omni creaturæ, qui crediderit & baptizatus erit, salvus erit; qui verò non crediderit, condemnabitur: Signa autem, quæ consequuntur eos, qui credunt, sunt hæc. In nomine meo eijcient Dæmonia, novis linguis loquentur, serpentes abigent, &, si quod venenum biberint, non nocebit eis, imponent ægrotis manus & sanabuntur. Imò, etiam credentes edent miracula multò majora his, quæ ipse Salvator edidit. Ita etiam Dominus opera sua per internuntios significavit, nimirum, videre cæcos, claudos ambulare, leprosos sanari, surdos audire, surgere mortuos & Evangelium pauperibus annuntiari: ita videtis, qualis esse debeat vestra doctrina in Scholis vestris, quid debeant dicere Doctores vestri, & qua ratione oporteat eos fidem simul cum fructibus ejus proponere, annuntiare & propagare.

Marc.16. Luc.10.

Matth.11. Luc.7. Isai.61.

Citra & extra fructus fidei vestræ docere & credere, non alio modo habendum est, quàm illud, quod est Ethnicorum infidelium, qui neque fidem annuntiant, neque fructus fidei operantur. Quinimò etiã vos estis, ipsis Ethnicis pejores & sceleratiores, utpote, qui Gloriamini de fide & nullo tamen facto eam comprobatis: Etenim oportet secundum Dei mandatum conjungi doctrinam & opera: Sed ausit aliquis intra limites vestros accedere; qui sanet fide sua ægrotos, qui precibus & jejunijs Dæmonia eijciat, aliave opera

Christiana expediat : Nonne ita est, quòd sitis in continenter asseveraturi, illum esse Samaritanum & habere diabolum, cujus virtute & potentiâ ista omnia perficiat? Quòd si verò diabolus hoc præstare potest, quid nam vos potestis? Vel, an efficacior est diabolus, quàm fides vestra? Oportet vos per fidem in Christum Iesum eijcere Dæmonia: Sed vos hoc planè invertitis & diabolo illum honorem attribuitis, quòd hoc atque illud efficiat, quo quidem ipso ille vos obsidet, & fidem vestram debilitat & labefactat. Egregios verò Christianos! Quando unquam diabolus ullus eijciet alium? Quomodò regnum ejus subsisteret? Quando unquam diabolus ægrotos corpore & anima sanavit? Et siquidem diabolus tam magna præstare potest, ubi est fides vestra Christiana, quam oportebat istiusmodi signis subsequentibus commonstrari? Profectò frigidi estis & oscitantes Christiani, nec fidem vestram cassa nuce emerim, utpote per quam nullum penitus effectum valetis producere. Scholæ vestræ partim Ethnicæ sunt, partim Christianæ, atque hinc omnis mali origo, dum liberos vestros ineptijs illis corrumpitis, quò minus possint verum fidei Christianæ fundamentum assequi & amplecti: Illic Ethnicorum libri & Scientiæ ipsis præleguntur, atque altissimo interim silentio prætenitur, qua ratione Deus pro benigna suæ Gratiæ, favoris, sapientiæ ac intellectus & Spiritus sancti concessione, sit invocandus, & quomodo dona ista divina una cum fidei confirmatione sint impetranda atque obtinenda; ita ut sanari in efficaciissimo illo nomine Iesu Christi omnes morbi, dæmonia eijci, & increduli ad veram Christianam fidem converti possint: Circa hoc occupari oporteret Doctores vostros atque Ludimoderatores. Verùm persuaderi isthæc vobis non possunt: Vnde etiam fit, ut ne granum quidem sinapis fide vestra possitis provocare. Quomodò igitur consequemini à Deo oculorum vestrorum illuminationē, qua possitis aliquem Spiritum sanctum, vel Angelum aut ipsum etiam Deum in gloriosa sua essentia videre? Adeò nimirum vestris tenebris istis estis excæcati, ut neque diem à nocte, neque verum à falso discernere atque dijudicare possitis, multòque minus cavere vobis à veneno Ethnicorum illo, referto pestiferis diaboli sagittis, quippe quo jam estis tantopere infecti & occupati, ut in cæcitate ista vestra commiscea tis sacra cum profanis, & neque Deum neque sanctos ejus in essentia sua cognoscatis aut videatis. Convertimini tandem, repurgate Scholas vestras, corda vestra emundate, invocate in Spiritu sancto, ita demum confirmabitur fides vestra, ut possitis signa edere fidei vestræ & res spirituales contueri.

Membrum hujus appendicis tertium ex cap. 105. lib. 5. Tabulæ Revelationis Majestatis Divinæ, in quo adversus Peripateticorum de Lapidis Ceraunij creatione agitur.

MAxima pars hominū adduci nequit, ut credat, ex aëre aliquid in terram decidere ac deijci. Et, siquando ranæ, vaccæ ac vituli aliaque miraculosa decidunt, existimant hæc omnia prius subitò vi venti in aërem fuisse sublata atque ita postmodum rursum in terram prolabi: Quando vero audiunt, jaculum tonitrui, veluti ex pellucido aliquo Christallo politum, aut etiam Ceraunium lapidem albo, cœruleo, viridi varijsque alijs coloribus cœlitus demitti, quibus ædes, turres, arces, imò & quandoque petrosæ rupes comminuantur, confringantur, & conflagrent, respondent, lapides illos ex subtili pulvere per Solis ardorem sursum elevato, atque in humidas nubes attracto, nasci, & partim oblonga & partim rotunda forma constringi, atque ita concretos, rursum vehementiore calore vires suas in nubes humidas exerente, cum impetu deijci ac deturbari: Hæc nimirum est illa tantopere decantata Philosophia Aristotelica, ut dolendum sit ita futiliter, inepté ac ridicule, eos de miraculis Dei loqui, dum veræ scientiæ tergum obvertunt, & mendacibus istis somnijs loco veritatis utuntur & delectantur: adeoque etiam jactare ac gloriari in illis non erubescunt. Sed durum est, eos ab ineptijs suis avertere, cùm tamen scire illos oporteret, lapides istos per Angelos Dei præparari ac desuper immitti. Animalia etiam ista superioribus locis in aqua nasci, uti anteà brevibus indicatum est; aërem quoque ipsum & cœlum ex aqua factum atque etiamnum aquam esse: omnesque in terra gemmas & metalla ex aqua oriri & crescere. Sequitur ergo, quòd gemmæ & metalla in aëre seu cœlo, ex aqua fieri, & nonnunquam conijci in hæc inferiora, atque ita silices quoque illos aureos alioque lapides superius in aqua natos, multis in locis desuper ad nos homines in terram deijci, quibus miracula divina revelantur atque Deus in genere humano celebratur. Quamvis autem hæc & alia pro explodenda Ethnicorum doctrina plurimis in locis sæpissimè disputentur, proponantur & solidis veritatis fundamentis in cœtu Christianorum confirmentur & annuntientur, nullus tamen inde effectus veré & realiter sequitur. Siquidem etiamnum hac nostra ætate videre licet, qua ratione Ethnicorum libri non solum in omnibus Academijs & Trivialibus scholis, in urbibus

urbibus & oppidis legantur & juventuti inculcentur, sed insuper etiam immensis commentarijs, non sine summa devotione, labore & sudore tam ab Ecclesiasticis, quàm secularibus illustrentur: in quibus varié disputatur de immortalitate animæ, ac de ejus essentia & actionibus, alijsque rebus plus quàm notorijs, ita tamen, ut nihil inde subsequatur aliud, quàm siqua vacca lambendo detergat vitulum, vitulus enim ille tum nihilominus manet. Eodem, inquam, modo se res habet circa istiusmodi glossas & commētaria, ut quamvis multi multa ad ista Ethnicorum scripta commiscantur, illa tamen, uti ab initio erant, ita etiam ex post facto maneant venenata ac damnata Ethnicorum doctrina: Atque adeò etiam illi ipsi Doctores reverendi, si Dijs placet, quia sacram scripturam é manibus dimittunt, multoties & integris suis commentis non rectè intelligant aut assequantur, quid sit anima, quid spiritus sanctus & ejus dona, atque ubi Spiritus sanctus habitationem ac scholam suam habeat & exerceat: tantoperé nimirum fatuos illos exagitat Ethnicorum Scriptorum dementia, ut sacram quoque scripturam ex traditis Ethnicorum interpretari, vel rectiùs depravare non erubescant; cùm tamen illa non per tenebras Ethnicas, sed per illuminationem tantùm Spiritus sancti sit explicanda. Quis igitur temerarijs istis & nequam hominibus liberos suos committet, ut venenum Ethnicum ab ijs hauriant, atque una cum magistris ac doctoribus suis efficiantur filij perditionis. Veri ac synceri Christiani hoc à Deo mandatum acceperunt, ut Moysen & Prophetas, imò Christum Dominum suum audiant & sequantur. Ab hisce igitur omnes Ethnici Doctores ac discipuli remoti sunt & excluſi, asserente Christo ipso, cum inquit: Qui non est mecum & verbum meum non audit, contra me est, neque discipulus meus est: Qui non colligit mecum, dispergit, qui me non sequitur, non est me dignus. Iam verò Ethnici Doctores nihil horum faciunt: neque enim Moysen audiunt, nec Prophetas, nec Christum: Quòd si audiunt eos, contemnunt; discipuli eorum dici non possunt, sed ab ijs seu ex numero eorum sunt excluſi, si ex eorum numero sunt excluſi, non sunt filij Dei, sed impij, si impij sunt, non sunt participes regni cœlorum & consequenter à Deo penitus remoti & ejecti sunt.

Membrum quartum est caput. 78. lib. 7. tabulæ Revelationis Majestatis divinæ: quod aëris mysteria, verumque Meteororum contra Peripateticorum mentes explicat.

OMnia creata sunt per verbum Dei: Proinde quoque omnes res verbo Dei gubernantur moventur & ducuntur. Hoc nolunt admittere sapiētes hujus seculi, sed peculiariter sibi confingunt opinionem, qua statuunt, naturam omnia peragere, &, quòd natura per causas secundas in tertias operetur, & stultum ex stulto generet: cùm tamen ista eorum figmenta & opinationes nihil sint aliud, quàm pura puta mendacia: Neque enim natura illa in tota rerum Vniversitate existit, quæ aliquid operetur aut producat, sicuti Deus facit, qui omnia Verbo suo creavit, & quam ille cuique creaturæ benedictionem largitus est & attribuit ei, ipsa ob temperat, atque verbo illi ac jussui Divino obsequitur, ac ne latum quidē unguem ab eo discedit. Omnes omnino creaturæ in metis ac terminis obedientiæ divinæ persistunt, homine excepto, qui à Deo recedit, contemnit præcepta ac doctrinam ejus, confingit sibi ipsi Deos, Idola; religionem ac sanctiones sibi peculiares in ædibus sacris constituit, depravat verbum Dei, compellit alios, ut & ipsi ordinationes atque traditiones suas præferant Verbo Dei, sanctos invocent, reliquias sanctorum pro sacris venerentur, orent pro defunctis, sacram atque à Christo institutam cœnam sub una tantùm specie administrent, & siquæ sunt alia istius generis deliria, quæ observantur in dedecus & extenuationem Verbi divini: id tamen, quod firmum nihilominus permanebit & contemtores suos tandem aliquando judicabit. Eodem quoque modo delirant Sapientes mundi seu Philosophi, quippe, qui non concedunt, Deum operari omnia in omnibus, & quòd verbum ejus omnia moveat, concitet & conservet, sed naturæ illud suæ ascribunt, prætendentes, Deum operari per media, & quidem per secundas & tertias causas: atque ita delirantes illi sapientes vel ultro intelligere nolunt, quòd Deus unicè per verbum suum, non autem per ulla alia media, atque ita etiam nequaquam per istas ab illis allegatas causas, sed in illis tantùm operetur. Primum corpus, nimirum aquam Deus madidum seu humidum per verbum suum creavit, atque hoc ipsum etiamnum hodie post lapsum tot mille annorum humidum manet: Nulla istic videtur causa alia, quæ aquam humectet vel madidam reddat, super & in aqua Deus condidit aërem, ut natet super aquas & impellat ac moveat illas, atque in liquida & fusili illa substantia ipsas conservet. Hoc itidem fit etiamnum hodié. Cum aëre etiam simul creavit verbo suo Angelos & spiritus, qui in aëre circa directionem tempestatum, pluviæ, nivis, grandinis, pruinæ, nubium, fulguris, tonitrui, ignis, Chasma-

tum, fulminis, aquarum, caloris, frigoris, humiditatis, siccitatis & aliorum id genus quam plurimorum, munus suum ac officium obeant & exequantur. Atque hoc ipsum quoque etiamnum hodie fit in verbo ejus. De hisce omnibus seculares illi sapientes seu Philosophi libros sibi conscribunt mirè ineptos, in quibus ne punctum quidem unum, nedum integra litera vera est, sed quicquid ex cerebris eorum in calamum atque inde ulterius in chartam dimanavit, hoc tantum in illis legitur, quod nihil prorsus est aliud, quam purum putum mendacium. Quin imò etiam ipse Spiritus oris in sapientibus istis omnino mendax & falsus est: volunt tamen illi nihilominus sapientes vocari, & conantur alijs persuadere, ut libros suos ante omnia discipulis in Scholis suis proponant, ac probè eos in illis exerceant, quò doctiores inde evadant; consistere namque in illis totum omnium reliquarum artium fundamentum Attende autem, quàm futiliter de istis jam commemoratis rebus scribant, unde nimirum nubes, pluviæ, nix, grando, pruina, calor, frigus, fulgur, lapis Ceraunius, aquarum inundationes & tempestates bonæ ac malæ oriantur. Profectò, ne ineptiora quidem somnia alicui obvenire possent, quam quibus asini isti res commemoratas de pingunt Fit autem id unicè inde, quod neque Deum neque Sacrosanctum ejus verbum cognoscunt, atque adeò etiam sacram scripturam contemnunt, neque legunt in illa, sed delirijs suis duntaxat incumbunt, & mendacium mendacio affluunt. Quod si Scripturam sacram eo studio perlegissent, quo libros & volumina sua mendacia evolverunt, vera de aëre & tempestatibus inveniissent: Quod nimirum non eo modo circa illas sese res habeat, atque illi in libris suis mendacibus de illis scripserunt: Sed, quòd Deus pro hisce jam commemoratis speciebus peculiares suas arcas Thesaurarias habeat, ex quibus ventos ac tempestates producit, & quòd Angelos ac spiritus suos faciat ventos, & flammas igneas: Quæ quidem omnia si ex Biblijs sacris deprompta & in unum veluti fasciculum colligarentur, uti forsan aliquando in peculiari libro illorum omnium pro parte delineatio fiet, quo vos ardeliones mendaces cum illis vestris figmentis & delirijs fugeretis? Quoniam enim Deus ad varietatem tempestatum inducendam, peculiares suas arcas Thesaurarias habet, & Angelos ac Spiritus, atque inde omnia illa inducit, quæ videmus: quam mirificè nimirum tempestates oriantur, quam mirabiliter lapis Ceraunius coalescat, qua ratione æstus & frigus generent tonitru, ita, ut ad arces, ædes ac arbores usque illud pertingat, quonam unquam veritatis prætextu hæc & alia vestra deliria, ô mendaces impudentissimi, contra expressam sacram scripturam probabitis aut defendetis? Nunquam videlicet illud probare poteritis, ut vel maximè etiam de animarum vestrarum salute agatur, nisi forsan sacra scriptura falso sit & mendax. Sed illa jam per tot millia annorum examina sustinuit sua, & in actis præteritis fuit deprehensa vera, atque mendacia vestra ac malitias detexit, eaque ratione vos cum libris vestris confudit, ut non magis, quam Pater vester, diabolus in examine potueritis subsistere. Quid igitur jam prodest vobis tot tantaque mendacia effinxisse, descripsisse & publicè inter homines divulgasse? Nimirum, mundo universo risui estis, & ludibrio, nec quicquam magis in votis habetis, quam factum fieri posse infectum. Porro Deus etiam lucem, Solem ac Lunam & stellas, diem & noctem verbo suo creavit, & sua ipsius servitia imposuit, atque propterea etiam illa omnia secundum verbum illud munera sua obeunt. Vbi igitur natura vestra, quæ peragat ista? Nihil planè usquam est, præter unicum & solum Verbum Dei, quod ista omnia operetur. Orbem terrarum Deus Verbo suo condidit & firmavit; ille igitur etiam in verbo illo firmiter consistit: Vbi ergo natura vestra, quæ globum terrestrem in continua hac ejus & immota firmitate conservat? Fecit Deus, ut terra omnis generis plantas per semina earundem proferat, hoc omne fecit ille in Verbo Dei. Vbi igitur natura vestra Peripatetica, quæ producat ea? Condidit etiam Deus omnia animalia in terris, in aëre, in aqua, atque ad postremam etiam hominem ex terra fecit, atque verbo suo Sacrosancto benedictionem illis divinam impertivit, ut crescerent, multiplicarentur, & replerent terram. Hæc omnia quoque Verbum Dei efficaciter inde à mundo condito usque in præsentem horam in hominibus & animalibus quibuscunque est operatum; ita, ut omnigena animalia & homines nati fuerint, creverint & multiplicati repleverint terram: Hoc omne, inquam, operatum est huc usque Verbum Dei in animalibus & hominibus & etiamnum idem operatur. Vbi igitur natura Aristotelica? Proinde nemo non inde per solida veritatis fundamenta intelligit, quòd omnia per Verbum Dei creata sint, & per idem quoque verbum, in indito sibi primitus in creatione cursu dirigantur, gubernantur, moveantur ac ducantur: Prout etiam aër in verbo Dei natat, & per constitutos ad hoc Angelos Dei, ducitur, quò & quomodò Deus vult: Atque ita etiam ex mandato divino per Moysen difficiles tempestates movebantur & concitabantur in Ægypto secundum voluntatem divinam. Etenim Deus solus & præter eum nemo clavem tenet ac clavum tempestatum, omniumque aliarum rerum & operationum, quibus movet & impellit & horsum retrorsum, pro libitu ac placito suo, nec quisquam illi in eo ullum obstaculum, impedimentum aut remoram objicere potest, nullus

etiam

etiam adest illi coadjutor, nulla ibi natura valet, de qua delirantes illi seculares tam multa garriunt ac scribunt, quibus excæcare homines & pellicere eos ad mendaciorum suorum libros conantur, à quibus tamen cavere sibi debent & prospicere filij lucis. Vos inspectores legitimo ordine ac modo efficite, ut libri isti mendaciorum veteres ac recentiores ex scholis vestris tollantur & comburantur, in mandatis date Doctoribus vestris, ut de novo Biblia universa accuratissimo studio evoluant, & omnia, quæ de tempestatibus atque alijs huc usque commemoratis rebus eò pertinentibus in illis deprehenderint, diligentissimè cum omnibus circumstantijs inde accersant, in ordinem certum redigant, & verborum sacræ scripturæ convenientium ac aptorum, ornato ritu extendant, explicent, & sacris Textibus Biblicis confirment: Atque tum postea ea discipulis condecenter ac debitè proponant & inculcent. Quamvis enim hoc ipsum leve nonnullis videri possit, attamen est illa res ardua ac maximi momenti, & concernit etiam honorem Divinum, ut filij Dei verè & ex fundamentis sciant & intelligant tempestates, atque alias eò spectantes operationes, non motu proprio, aut casu fortuito, neque etiam tali modo inepto, qualem prædicti illi mendaciorum libri illis affingunt; sed ex providentia Divina & Thesaurorum arcis induci & provenire, ac desuper in hunc mundum inferiorem demitti, quò, si quando tempestates periculosæ suboriantur, invocare Deum possint, ut velit illud tempestatis periculum clementer avertere, & loco ejus pluviam benignam largiri, atque insimul etiam fructus terræ, unà cum hominibus & pecoribus ab omni malo defendere, tueri & conservare, ac ut præterea etiam circa hæc omnia considerent alia, quæcunque cedere possunt in honorem Dei.

Membrum quintum ex cap. 22. lib. 7. Tabulæ revelationis divinæ extractum: In quo Angelorum officia & actus describuntur.

PRimus inter Angelos est magnus ille spiritus, qui immensam & latissimè extensam aquam, quæ cœlum vocatur distinat atque in sua essentia conservat, omnibusque rebus crescentibus & viventibus mirificè motum tribuit: Secundo loco positi sunt Cherubin, qui custodiunt & observant arborem vitæ: Ita etiam prænuntiant nonnulli res futuras, & docent homines, alij occidunt & repellunt hostes, alij nivem, pluviam, fulgura & tonitrua dimittunt in terram, & sic in cæteris: Omnes tamen simul serviunt Deo, dum voluntatem ejus in rebus omnibus expediunt, in cœlis, in aëre, in terra: Atque adeò in omnibus omnino locis, & id quidem etiam varijs ac mirabilibus modis, ut ex scripturis elicere fas est.

x cap. 1. lib. . Revel. Mast. Div.

Porro sciendum est, quòd permotus aër omnia illa, quæ in officij sui executione præstat, perficit, quippe, qui per Angelos aëri præstitutos, in verbo Dei Spiritualiter, ordine, & efficaciter concitatur. Eodem quoque modo res omnes spirituales & corporales inter cœlum & terram atque adeò etiam in ipsa terra, per motum peraguntur: Verbum Dei movet Angelos & Spiritus movent aërem, aër movet aquas; aqua sua humiditate radicali res omnes visibiles in terra connectit, & omnigenos terræ fructus in verbo Dei protrudit. Homines & animalia omnia moventur per verbum Dei, ut pote, per quod acceperunt benedictionem, ita ut in motu illo generent, crescant & multiplicentur &c.

Vos Doctores Ethnici Christiani, parum vel omnino etiam non estis solicitide Sanctis Spiritibus & Angelis, aut, quid illi ex mandato seu verbo divino egerint omni tempore, atque etiamnum agant, sed contenti estis Ethnicis vestris Evangelistis, Prophetis ac Vatibus: Vnde non est mirum, si nescitis, an illi aliquid agant & quidnam operentur. Sed sciatis velim cum discipulis vestris, quòd Deus omni tempore inde à principio usque in præsentem horam fuerit per sanctos suos Angelos operatus, &c.

Ex cap. 17. lib. 7.

Membrum ultimum ex capite 48. lib. 7. & cap. 106. lib. 5. extractum, in quo asperitatem & duritiem ejus in loquendo ad Christianos Ethnicorum discipulos excusat, & optimum finem, ad quem omnes ejus sermones tendunt paucis explicare videtur.

DVrum & grane est hæc omnia præscribere, & forsan etiam tibi multò gravius est ea audire: ac dices haud dubiè, hæc nimis asperè ac duriter scribi & judicari: Scire autem te velim, quòd universum hoc opus neminem omnino judicet, sed indicet duntaxat, quid evenire possit illi, qui non Deo, sed Diabolo obsequitur, & à quibus rebus, & quomodò, & qua ratione cavere sibi debeant

Christiani, ne incidant in retia diaboli. De quibus omnibus etiam Evangelium, unà cum omnibus Epistolis Apostolicis enuntiat hæc verba: quòd adversarius vester diabolus circumeat tanquam leo rugiens, quærens, quem devoret. Finis autem, ad quem tendere debet quilibet Christianus est, ut quærat lucem omnimodè essentialem, at mundani, tenebrosi, & Ethnicæ doctrinæ sectatores non animadvertunt tantam lucem in primo hoc capite Geneseos accensam esse, ac prætereà etiam lucis istius splendorem non observant, atque inde præcæcitate sua neque Deum neque creaturas suas neque etiam seipsos vident: Idcirco voluit Deus, hanc illis declarationem ad agnoscendum lumen illud præscribi, quò intelligant, quid sibi velit hoc ejus Verbum FIAT LVX ET FACTA EST LVX. Quam laté sese hæc lux in loca omnia superiora, inferiora & collateralia extendat, omniaque penetret & illuminet, quo illa ipsa opera Dei, Filijs ejus obvia & in rebus omnibus perspicua & nota fiant & reddantur: sicuti etiam omnia verba hujus capitis primi Geneseos, eo modo sunt luce illa illustrata, ut ad splendorē eorum Deus una cum creaturis suis agnosci & apprehendi & in perfecta cognitione ac scientia retineri possit. Quid debuit Deus ultra facere, quàm ut eos in luce hujus luminis & scientiæ rerum omnium constitueret? Cum ipsi è diverso, omnibus viribus ex luce illa evadere enitantur & tenebris inhiēt, quibus jam tum sunt collo tenus immersi, indeque ad nullius & ne vel infimæ quidem etiam creaturæ divinæ cognitionem pertingere valeant, ut taceam interim, quòd etiam hoc Verbi Divini lumen in totum à se exturbaverint: Quando autem Deus ipsis & universo mundo lumen verbi sui Divini atque adeò etiam cognitionem omnium operum suorum prædicto modo accendit, & hanc insuper declarationem præscribit, monere eos hoc ipso vult, ut ex istis suis tenebris tantoperé sibi desideratis, tandem aliquando ad ejus lucem emergant, eâque illuminentur & veram rerum omnium cognitionem adipiscantur, atque unicē illa ad ejus laudem ac honorem & ad ipsorum salutem ac proximi utilitatem piè utantur.

Hæc ille: atque permulta ubique sparsim alia adversus artium hujus seculi incongruentiam, defectum & contaminationem, atque etiam Philosophiæ & Scientiæ Ethnicorum insufficientiam, quæ omnia hoc in loco describere nimis foret longum, & lectori fortasse tædiosum. Sufficit, ut per ista quilibet sagax & mentis compos videre queat, artes & Philosophiam Ethnicorum esse veritati seu sapientiæ sanctæ (quæ est veræ Philosophiæ fundamentum) adeò oppositas & ad invicem contradictorias, ac sunt Lux & Tenebræ, Bonum & Malum, ac denique Deus & diabolus.

FINIS.

PHI-

PHILOSOPHIÆ MOYSAICÆ

SECTIO SECVNDA

IN QVA

Fundamenta radicalia tam Sympathiæ ſive

attractionis naturalis, aut coitionis concupiſcibilis, & conſequenter omnis Magneticæ Curationis, quàm Antipathiæ ſive odibilis expulſionis, atque adeò cujuſlibet morbi & infirmitatis in, fallibilibus naturæ rationibus probantur, Philoſophorum ac Cabaliſtarum Sapientiſſimorum aſſertionibus ſuſtinentur, inviolabili Scripturarum ſacrarum Teſtimonio confirmantur, ac tandem varijs experientijs ocularibus demonſtrantur.

Gemina fecit Deus omnia, quorum alterum eſt contrarium alteri, nec quicquam factum eſt, quod mancum eſt. Eccleſiaſtici cap.42.verſ.25.



Ego Dominus & non eſt alter formans Lucem, creans tenebras, faciens bonum & creans malum: Ego Dominus faciens hæc omnia. Iſai. 45. 67.

SECTIONIS SECVNDÆ CONTENTA.

Sectio hæc secunda in tres partitur libros, quorum.

- Primo.
  - Mystica Divinitatis entitas capite 1. & 2.
  - Æterna actus lucidi potentiæque divinæ progenies cap. 3.
  - Abstrusa & radicalis Animæ mundanæ, atque omnium Animarum particularium origo: cap. 4. & 5.

  } Enucleatur.
- Secundus in duo membra distinguitur, atque istorum.
  - Primum.
    - Primaria Sympathiæ & Antipathiæ Principia docet. capite. 1.
    - Quomodo & quibus vehiculis actus contrarij a superioribus ad inferiora descendant. cap. 2. & tertio & 4. ostendit.
    - Actiones in anima seu Spiritu explicat, quæ Sympathiam & Antipathiam producunt: cap. 5.
  - Secundum
    - Lapidis magnetici mysterium aperit: cap. 1. & 2.
    - Hominis natura in regno Animali, cum illa magnetis in minerali comparat, & in quibus conveniunt quibusve dissentiunt explicat: capite. 3. 4 & 5.
    - Diabolum nihil certi seu Veritatis per se, hoc est sine creaturis Dei præstare posse, sed more tantum præstigioso agere demonstrat. cap. 6.
- Tertius etiam in duo dividitur membra quorum.
  - Prius.
    - Virtutes magnetis Animalis, cum illis magnetis mineralis confert. cap. 1.
    - Quatuor in Homine mumias describit, earumque operationes more magnetico variformiter demonstrat cap. 2.
    - Actiones Sympatheticas quæ inter res a Deo creatas fiunt post mutuum contactum ad distans, enucleat cap. 3. & 4.
    - Arguit, ipsa Vegetabilia, Spiritus magneticos æquè bene in se continere, ac animalia & mineralia: cap. 5.
    - Curationem magneticam probat Argumemtis fide dignis, esse naturalem & non Cacomagicam. cap. 6.
    - Mysterium curationis per transplantationem detegit cap. 7.
    - Secretum in microcosmo magnetē, modumque extrahendi illum docet: cap. 8.
  - Posterius.
    - Effectus tam Antipathiæ quam Sympathiæ vni eidemque Spiritui inesse posse demonstrat cap. 1.
    - Quod sit licitum & admodum necessarium vt mysterium tam Antipathiæ quam Sympathiæ (intelligatur a quolibet medico perito, quo melius malo cacomagico præveniat, cap: 2.
    - Quomodo Sympathia in Antipathiā possit alterari, docet. cap. 3.

LECTO-

TE scire velim (lector doctrinâ & pietate ornate) quòd, ut præcipua sectionis Tractatus hujusce Philosophici prioris intentio sit, creatorem in creaturis idque mente elevata contemplari, ita quidem sectio hæc posterior circa admirabilem & arcanam Sympathiæ & Antipathiæ tam speculationem, quàm praxin versatur: Quas duas in mundo tam cœlesti, quàm sublunari proprietates oppositissimas, Majestas divina pro suo placito vel ad creaturas amore & concordia conjungendas atque conciliandas, vel ad invicem odio ac livore prosequendas exercet. Observa ideó & enuclea cum diligentia, si placet, abstrusam hujus sectionis secundæ medullam; mysterium profectò omnium profundissimum & intellectu atque observatu difficillimum, ac proinde inquisitione perpensa dignissimum. Principia illa tria Moysaica iterum pro perspicujori arcani tam profundi enucleatione, hoc in loco remetire, ijsque medullam adhuc magis vivam ac essentialem ut addam, me urget necessitas ipsius rei, suadetque animi mei ad tuum intellectum elucidandum cupido: vale.

LIBER PRIMVS SECTIONIS SECVNDÆ de Sympathia & Antipathia.

Libri hujus primi Argumentum.

POstquam hujus tractatus Author, inquisitione diligenti præeunte, intellexisset, omnẽ Sympathiam & Antipathiã immediatè à quibusdam differentibus animæ seu Spiritus vivificantis passionibus fuisse ortas; quarum una est concupiscibilis; altera vero Irascibilis, & tamen eas ab effectu creaturis tam animalibus & vegetabilibus, quam mineralibus inesse percepisset, ad causam ejusdem rei radicalem inveniendam atque dignoscendam desiderio haud minimo incendebatur. Cùm autem secum iterum iterumque reputasset, æternam virtutem (quæ est caput & radix omnium) esse simplicem & absolutam naturam in se, nullam talem in ipsius essentia diversitatem decernere potuit, quatenus ipsa non nisi unica eademque Identitas in se ipsa æternum existit: Nam juxta sacræ Scripturæ intentionem, sicut tenebræ ejus ita & lux
Gl.138.11. ejus. Vnde colligebat, quod binus æqualis effectus, quorum unus est alteri conditione seu dispositione contrarius, debeat necessario à duobus diversis in eadem essentia integra proprietatibus emanare, videlicet ab ejus Noluntate & Voluntate, quarum una per tenebras, altera per lucem exprimitur: Nam, quando mens æterna & lux infinita (in qua revera non sunt tenebræ ullæ) non vult, tunc se à creatione distrahit & in se ipsa reservat, hoc est, reflectit ardorem suum in se ipso, atque ita nihil sua præsentia lucida aut creat aut informat, sed universam abyssum (quæ in hoc statu in divina potentia dicitur existere) tenebris undique obrutam, informem & splendore vivifico destitutam reliquit. Atque hæc sua negativa seu contractiva actio est perfectus suæ noluntatis Character, cujus effectus generales sunt Tenebræ & privatio: Sed, cùm è regione, abstrusa illa unitas, benignum & salutarem suæ essentiæ (quæ est voluntatis suæ expressio) radium & splendorem in Chaos seu abyssum deformem emittit, tunc tenebræ & privatio luci & positioni, ut pote vitæ atque formalis existentiæ actui locum cedere cogantur. Per istiusmodi ergo suæ contemplationis objectum percipiebat, quod actus ille tam voluntatis, quàm noluntatis in unica unitate essentiali continebantur, quæ in se & per se est tota bonitas, & consequenter, quod noluntas in ea sit nihil aliud, quam ejus voluntas: Nam, quatenus ipsa est unum & omnia, ita quidem ejus voluntas & noluntas non est, nisi unica Identitas in ea & tamen omnia &
Dan.4. per omnia: Nã, mediante ea, operatur, quicquid vult more tã privativo,

quàm positivo , cùm in cœli virtutibus , tum in habitatoribus terræ: Quare sequitur, quod tenebræ & lux sunt unum & idem in unitate ista Archetypica: Quoniam omne in ipsa est bonum , quatenus ipsa in se est sola & absoluta bonitas : Ad effectivam & informantem lucis emanationē quod spectat, ipsæ profectò apparent creaturis tales, & varias imò verò infinitas huic mundo contrarietates, producere videntur, quæ à mortalibus secundum effectus, quos ex ijs comperiunt, aut bonæ aut malæ æstimātur: Vt cunque Authori videtur evidēs, quod istæ duæ effluxiones seu extensiones contrariæ in effectu ab una eadēque æternitate essentiali procedentes, fuissent rerum omniam principia, quatenus Chaos obscurum à suis visceribus aquas præsentia lucis edebat, quæ erant unica illa materia , à qua cœli & terra, ac consequenter integer mundus erant facta : Nam vivifica æternæ lucis emanatio eis formam, figuram virtutem & motionem impertivit : Hisce ergo ab Authore serio consideratis ratio ipsius protinus eum informavit, mundum fuisse ex materia seu subjecto dispositioni contrario compactum atque fabricatum: Non est enim possibile, ut parentes naturâ ab invicem dissentientes , proles sibi conditione & natu â consentientes & concordantes pariant: & tamen hujusmodi erat Creatoris voluntas , quod istæ duæ proprietates , quasi toni dissonantes , in unisoni sive unitatis unionem quasi ad suam ipsius imaginem per inviolabile Spiritus æterni amoris & concordiæ vinculum colligari deberent , ut exinde materia, quæ est aquarum tenebrosarum substantia , loco fœminæ , formali & masculinæ emanationi, sive Spiritui illuminanti ab unitate emisso , inserviret: Quo tandem Triunum Typicum , ex dualitate sive unitatum confusione ad imaginem Archetypi statueretur, qui meiè Spiritualis existens, fuit vita æterna illa radicalis & mundi essentia , quæ erat sine principio: Atque ob istam rationem necesse est, ut mundus, quippe ad imaginem Archetypi creatus ; animâ Catholicâ fruatur , qua mediante agere & vivere potest ad exemplar ipsius , à quo tum forma tum materia ejus derivantur, & per consequens opus est , ut binis Prædictis proprietatibus, nimirum illa Voluntatis & Noluntatis induatur: Hinc ergo animadvertit author, quod, cùm internus , Tum externus Typus , seu mundus Typicus debeat necessario contrarijs passionibus atque alterationibus subijci , quæ à binis illis in unitate Archetypica proprietatibus oriuntur : Nimirum , quandoque anima ejus est apta ad dispositionem tenebrosam & privativam , sequendo in ista sua proprietate naturam aquarum , quæ sunt Tenebrosæ Abyssi. sive chaos informis soboles, in quam potentia divina habet Dominium : Atque hoc statu videtur induere Noluntatis in unitate Characterem , & quandoque ipsa affectat & imitatur actionem & proprietatem lucis quæ ab æterno unitatis fonte emanat: Atque in hoc statu videtur manifestè agere, informare & quasi velle, seu positivàm & lucidam induere naturam , & per consequens sigillo seu impressione voluntatis in unitate obsignari. Atque hic est efficax ille voluntatis sacræ effectus: Nam , videbatur Authori , quod , quatenus totus mundus esset ex duabus proprietatibus contrarijs conflatus , nimirum ex luce formali & materia humida obscura , debet consequenter sequi, quod Catholica in mundo anima, seu Spiritus ejusdem , generaliter vivificans , & per consequens quælibet particularis existentia formalis; quæ ab anima Catholica derivatur non aliter , quàm radij infiniti ab unico sole , passionibus & alterationibus conditione oppositis sit obnoxia seu subjecta. Hinc ergo oritur illa assidua amicitia & inimicitia , quæ observatur esse inter bonos Angelos & Spiritus malos. Hinc quotidianæ illæ mutationes & variationes , tam amabiles , quàm odibiles , quæ rarione varietatis influentiarum vel convenientium vel ab invicem discordantium tam

in cœlo

in cœlo æthereo, quàm elementari eveniunt, Hinc effectus illi contrarij procedunt, qui à ventis tum loco tum conditione oppositis vel natura convenientibus in Elementum Sublunare Catholicum expirantur: Vnde tam concordia, quàm discordia cum diversitate multiformi meteororum in eo producuntur. Hinc est affectionum multiplicitas, dispositionum oppositio, Spirituum passiones, &, ut verbo dicam, sympathia & Antipathia illa, quæ observatur esse inter creaturas tam simplices, quàm compositas sive sint animales, vegetabiles aut minerales, Concludit igitur Author hisce fundamentis statuminatus, quod sit æquum & justum hisce duorum excellentissimorum Philosophorum Heracliti & Empedoclis de hac re opinionibus astipulari, quarum una est, quod omnia fiant per litem & inimicitiam, hoc est ex Inimicitia & Amicitia: Altera, quod ex quatuor Elementis & ex amicitia & lite composita sit anima. Hinc inde arguens contrariam illam dispositionem, quæ est inter Spiritum aqueum seu naturam humidam mundi, & clarum mentis lucidæ radium, respectu eorum originis: Nam, per litem intelligit tam contentionem Spiritualem, quàm corporalem, respectu scilicet illius potentiæ sive fortitudinis contrariæ: quæ est inter formalem & omnia informantem lucem & Tenebrosam materiam, tam ratione corporis in actione corruptionis, quando anima parata est ab eo discedere, quàm in Antipathetica seu irascibili passione respectu animæ, in qua Spititus laborat & præter naturaliter patitur. Atque hæ prædictorum Philosophorum opiniones non videntur à sensu sapientis discrepare, qui dicit, quòd Deus gemina fecerit omnia, quorum alterum est contrarium alteri, nec quicquam factum est, quod mancum est.

Eccles. 42.25.

CAPVT. I.

In hoc capite demonstratur, quòd Deus sit pura, simplicissima & Catholica illa unitas, quæ numerum & multitudinem omnem in se comprehendit.

VT nemo est, ut cunque Mathematicæ perfectionis sphera exaltatus, aut profundè in mysticis Arithmeticæ abstrusæ visceribus immersus, qui agili maturioris sui intellectus intuitu, rem aliquam observare aut discernere potest, quæ sibi vel ordine vel antiquitate locum ante unitatem meritò vendicare queat, (unde unitas à Philosophorum sapientissimis agnoscitur esse principium & radix omnium numerorum & multitudinis) ita quidem quilibet sibi constans negare non potest, quin, quòd radicalis ista identitas, ut in pura & simplici sua natura consideratur, ab ulla dimensione quantitativa limitari, aut in numero aliquo includi sive comprehendi, aut in portiones distinctas dividi, aut substantiâ aliquâ seu Entitate definiri ne queat. Atque hinc à sapientibus concluditur, quòd unitas sit antiquissimum & maximè radicale rerum omnium principium, ut pote, quæ comprehendit in se omnes substantias, quantitates & qualitates, non aliter, quàm punctus in Geometria, in nuda & simplici sua essentia consideratus, observatur esse indivisibilis, quippe, quid vix perceptibile & quasi nihil determinabile: Et tamen punctus agnoscitur à Mathematicis esse radix infallibilis, non modò lineæ cujuslibet Geometricæ, verùm etiam omnium aliarum continuatarum in Matheſi & Physica dimensionum, quatenus ipse omnes in se comprehendit magnitudines & à nullo comprehenditur.

Ita duo dimensionum quarumcunque Principia, quatenus ordine & tempore omnia alia in rerum natura præcedebant & excellebant, Mathematici experti invenerunt, ad imitationem Typicam sive imaginem interniſſimi, centraliſſimi & abſtruſiſſimi in divinitate puncti, sive unitatis splendidiſſimæ in eodem statu manentis, quo ante mundi creationem extitit, nimirum, quando se ipsam in se occultam & secretam, hoc est ab omni creationis actu reservavit: Ita, ut in ista hujusce existentiæ unitatis conditione, nec pro Deo haberi potuerit, quatenus ipsa ad huc nullam creatione produxit creaturam, à qua pro Deo coleretur, nec pro Patre ritè haberi potuit, quoniam nullum ad huc filium sive Archetypum sive Typicum genuisse apparebat, nec pro summo bono æstimari videbatur, quatenus abyssus tenebris ad huc obruta, seu hyle deformata, de lucidâ & vivificâ ipsius bonitate nondum participaret: Nam,

adhuc vacua erat & inanis: neque dicenda erat pulchra & formosa, quia pulchritudinis suæ radios nondum cum creatura communicaverat: Nec directé æternitas vocari debebat, quoniam in isto suo statu absconditò, humanæ capacitati comparebat non omnino existere; imò verò pro nihilo æstimari & per consequens nullum habere aut cum æternitate, aut ævialitate, aut temporalitate, commercium. Porro etiam nomen Principij in tali conditione sibi vendicare non potuit, quoniam nullum adhuc ad rem aliquam creandam habuit relationem, adeò erat occultata & obscurata à mortalium apprehensione & in ipsius ordine & antiquitate adeò incognita, atque etiam tam inscrutabilis & incomprehensibilis in sua essentia, ut nullo modo aut pro substantia aut quantitate aut qualitate concludi potuisset, sed potius pro quodam Ente Transcendente, in se ipso solummodò reservato atque consistente; nullum habens principium seu radicem, à qua extraheretur: in cujus nihilominus divina potentia, quasi in loco continente sine fine & termino omnia, quæ jam explicitè apparent, complicitè continebantur: tametsi exilis mortalium capacitatis respectu, pro Nihilo æstimabantur. Atque ob istam rationem, nonnulli in veræ sapientiæ legibus versati, monumentis eorum æternis, reliquerunt, quòd Mystica hæc unitas, cum esset. Tenebrosæ abyssi nebulis involuta & quasi vacua atque otiosa maneret, pro ין אַיִן nihilo habebatur. Non ens non finis. Quoniam tenuitas & paupertas capacitatis ingenij humani in rerum divinarum consideratione est talis, ut soleat ea imaginari & judicare non omnino esse, quæ non apparent oculis: Propter hanc causam turbæ Cabalisticæ præstantiores, istam radicalem unitatem in sua abstrusa & occulta conditione Aleph Tenebrosum dictitarunt, quæ litera Hebraica recipitur inter Iudæorum Doctores vel Rabinos, pro figura unitatis in Arithmetica, & per consequens intelligitur Hieroglyphicé pro Deo, in absoluta sua natura Monadica, quatenus nimirum in se sola videtur esse sine ullo emanationis signo contracta: In quo quidem statu Mercurius Trismegistus ipsam in verbis his describit: Monas (ait) ante mundi exordium sibi ipsi & non alijs reluxit: Et alibi planiùs: Erat umbra infinita in Abyssi aqua insuper, & spiritus tenuis intellectualis per divinam potentiam in Chaos inerat. Et Moyses: Tenebræ fuerunt super faciem Abyssi. Quibus sapientes licet de longè discernere queant, quid esset potentia divina, priusquam creatura ulla é tenebroso Chao explicitè apparebat, atque etiam de facili concipere possunt, quod nam esset radicale tenebrarum principium, videlicet radiorum actualium lucis æternæ in lucida ista unitate, in qua non sunt tenebræ ullæ, retentio sive occultatio: ita, ut Tenebræ Originales pro Nihilo alio haberi queant, quam meræ lucidæ à radicali unitate emanationis absentia, quæ est omnis actionis fons & origo, neque etiam potest lux illa vivificationis divina adesse vel emanare, ubi voluntas illius simplicis & absolutæ in unitate absentiæ est negativa: Hinc ergo ex necessitate sequitur, quòd tenebræ essent super faciem abyssi, & quòd terra esset vacua & inanis seu informis, antequam essentia divina emicabat & ferebatur super aquas: &, quod tenebræ essent factæ otij atque quietis Tabernaculum: quoniam, ubi actus divinus, seu sacra emanatio abest, vel saltem agere & radios suos emittere non vult, omnia dicuntur in potentia manere, & consequenter sine actuali virtute, hoc est, quasi mortua & immobilia existere: &, quòd durante potentiæ privativæ dominio proprietas frigoris & stupiditatis sit in vigore, quoniam calor à motu generatur, & motus est quid à luce inseparabile: & lux ista radicem suam habet in unitate lucida, quæ ob hanc rationem luminis Pater dictitatur. Quare sequitur, quòd divina ista essentia in hoc statu contrahit & retinet seipsam in se: & tunc Chaos obscurum in divina potentia reservatum, debet motu & calore privari: & quòd sit ad densitatem & inspissationem ratione dominij frigoris inclinatum: Et quòd sit privationis fundamentum & consequenter vitæ & creaturarum essentiæ inimica, quatenus natura ejus actui, motui, & calori, qui sunt divinæ emanationis ministri est opposita, & per consequens est mortis, corruptionis & deformitatis origo.

Reuclin. lib. 3. de Re. Cabal.

Imand. 12.
Imand. 3.

Gen. 1.

Concludimus igitur, quòd, ut lux sit vitæ, positionis, motionis & voluntatis divinæ in sua revelata natura initium, sic etiam tenebræ primordiales sunt caput & scaturigo mortis, inanitatis, privationis, quietis ac denique noluntatis divinæ essentiæ: Atque hinc testantur scripturæ sacræ, quòd quando Deo salutares sui vultus radios creaturis emittere placet, ipsæ recreantur bono & vita: at quando in parte abscondit faciem suam lucidam, tunc ægrotant & conturbantur, sed si totaliter auferat vitæ aspectum, immediatè expirant & moriuntur. Hinc etiam Moyses: Deus malos relinquit & abscondit faciem suam ab ijs, ut obveniant ijs mala multa. Et David alibi: quousque abscondis vultum tuum à me? exhilara me vultu tuo, visitatio tua conservat spiritum meum. Quibus patet, quòd essentia hæc divina actionem suæ noluntatis & voluntatis tam post ejus mundi creationē, quàm ante illam observet: in quorū priori detinere solet vitam à creatura mediante privationis actu, in posteriori impertit ei vitam, eamque præservat: Nam per proprietatem suam rarefactivam creavit atque vivificavit mundum & omnia, quæ in mundo sunt.

Psal. 10. 29. Deute. 1.

Psal. 1.

CAPVT. II.

CAPVT. II.

In quo probatur, quòd omnia fuerunt complicitè & Idealiter in Deo & ex Deo, priusquam explicitè aliquid compareret aut factum esset.

STatum & exiſtendi modum unitatis æternæ, priuſquam aliquid erat creatũ, ſecundum exiguam Ingenij mei validitatem; ſimul atque effectus, quos in potentiali ſeu informi rerum omnium ſubjecto produxit, ſatis manifeſtè in præcedentibus explicavi: atque etiam ibidem expreſſi, quòd omnia in eo ſtatu eſſent complicitè & occultè in omnipotente & incomprehenſibili divinæ perfectionis puncto comprehenſa, in qua eorum conditione manebant & exiſtebant quaſi Nihil, quoad nos: quatenus nulla forma (cujus eſt aſſignare rebus nomen & eſſe) erat induta, atque ideò in ſtatu informis virtutis hujus, reſpectu noſtrum, exiſtentiæ, ſapientes ipſam vocaverunt potentiam Divinam: Sed, ut hoc totum, Authoritate ſacra clarius confirmare queamus: Apoſtolus ait: Ex ipſo, per ipſum & in ipſo ſunt omnia. Et alibi: Omnia ſunt ex Deo. Et alibi: Vnus Pater omnium, qui ſuper omnes, & per omnia & in omnibus nobis. Atque iterum: Omnia per ipſum & in ipſo creata ſunt, & ipſe eſt ante omnes & omnia in ipſo conſtant. Et alibi: ipſe eſt omnia in omnibus. Et Syriachus: diximus multa, nec tamen aſſecuti ſumus: ſumma dictorum eſt, ipſum eſſe omnia. Hiſce ſacris Poëtæ videntur convenire dicentes: Iupiter eſt, quodcunque vides, quocunque moveris. Et: omnia Iovis plena &c: Quibus facillimè eſt colligendum, quòd Deus genuerit, produxerit, fecerit & creaverit nihil, quod non eſſet æternaliter ex ſeipſo & in ſeipſo, ita, ut ab ipſo omnia emanarint & proceſſerint, nimirum ex abſcondito in manifeſtum, ex incognito in cognitum ex Simplicitate pura & Archetypica in ſimilitudinem Typicam, ex fonte in mare, & ex puncto in circulum: illud ſagacis Philoſophi verificando: Deus eſt omnium centrum, cujus circumferentia eſt nullibi: vel, ut alij volunt, ipſe eſt centrum & circumferentia: Hinc ergo mihi liceat inferre, quòd omne genitum, principiatũ, creatum, productum, ſeparatum venit ab ingenito infinito, incipiente, improducto, in ſeparato, uno: Omne inferius ex ſuperiori, omne corporale ex ſpirituali, omne viſibile ex inviſibili, omne tẽporale ex ævo, omne æviale ex æterno. Hinc ſicut Deus dicitur, quòd ex ipſo & per ipſum & in ipſo ſunt omnia, ita etiam dicitur, quòd ipſe ſuper omnia & per omnia & in omnibus: Sequitur ergo conſideratio per egreſſum & deſcenſum univerſi, vel quaſi per progreſſum à centro verſus circumferentiam. In Deo omnia erant, nihil niſi meré Deus, ex Deo omnia veniebant in principiũ, & tum omnia erant nil niſi meré principium, manente tamen Deo in ſe ipſo. Ex principio omnia procedebant in Verbũ, & tum omnia nihil erant, niſi mere Verbũ, manente tamen principio. Ex verbo omnia procedebant in Spiritum Domini, & tum nihil erant, niſi merè Spiritus Domini, manente tamẽ Verbo. Ex Spiritu Domini omnia procedebant in aquas ſcilicet ſuperiores & tum omnia nihil erãt, niſi merè aquæ, manente tamen Spiritu Domini. Ex aquis ſuperioribus omnia deſcenderunt in aquas inferiores, & tum omnia nihil erant, niſi meré aquæ inferiores, manentibus tamen ſuperioribus: Ex aquis inferioribus, quaſi Elemento Catholico quadriformiter alterato & aſtris inviſibilibus omnia procedunt in corpora viſibilia & tunc omnia nihil ſunt, niſi meré corpora viſibilia, manẽtibus tamẽ Elementis & aſtris inviſibilibus. Tandem explicatis atque abſolutis hiſce omnibus totum univerſum in quintum eſſe, hoc eſt, in hominem eſt contractũ. ubi omnia nihil aliud ſunt, niſi merè homo, ſalvo tamẽ & integro manente Vniverſo: ſic poſtremus omnium exiſtit homo, qui habet & gerit in ſe omnia, & eſt omnia, quippe, qui eſſentialiter eſt imago ejus, qui erat prior omnibus, qui eſt benedictus Deus, qui erat omnia, qui fudit omnia, & qui in hominem concludit omnia. Quod quidem totum teſtimonio ſancto & Cabaliſtarũ aſſertionibus confirmare poſſumus: Nã in ſcripturis habemus, quòd Deus omnium fons creaverit tenebras, & quòd hæc tenebroſa abyſſus eſſet principiũ informe, quod complicitè comprehẽdebat in ſe omnia: & quòd Verbũ illud, eſſet in principio, atque iterum, quòd Verbum hoc é tenebris egreſſũ eſſet: Et, quod Spiritus Domini ferebatur ſuper aquas, quæ apparebãt ex Tenebroſæ abyſſi viſceribus. Et quòd omnia in principio eſſent aquæ, luminoſo tamẽ ſpiritus vigore non extincto: Et, quòd hæ aquæ eſſent in ſuperiores & inferiores diviſæ, ſed prima creationis vis in illis ſuperioribus patebat, cùm cœlum Empyreum eſſet ante Elementũ ſublunare creatũ: Tunc ex aquarum ſuperiorũ cum ſpiritu lucido, quo cœli erant ornati, aquæ inferiores eſſent formatæ & ordinatæ: Nam inferiora reguntur à ſuperioribus. Denique omnia compoſita ex aquis inferioribus mediantibus aſtris inviſibilibus ab aquis ſuperioribus emiſſis creata ſunt, ac tandẽ omnium perfectio Adam ad imaginẽ Dei eſt factus compendium totius mundi in ſe habens, Hermes hæc: Pimander mens divinæ potentiæ mutavit formam & univerſa ſubitò revelavit: Cernebam enim

m.11.36.
Cor.11.12.
heſ.4.6.
loſſ.1.14.
loſſ.3.11.
ieſſ.

Iſai.45.7.
Sap.11.18.
Ieh.1.
Gen.1.

Aſclep.

omnia in lumen conversa suave nimiùm atque jucundum, quod intuentem me mirificé oblectabat: Paulo post umbra quædam horrenda, obliqua revolutione subter labebatur, in humidamque naturam migrabat, ineffabili tum vultu exagitatam, unde fumus magnus in sonitum erumpebat. Et sonitu vox egrediebatur, quam ego luminis vocem existimabam, ex luminis voce Verbum factum prodijt: verùm hoc naturæ humidæ astans, eam fovebat; ex humidæ autem naturæ visceribus syncerus ac levis ignis protinus evolans, alta petit, aër quoque levis spiritu parens mediam regionem inter ignem & aquam sortiebatur, terra verò & aqua sic invicem commixta jacebant, ut terræ facies aquâ obruta nusquam pateret. Terra postmodum animantia, quæ intus habuerat, peperit: At Pater omnium intellectus, vita & fulgor existens, hominem sibi similem procreavit &c: Quibus arguit, quòd Deus seu mens divina in unitate sua simplici esset potentia divina, & sic in Deo omnia erant nil nisi veré Deus. Tunc mutavit se in principium Tenebrosum, & tunc omnia nihil aliud erant, quam principium Tenebrosum, quippe cui omnia inerant cõplicité, manente tamen Deo, tunc emanatio lucida est facta, qua, fugatis tenebris ex principio Verbum factum est, & tunc omnia nihil erant nisi Verbum, manente tamẽ principio. Ex verbo omnia procedebant in Spiritum Domini, & tunc erant nihil nisi merus Spiritus Domini & sic in cæteris. Porro etiã scriptum est in libro Bahir: Nihil est principium, nisi sapientia, hæc cùm sit in abysso tenebrarum retracta & immanens quasi otiosa, vel (ut ajunt) ad nihil respiciens, idcirco dicitur Ain. Nihil. Non ens & non finis, quia nos tam tenui erga res divinas ingenij paupertate mulctati, de ijs, quæ non apparent haud secus atque de ijs, quæ non sunt, judicamus: At, ubi se ostenderit, quòd sit aliquid & revera subsistat, tunc Aleph tenebrosum in Aleph lucidum convertitur: sive Aleph magnum, quando exire cupit & apparere omnium rerum causa, per Beth proximè sequentem literam & nominatur בַּא Ab. id est, Pater omnis generationis & productionis, facit enim res omnes. Hæc ille: Vnde liquet, quòd illa digressio fit consensu tam scripturæ sacræ, quàm Philosophi & Cabalistæ sapientissimorum. Si autem more retrogrado, à circumferentia rerum in centrale earum punctum quasi à terra in summum cœlum ascendere velimus, cum homine incipiendum putamus, utpote qui erat ultimus atque infimus scalæ superioris gradus, per quam à cœlo in terram demonstratione à priori, & quasi ab Alpha ad Omega descendimus: atque ita demonstratione quasi à posteriori & quasi ab Omega ad Alpha procedemus in hunc modum: Eva, Mater omnium viventium non ex absolutè nihilo facta est, sed essentialiter ex Adamo, qui dicit: hoc os ex ossibus meis, & caro ex carne mea: & antequam Eva extraheretur ex Adamo, tunc quidem in Adamo nihil erat, nisi ipsissimus Adam, qui erat microcosmus & complicatio totius universi. Adam microcosmus non ex nihilo factus est, id est, non ex seipso, nec per se ipsum, sed ex Macrocosmo, mundo majori: & antequam extraheretur inque proprium esse veniret, tum ipse in macrocosmo nihil aliud erat, quam ipsissimus macrocosmus seu mundus major. Macrocosmus non ex mere & absolute Nihilo est factus, sed ex aquis superioribus, hoc est ex mundo Angelico extitit, & antequam hoc fieret, mundus major in superioribus aquis nihil aliud erat, nisi ipsissimæ aquæ superiores, vel ipsissimus mundus Angelicus. Mundus Angelicus seu aquæ superiores non ex nihilo extiterunt, sed ex spiritu Domini, qui eas ex se ipso effudit & super eas ferebatur, & antequam hæc effusio fieret, omnes aquæ superiores vel Angelicæ substantiæ in Spiritu Domini nihil aliud erant, nisi ipsissimus spiritus Domini, sine omni distinctione aut multitudine: Spiritus Domini non ex nihilo venit, sed ex ipsissimo verbo ex ore primogeniti prolato, &, antequam Spiritus Domini distingueretur seu procederet ex verbo in proprium esse seu personam, tum ipse in filio & cum filio nihil aliud erat, nisi filius sine ulla distinctione aut multitudine. Verbum sive Filius non ex Nihilo venit, hoc est, non ex seipso, sed ex principio juxta illud: Verbum erat in Principio: Et antequam hoc verbum ex principio in propriam personam nasceretur, tunc ipsum verbũ in principio nihil aliud erat, nisi principiũ, in & cum principio essentialiter unũ, sine distinctione aut multitudine. Principiũ verò, in quo erat Verbum non ex nihilo, neque ex seipso ortum est, sed ex Deo: Ex ore enim Altissimi prodijt, & antequam prodiret, tum principiũ in Deo nihil aliud erat, quam ipsissimus Deus essentialiter, æternaliter & simplicissimé unum & idem sine distinctione. Sic Deus, omnium unitas, omnia ab æterno in se habuit, & ipse, ut est in se unum, ita etiam fuit omnia, ita tamẽ, ut ipsemet in se manserit absque mutatione aut diminutione sui ipsius. Atque ita omnia ab initio produxit & quodlibet in proprio esse distinxit ipse, nihil negotij habens cum Negativo ullo Nihilo, cujus supra mentionem fecimus, cùm ipse in se sit unum, seu unitas illa æterna, omnia complicité in se comprehendens, & per consequens est fons & origo, à qua omnia tam ævialia & temporalia procedunt & in sua essentia consistunt: Non aliter, quàm omnes numeri Arithmeticæ procedunt seu emanant ab unitate & in unitate comprehẽduntur: Nam, utcunque largè se extendit numerus, semper habet unitatem ad ipsum incipiendum, atque ad ipsum pariter concludendum, & rei veritate nihil præter unitatẽ

habet

habet ad partes ipsius interiores constituendas. Sed pro meliori vestra instructione per diligentem in numeros Cossicos inspectionem observare possitis, quomodo Divina & centralis atque essentialis hæc unitas omnes creaturas tam ante, quàm post earum creationem in se ipsa comprehendat: Nam scire debemus, quòd sit nihil in hoc mundo, quod non est aut radix, aut quadratum, aut Cubus, aut aliqua alia figura existis composita: Radix repræsentat principium omnium proportionum sive magnitudinum Cossicarum, quadratum designat figuram simplicem & Spiritualiter Principiatam, quæ creatur seu efficitur ex Radicis multiplicatione; Cubus autem ex quadrati seu figuræ principiatæ augmentatione in sua radice conflatur: Vnde videre licet quòd integrum corpus cubicum & consequenter ipsum quadratum in radice contineatur, & in conclusione est nihil aliud, quàm ipsa radix in se & à se ipsa multiplicata: Sed, ut ista mea demonstratio propius adhuc ad intellectus vestri intuitum accedat, suadeo, naturam & proprietatem divinæ istius Monadis seu unitatis accuratiori paulò diligentia consideretis, nimirum, ut ipsa, in simplici & syncera sua existentia se habet, tunc ipsam in mundo typico sine ulla à punctuali seu centrali sua profunditate egressu, tres prædictas dimensiones cossicas in se complicitè, & consequenter omnes alias res, quas jam per creationē explicitè produxit continere deprehenderis. Atque hoc lucide per istā Arithmeticam demonstrationē probatur: Nam si unitatem in se ipsa & per se ipsam, tanquam radicem explicaverimus, nihil præter se ipsam pro quadrato producet, quod iterum in se ipsa, multiplicando solummodò se ipsam, loco cubi proferet, nimirum meram unitatem, ita ut radicem, quadratum, & cubum nihil nisi unum & idem invenietis: Vnde evidens est, quòd tametsi habeamus hic tres unius puncti ramos, qui videntur in formali sua progressione differre (intelligo radicem, quadratum & cubum) tamen in veritate essentiali, non est, nisi ista realis & radicalis unitas sive identitas, in qua res omnes manent potentialiter seu complicitè, idque more abstrusissimo: Et, ob hanc rationem sapiens ait: Deo omnia sunt cognita, antequam crearentur. Et Esdras: Dei potentia ante omnia creata finis & initium omnium est. Et Hermes. Ex uno principio cuncta dependent, principium ex uno solo, & principium movetur, ut rursus extet principium, ipsum tamen unum præstat, nec recedit ab unitate: Hoc idem etiam intimare videntur ista Salvatoris verba: Ego & Pater unum sumus, Pater in me & ego in Patre & Pater in me manens ipse facit omnia. Etiam in hunc sensum videtur Hermes loqui de Archetypa mundi structura, ad cujus imaginem mundus iste typicus erat formatus: Quare eum alibi visibilem Dei filium vocat: Monas (ait) generat Monadem & in se ipsum reflexit ardorem. Quibus verbis arguere videtur, mundum Typicum complicitè in mundo Archetypo (Deo sic volente) fuisse descriptum, quem tum postèà explicitè depinxit. Quibus liquet, quòd mundus iste sit factus ad imaginem mundi Archetypi. Sed ni aliqui captiosi, in istam meam opinionem invehentes, exceptionem contra istam meam opinionem caperent, allegantes eam Antiquorum Ecclesiæ, Patrum consensui omnimodè contradicere, ego hoc in loco nonnullos ipsorum de hac re sententias explicabo. Ait D. Augustinus: Ideæ sunt formæ æternæ & incommutabiles in mente divina. Scotus dicit, quòd sint res objectivæ, cognitæ ab intellectu divino: At nihil est in Deo, quod non est Deus, quoniam Deitas non est nisi unus idemque spiritus: Vnde sequitur, quòd Ideæ in Deo, tametsi secundum varia divinitatis placita sunt plurimæ (nam homo factus est uno modo, & equus alio &c.) tamen omnia sunt non nisi unum in Deo, ut D. Augustinus videtur alibi luculentius in his verbis confirmare. Primus & summus intellectus est ars quædam Omnipotentis atque Sapiētis Dei, plena omnium rationum viventium incommutabilium, & omnes unum in ea, sicut ipsa unum de uno cum quo unum. Et alibi ait: Tu es Deus meus & Dominus omnium, quæ creasti & apud te omnium stabilium sunt causæ & omnium mutabilium, Apud te immutabiles manent origines, & omnium rationabilium, & irrationabilium atque temporalium semper vivunt rationes: Et Bœtius habet hæc.

Ecclef 23. 4. Esdr 6. Pimand. 10

Ioh. 13. 10.

Pimand. 4.

Lib. octing. quæst. 46. lib. 1. dist. 3.

De Trinit. lib. 6. cap. ult.

Soliloquiorum cap. 31.

Tu cuncta superno
Ducis ab exemplo, pulchrum fabricamus ipse.
Mundum mente gerens, similique imagine formas.

lib. 3. de consol.

Denique Anselmus modum & progressionem cujuslibet rei exemplaris à fonte Ideali quam doctissimè sic exprimit: Forma rei, ait, Artificis est Archetypa & veritas, & dum à potentia in actum producitur motus est, in materia verò jam producta est similitudo & imago, atque hac de causa Odo Abbas ille doctissimus ait: Numerus Ternarius est principale in animo Conditoris exemplum Condendorum. In quo etiam sensu Hermes loco anteà citato: Monas generat Monadem & in se ipsam reflexit ardorem, quòd unitas in mundi Idealis sive Archetypici fabrica emiserit verbum, quasi essentiam à se ipsa genitam, & in unitate ab eo haud quaquam distinctam, ac tandem reflexit illum spiritum sapientiæ ab ambobus procedentem in se ipsam. Hinc filius Syrach: Fons Sapientiæ verbum Dei in excelsis, & egressus illius mandata æterna: In hunc igitur modum erat mundus Arche-

Pimand. 12.

Eccles. 1. 5.

1 tract. de n: Terna-

typus ante omnia in & ex una eademque Vnitate, sed ratione triplici creatus, nimirum per egressionem unius quasi quadratū æternum ab uno, quasi radice æterna, & per regressionem illius emanationis quasi in formam Cubicam, ad rerum omnium Idealium Archetypi complementum, quo tres divinæ in unica essētia infinita proprietates facile discerni queant, atque etiam ratio, qua omnia mundi typici complicité ante ullam creationem essent in Archetypo idealiter comprehēsa. Concludimus igitur, quòd secundum istam imaginem idealem mundus iste Typicus in triplicitate varietatis esset tum posteà formatus & proportionaliter adaptatus, nimirum ad divinæ similitudinis exemplar: Nam, ex unitate in divina & abstrusa sua existentia, nimirum, ut in tenebris seu chao potentiali esset originaliter quo ad nos abscondita, flamma splendidissima formalis essentiæ Catholicæ emanabat, & spiritus sapientiæ ab utroque procedens, conjunxit formalem illam emanationē cum materia aquarum potentiali, ita ut horum trium unione, nimirum divinæ lucis, & substantialis materiæ tenebrarum, videlicet aquæ cœli erant prius & Terra & consequenter totus mundus, ut testatur D. Petrus: Sed hæc optimè hisce paucis confirmat Psaltes Regius: Verbo (inquit) Domini firmati sunt cœli, & spiritu oris ejus omnis virtus eorum: Quo sermone totum aperit: Nam, per Dominum intelligit Patrem, à quo omnia, per Verbum Filium, per quem omnia & spiritum ab ore utriusque mediantem, quò omnis essentia & virtus seu actus in hoc mundo est derivatus. Concludere igitur possumus, quòd si unitates mundi Idealis sint ab unitate unica radicali, quasi filij ab uno Patre extractæ, & ab eadem, quæ est infinita in se, includantur: debet sequi necessario, quòd triplex membrum mundi istius creati debet esse in & ab illa unitate, quatenus mundus Typicus cum suis membris sit ad imaginem & repræsentationem Archetypi effectus, qui est æterna illa monas, in qua sunt omnia, unde haud injuriâ dicitur ab Apostolo omnia in omnibus. Atque iterum: Omnia creantur per ipsum & in ipso & ipse erat ante omnia & omnia in ipso constant. Et alibi: Ex ipso, per ipsum & in ipso sunt omnia: Vnde haud injuriâ dictitatur circumferentia & centrum: Atque centrum omnium, cujus circumferentia est nullibi. Et, ab Apostolo Pater omnium, qui est super omnia & in omnibus. Hinc Rabbi Zoar: Omnia sunt unum respectu Dei, licet varia videantur respectu nostrum. Et Plato ait, quòd non modò omnia sint in Deo, sed etiam omnia quæ jam existunt, ut pote, quæ (quatenus sunt in Deo & ab eo procedunt) non sunt nisi unica Entitas. Et Hermes in Tabula sua Smaragdina: Vt omnia essent mediatione unius, ita etiam omnia ab ista unica re adaptatione procedunt. Et Proclus: Vt omnia ab uno sunt derivata, ita quidem cursu continuo ad illam iterum unitatem reverti festinant, cum qua, quò grandior est concordia, per quam sibi invicem occurrunt, eò plus de ipsa participant. Iterum Plato alibi: Omnia à Deo Altissimo procedunt & summa ope contendunt, ut ad eum revertantur, quoniam in ipso summum ipsorum Solamen, sustentatio & finalis requies consistit. Propter istam ideò rationem Leucippus Philosophus fecit unitatem istam suum summum bonum. His ergo videre licet, quód Antiqui Philosophi à Biblij sacri Harmonia nullo modo differant. Denique Iob hæc omnia adhuc clarius: Revelat, inquit, Deus fundamenta è tenebris & educit in lucem umbram lethalem: ubi per fundamenta intelligit aquas, quæ in tenebrosa abysso continebantur, ex quarum tum posteà existentia cœli & terra, & consequenter totus mundus est fabricatus, mediante Verbo prædicto secundum exemplar sive imaginem Archetypi. Quare haud injuria concludere possumus, quod principia conditione oppositâ, ab una eademque unitate sive Identitate procedant: videlicet ex nihilo quo ad nos, seu tenebris privativis, & quasi ex umbra lethali, mutatione formæ ejusdem identitatis à potentia privativa in actum positivum per emanationem lucis è tenebris. Hinc Salomon: Manus Omnipotentis mundum ex materia informi effecit. Et Iob: Aquilonem extendit Deus super inane & vacuum & suspendit terram super nihilum, hoc est, super rem inanem & vacuam formâ: Nam per inane, vacuum, & Nihilum intelligit informes illas tenebras & umbram lethalem, de qua mentionem fecit anteà, sive materiam informem Salomonis anteà citatam, quæ, quandiu erat in potentia divina, erat in debili mortalium sensu meré Nihil, ut dictum est, quatenus nondum erat informata. His ergo manifestè constat, quòd omnia essentialiter in ista radicali unitate æterna comprehendantur, quippe, quæ, ut est una, est etiam infinita, & in eo quod sit tam in suis dimensionibus & essentia, quàm potestate seu virtute infinita, necesse habet, ut in se finita omnia contineat: Vnde scripturæ: Ipse est omne in omni: ipse implet omnia & tamen est extra & ultra omnia & in comprehendendo & concludendo omnia, est solummodò in se ipso: & tamen à creaturis suis nunquam absens, quippe quas verbo suo efformavit: & primùm voluntate ejus processit verbum ejus Fiat & Factum est.

Iamque quod principium privativum sive tenebras lethales ab infinito omnium rerum centro, cujus circumferentia est nullibi extraximus, nos satis profundé in formalis & vivificæ lucis seu principij activi naturam immergemus, quod ab eadem radice primordiali originem suam duxit, ut hac

2. Petri. 3. Psal.

Coloss. 3. 11. Coloss. 1. 16. Rom. 11. 36.

Rabbi. Zoar. Plato.

Hermes. Proclus in Problemat. Theol.

Plato.

Leucippus

Sap. 11. 18 Iob. 26. 7.

ut hac ratione præstantioribus intellectus mei coloribus formam illam essentialem excellentissimam, quæ naturam mundi humidam sive aqueam à profunda tenebrarum captivitate & quasi umbra lethali redemit, faberrimé depingam.

CAPVT. III.

Quomodò amabilis & splendidus amoris Catholici & vivifici Spiritus à fonte totius bonitatis effulserit, tenebrasque litigiosas atque odiosas ab obscuri Chaos sive Abyssi deformis Throno removerit, ut exinde mundus pulcherrimus ex Nihilo actuali ipsius præsentia crearetur & divina ejusdem pulchritudine ornaretur.

ADmirabile est & ultra captum humanum, quòd ex unica Vnitate in essentia, rami duo, proprietate, more tam oppositio inter se differentes excrescerent, nimirum tenebræ, quæ sunt informitatis, erroris, deformitatis, contentionis privationis & mortis origo: ac lux, quæ est vehiculum & causa unica informationis, veritatis pulchritudinis, amoris, positionis & vitæ. Non eat pro nihilo, quod Manichæi tantâ confidentiâ tenerent, quòd duo essent principia coæterna, quorum unum fecerunt Deum, quem luminis principem vitæque & sanctitatis omnisque bonitatis authorem agnoverunt, & diabolum finxerunt alterum, quem tenebrarum principē dictitarunt, & originem seu initium contentionis, mortis, ægritudinis & totius mali. Atque diabolum ideò ipsi Deo in sua essentia fuisse coæternum existimabant, quoniā nulla potest esse bonitas, quæ ad suum contrarium, nimirum malitiam non habet relationem: Hac (inquam) ratione volunt, ut Deus malitiei & pravitatis, sit coæternus in sua existentia cum Deo bonitatis: quibus suis imaginationibus non modò diabolum ex creaturarum limbo excludere, sed etiam unitatem ex naturæ limitibus expellere & Diadē sive dualitatem (quæ rei veritate est nihil aliud, quàm unitatum confusio) loco illius erigere atque coronare tentant. Et profecto iste punctus seu hoc dubium tam difficilis videbatur discussionis atque resolutionis, ut nonnulli ex Pöetis & Philosophis sapiētioribus viderentur ipsis hac in re quodammodo astipulari, uti apparet per quasdam mysticas & allegoricas ipsorum expressiones, quas more ænigmatico: discursibus fabulosis involvebant: Inter quos Poëta Pronapis nomine in suo protocosmo asserit, quòd Demogorgon (per quem intelligit Deorum summum) undique cum Æternitate & Chao rudi fuisset ante omnia stipatus, fingitque, quòd quodam tempore, dum Æternitas in sua majestate maneret, magnum tumultum & commotionem subitò in visceribus Chaos ex ortum animadverteret: Vnde, ut ipse ei auxilium in difficili hoc partu præberet, manum suam ad parturientem porrigit & obstetricis officio fungendo, istud subitò parere fecit monstrum quoddā deforme & tempestuosum, cui nomen ob contentiosam suam conditionem *Litigium* erat impositum, quod, postquam magnas perturbationes & commotiones in aëre excitasset, & alis ambitiosis sursum volare & adversus Demogorgonem suum Creatorem pugnare conaretur, à Demogorgone protinus in abyssum profundum præcipitaretur: At observante ipso, quod Chaos novo iterum partu laborasset, & quòd in laboribus suis suspiria ferventia cum sudoribus gravibus emisisset, ipse noluit manum suam ab eo removere, quousque secundum edidisset partum, in quo Pan cum tribus suis sororibus, quæ dictæ erant parcæ esset natus. Cum verò Demogorgon egregia pulchritudine & forma Panis esset captus ipsum omnium mundanorum negotiorum præsidem & gubernatorem effecit, jussitque tres ipsius sorores, ut more ancillarū & ministrarum fratris sui mandatis obedirēt: sequebatur exinde, quòd Chaos suo onere seu magna illa congerie, seu massa, qua laborabat jam levatū, Pana suum (sic suadente Demogorgone) in suo Throno constitueret: Hæc est fabula illa Parabolica de Demogorgone & Chaos cōmuniter à Poëtis recitata. Allegoria eorū importat, quòd generatio & procreatio omnium ab Altissimo & summo Deo Creatore procederet, quem per Demogorgonem important, cui Æternitas vinculo indissolubili in unica societate essentiali conjungitur: quoniam ipse est solummodò dicendus æternus, qui est & semper fuit principium, seu prima rerum omnium causa: Et fingunt etiam, quòd Chaos locum tertium in æterna illa societate sibi vendicet: quippe, quòd est (secundum Ovidij relationem) materia seu subjectum illud confusum atque indigestum, ex quo omnia hujus mundi conflantur: atque ob istā causam Antiqui tradiderunt, ipsum fuisse Deo coæternum, ut pote, quæ erat rudis illa congeries, ex qua Demogorgon universalium Pater res omnes juxta voluntatem suam creavit seu formavit: & per consequens subjectum sive materiam istam omnium fuisse generalem rerum omnium Matrem existimaverunt, ex qua & super quam Vniversalis cunctorum Pater: genuit & efformavit res omnes: Vnde con-

cluſerunt, duos fuiſſe cunctorum genitores Catholicos ab omni ævo, quorum unus erat Pater, alter verò Mater. Et tamen in hoc conſentire videntur, videlicet, quòd Deus eſſet cauſa principalior, voluntque, ipſum Chaos loco ſocij paſſivi Demogorgoni inſervire, ut ex ea quaſi genetrice univerſali res omnes generet: Et quamvis ſapiens & divinus Plato innuere videatur, Chaos ab omni antiquitate ſocium Dei fuiſſe, tamen nobis tam ipſe, quàm alij ſimilis profunditatis illud à Deo æterna quadam generatione ſeu productione proceſſiſſe, ipſumque tum poſteà ex eo omnia fabricaſſe intimant. Quocirca concludunt, quòd à Deo procederet Chaos & ab ipſo minimé eſt dividendum, atque etiam ei loco Sodalis fœmininæ pro generatione & procreatione inſervit: haud aliter, quàm Eva ex Adamo extracta, dicta erat ſocia & adjutorium ei in generis humani productione: Hæc eſt tam Philoſophantium Ethnicorum, quàm Cabaliſtarum myſticorum opinio: Sed ad prædictæ allegoriæ explicationem procedam: Manus Demogorgonis importat divinam potentiam, primogenitum & deforme Chaos, nimirum Litigium, ſignificat principem tenebrarum, qui eſt oppoſitionis, diſcordiæ Pater: Unde obe jus ambitioſam adverſus lucis & vitæ Dominum rebellionem, in Abyſſi tenebroſæ voraginem præcipitabatur: Per ſecundum ejus partum, qui erat Pan, univerſam mundi naturam, atque concordem Elementorum diſpoſitionem indigitant: inde arguendo, quòd poſt magnam illam diſcordiam ſeu commotionem & perturbationem, quæ in prima uteri Chaos dilatatione ſe offerebat concordiâ pacificâ ſecundo ejus partu ſequeretur, quæ erat tam formoſa & acceptabilis Deo in ultimo hoc ejus partu, ac diſcordia deformis eſſet ei fœtida, odioſa & ingrata in primo. His ergo videre poſſitis, quomodò omnia Elementa in principio in confuſo Chaos ventre luctarent & contenderent: Tres parcæ ſeu ſorores fatales dictæ Clotho, Lacheſis & Atropos, quæ cum Pane erant, denotant tres temporis ordines, nempe præſens, præteritum, futurum: Clothonis curæ tempus præſens committitur, ejuſque officium eſt filum vitæ nere: Lacheſis præeſt tempori futuro, reſpicit materiam illam, ſive Canabaceam ſive lineam, quam Clotho aggreditur nere, & Atropos tempus præteritum, quod eſt irreparabile & irrevocabile importans ſcindendo filum finit opus. Ego ſuper parabolicam iſtam relationem infero, quòd tametſi Chaos ſeu tenebroſa Abyſſus eſſet cum Deo & in Deo ante mundi creationem, tamen infinita & ſola æterna unitas & eſſentia radicalis eam creavit & produxit ex ſe ipſâ: Nam illa in ſua perſona hæc loquitur: Ego Dominus, & non alter eſt, formans lucem & creans tenebras, faciens pacem & creans malum: Ac ſi dixiſſet: Ego ſum Pater lucis ſeu fulgentis ſapientiæ Spiritus, & ego creavi Tenebroſum Chaos, ex quo tum poſteà mundi exiſtentiam atque etiam tam diſcordiam, quam concordiam Elementarem, hoc eſt, litigium & pacem in hunc mundum introduxi: Ita ut ſit evidens, non niſi unicam unitatem æternam eſſe, quæ in ſe eſt mas & fœmina: & omne quod imaginari poteſt, quæ ex ſeipſa & in ſeipſa produxit omnia, haud aliter, quam Adam comprehendebat in ſe Evam, quæ erat tum poſteà microcoſmi mater: Hinc ait Mercurius Triſmegiſtus: Mens autem Deus utriuſque ſexus fœcunditate pleniſſimus, vita & lux cum verbo ſuo alteram mentem pepetit. Et ſcripturæ hoc idem videntur teſtificari, dicentes: Qui cæteris generationem tribuo, an ſterilis ero? Quare manifeſtum eſt, quòd ex una eademque unitate radicali æternùm exiſtente tam materia, quàm formæ omnium procedunt & quod appareant in reſpectu earum exiſtentiæ & progreſſionum ſolummodo æviales, hoc eſt, habentes principia, ſed ſine fine: ut cunque in eſſentiali earum radice, nimirum in Deo abſtruſiſſima unitatum unitate, à qua procedunt, ſunt æternæ: Ita, ut quemadmodum tenebroſa Abyſſus, ſeu Chaos obſcurum, & lucidus informans ſpiritus, ſunt duo principia oppoſita & ad invicem conditione & proprietate contraria (nam à tenebroſo principio diſcordia, malum, frigus, congelatio, quies, mors, privatio, negatio ſeu noluntas procedunt: ut é regione ab illo lucido, quod eſt pulchritudinis & gratiæ typus, lux, concordia, bonitas, calor, rarefactio, motio, vita & poſitio ſeu voluntas derivantur) ita etiam ambo hæc ſunt non niſi rami generales ab una eademque unitate eſſentiali aſſurgentes, qui cùm limites ſui fontis infiniti excedere nequeant, ſunt in eo lux & tenebræ & conſequenter nullo modo differunt in ſua eſſentia à radice, à qua ſcaturiunt, quæ eſt omnia in omnibus. Hinc ergo Pſaltes: Tenebræ ſunt ei ſicut lux ipſe: Nam omnia ſunt unum in eo, qui eſt ſolummodò unum & idem in ſe ipſo, ex quo per quem & in quo omnia: Nam ejus voluntas & ejus noluntas ſunt tantùm unum in eo, qui eſt una ſimplex Identitas; & quæ eſt ejus voluntas illa eſt tam ejus affirmatio, quàm negatio, quæ non ſunt niſi unicum bonum in eo, qui eſt tota bonitas: Et tamen reſpectu creaturæ, cùm ipſius negatio dominatur, ipſe lucem vultus ſui benigni obſcondit, & totum eſt quaſi tenebræ, & tunc operatur privativè, quo ad nos: Nam, ubi abſcondit faciem ſuam, omne videtur deforme, inane & eſſentiâ & bonitate deſtitutum. Ecce hic voluntatem negativam ſeu privativam, quæ rectè nominari poteſt reſpectu noſtrum ejus noluntas, quia in ſuo velle reſpectu ſui, videtur nolle, reſpectu hominum, quibus denegat ſuam præſentiam: E regione, ſi ejus affirmatio

Pimand.

Pſal. 138.

Rom. 11.

Eſa. 45.

ſeu

seu positiva proprietas habeat Dominium, tunc emittit nobis lucidam suæ pulchritudinis benignitatem, atque ita spiritus creaturæ ipsius præsentiâ recreatur, & per consequens ipsius bonitate repletur: Ecce etiam hic voluntatem ejus affirmativam seu positivam, quæ respectu tam Dei, quàm nostrum, dicitur voluntas: Sed, ne hoc videatur alicui alienum, obsérvet velim sedulò naturam radij illius mentalis in homine: Nam Deus mentem ei ad ipsum informandum & ratione atque intelligentiâ induendum impertivit: Spiritus (inquit Iob) est Iob.9. in homine, at inspiratio Omnipotentis facit eum intelligere: Et tamen ista unitas essentiæ, quæ est imago Dei per duas contrarias proprietates in genere operatur, quarum una est affirmare, dare & concedere petitioni petentis per emanationem quandam amabilem: Ecce hîc actum positivum in spiritus humani unitate depictum. Alia est negare & auferre aut se opponere petitioni & desiderio quærentis, per privativam quandam ablationem seu recusationem præmij desiderati. Ecce hîc est effectum negationis seu noluntatis ex hac parte descriptum; nam radius mentalis non emicat seu emanat petitori, sed in se contrahitur seu reservatur. In his duabus actionibus contrarijs non nisi unicum effectum laudabilem in hac sola unitate observamus: Nam, tametsi concedit mens meaper amicam & misericordem radij mentis emanationem, ita, ut arrideat expectationi petentis: aut si é contra negatur petitio quærentis ad magnum ipsius damnum seu malum, tamen menti cum nolentis, tum volentis, tam affirmatio, quam negatio videntur bonæ, ut pote bona ratione fundatæ: Vnde patet, quòd ambæ illæ non sunt nihi nisi unum & idem in effectu, utcunque petenti appareant differre. Pari etiam ratione in æterna & archetypa unitate (quæ & mens divina dicitatur, cujus typus & imago est intellectus seu mens humana) actus tam voluntatis, quam noluntatis est unus & idem, & non est, nisi bonitas in ea, quæ est tota & absoluta bonitas, quæ contrarietatem in se non admittit, tametsi creaturæ, quæ subij citur effectibus tam privativæ, quàm positivæ voluntatis ejus privativa seu negativa actio videtur mala: ut è contra ejus positiva seu affirmativa emanatio quippe benignitate & amore plena habetur ab eo pro bono & consequenter cum gaudio recipitur: Nonne docemur authoritate sanctâ, quòd bonum & malum, vita & mors, paupertas & divitiæ à Deo sunt? Et alibi; quòd, Deo absconde nte faciem suam à creaturis conturbantur, recipiente spiritum eorum, expirant, emittente spiritum suum recreantur bono. Et alibi: Visitatio tua præservat spiritum meum. Atque iterum: Attolle faciem tuam & emitte lucem supra nos, & efficiet, ut videamus lucem & splendentes efficiet tenebras nostras. Et Prophe-

ta: Tenebras ponam ijs in lucem. Et Iob: Tenebris in die incurrent astuti & quasi in nocte palpabunt in meridie. Et Apostolus: In tenebris est & in tenebris ambulat, qui odit fratrem. Et Propheta: Tenebræ persequentur inimicos Dei. Et Moyses: Deus abscondit faciem suam ab ijs, ut obtingant ijs multa mala & angustia: Et tamen nulla est istarum duarum proprietatum, quæ non est absolutè in essentali & radicali sua unitate bona, utcunque ultima sit privativa, passiva, odiosa, deformis, contentiosa & mortalis creaturæ, quæ eorum sentit & patitur effectus. Nonne scribitur, quòd ipse Sap.16.13. habeat potestatem vitæ & mortis, & quòd deducat ad portas mortis & reducat? Et tamen totum efficitur secundum duplicem ejus proprietatem videlicet nolentem & volentem in unitate essentiæ, in qua nihil est malum. Vnde sapiens Philosophus à scripturarum sensu in hoc non dissentiens. Non est in monade divina, nisi unum & M. Trismegist Pimand.14. bonum, in ipso enim factore nihil malum, nihilque turpe. Atque ob istam rationem, quando Iob seipsum sentiret à Deo percussum, idque sine causa & præter justitiæ (ut ei videbatur leges), quatenus pro viro justo æstimabatur, & (ut Textus ait) secundum cor Dei erat: tamen ipse (non obstantibus suis pœnis) pio quodam erga creatorem suum zelo instigatus (utcunque agnovit totum suum malum ei ab aversione faciei Iehovæ eveniſſe) ait: Et tamen absit à Iob.14. Deo impietas & ab Omnipotente iniquitas &c. Præterea patet cuiquam etiam in Philosophia mediocriter perito, quòd Deus tam circa creaturæ corruptionem & privationem, quàm generationem & positionem versetur. Et tamen nemo Christianorum ignorare potest, quin utraque istarum proprietatum in unica, syncera essentia sit absolutè bona, quatenus ipsa est in bonitate completa, tametsi exaltera parte nihil est magis terribile, timendum, abominabile & perniciosius creaturæ, quàm est ipsius inpropria mors seu corruptio. Si nos Christiani negaremus proprietatem in divina unitate, tam ad deprivandam creaturæ vitam per contractionem radij sui vitæ in se, quam ad vitam imperciendam per dilatationem radij ejusdem à centro suæ unitatis versus circumferentiam: non sine ratione nos poëtis atque Philosophis Ethnicis judicio & captu viliores æstimari possumus: ut pote, qui testantur cum sapiente, quod bonum & malum, vita & mors, honestas & paupertas à Deo sint. Quo arguitur, quòd ista unica essentialis divinitas operetur proprietate duplici & more oppositio in creaturis mundi. Proclus sequendo antiquam Orphei, Hesiodi, Euripidis & Æschyli Theologiam (qui omnia arcana illa quæ dedicerunt à personis in mysterijs Dei profundis, suis historijs fabulis involverunt) proprietates istas in supremo & archetypico Sole sub umbra Solis Typici & Eccles.11.

visibilis agnoscit : Nam ipse & prænominati Poëtæ mystici, unitatem istam vocant Apollinem diurno tempore : Nam prætendunt, quòd in positiva & benigna sua natura, quæ manifestatur per vivificantem ejus in Sole virtutem, ipse componit creaturam ex septem partibus (nam numero quaternario Pythagorici significarunt materiam Elementarem rerum, utpote quæ est quadratum, ad radicem duo, qui est numerus imperfectus & proinde designat materiam; & per ternarium, qui est numerus perfectionis, Hieroglyphicé depingunt formas rerum, ita ut ex horum numerorum conjunctione exsurgat numerus septenarius qui includit perfectum creaturæ complementum, quod in animæ seu formæ & corporis seu materiæ compositione sive unione perficitur. Iterum unitatem hanc eandem Dionysium nocturno tempore vocant, nimirum in tenebrosa seu privativa sua proprietate, asseverantes, quòd ipsa sub isto titulo soleat creaturam dominio Apollinis seu diurno tempore creatam seu compositam in septem partes dilacerare: ita, ut videantur arguere, quod una eademque unitas in essentia sit author tam destructionis & corruptionis, quam generationis & vivificationis : Quare duplicia ei assignant nomina, non respectu essentiæ ejus, quæ est unica, sed ratione proprietatum ipsius, nimirum ut proprietatem ejusdem essentiæ unicam distinguant ab alia per variationem nominis. Hinc à Cabalistis dicitur in una sua proprietate, videlicet privativa & tenebrosa, Aleph Tenebrosum, nimirum, quando contrahit radios suos in se seu avertit faciem à creatura : In alia verò ejus proprietate, nimirum positiva & lucida, eam vocat Aleph lucidum ; nimirum quando emittit benignitatis & pulchritudinis & vitæ radios. Ex his ergo nobis Christianis apparet, quòd Ethnici seu Gentiles cum scripturis sacris agnoverint & scriptis parabolicis mandaverint, quòd sit in potestate unius ejusdemque unitatis radicalis salvare & destruere, hoc est, vitam dare aut illam auferre, sive aut velle aut nolle, & (ut verbo dicam) operari omnia in omnibus juxta placitum suum : Atque ita confirmatum habetis, quod duo membra naturarum oppositarum ab unica radice æterna scaturiunt, & quod ista membra seu proprietates essentiales & principales more contrario in mundo agunt, & per consequens effectus ab invicem differentes producunt: Vnde patet, quòd, cùm aquæ, ex quibus & per quas (teste D. Petro) cœli erant prius & terra ex tenebrosa abysso prodierunt & erant quasi secundus ipsius Chaos partus, quem Poëtæ fingunt esse Pana sive naturam humidam universalem ; Facillimum erit sapienti Philosopho considerare, quòd passiva istius mundi portio ad proprietatem & conditiones tenebrarum instinctu quodam naturali inclinet, ita, ut si non esset ratione præsentiæ formalis hujus mundi portionis, quæ procedit à lucido spiritu sapientiæ, quæ (teste sapiente) est vapor virtutis Dei, & syncera emanatio claritatis omnipotentis, & splendor luminis divini, & speculum sine macula bonitatis ejus, quæ dividit aquas in distinctos orbes sive sphæras & dat pondus aëri & appendit aquas seu nubes in mensura, facit pluviæ statuta & viam fulgetro Tonitruum; si ipsa (dico) non adesset aquis, easque suâ præsentiâ & actu non excitaret, illæ procul dubio sine ulla differentia in uno statu sine alteratione permanerent. Est iste spiritus, qui dixit ab ore Altissimi prodij & rotunditatem cœlorum circumivi solus, in profundo abyssi ambulavi : Est illa sapientia, inquam, lucida, quam (teste Salomone) Iehova possidebat in principio viæ suæ ante opera sua, ante omne tempus, antequam mundus erat creatus, quando nullæ essent abyssi, antequam fontes erant creati, aut montes elevati, aut terra ordinata: quando posuit cœlos, ibi aderat; quando fortificaret superiores aquas, ibi erat, quando mare limitibus esset terminatum, quando terræ dedit fundationem, ipse aderat ei, tanquam omnia componens. Denique ab ipso omnia sunt facta & sine eo nihil est factum : Ita, ut si non esset per præsentem formalis istius spiritus actionem, materia mundi aquea in statum deformem suæ matris Chaos reverteretur : Nam, quatenus manet in hoc mundo, inclinatur ad dispositionem suæ matris : Est enim passiva, fœminina, frigida atque etiam est rerum omnium mater, & in alio respectu, vivifica & splendida unitatis æternæ emanatio est masculina, activa, & Pater rerum omnium, quippe, quæ omnia in hoc mundo vivificat : ut ait Apostolus, & juxta prædictorum Poëtarum sententiam, qui ipsam sub nomine Apollinis proponunt.

Sap. 7. 24. Iob. 26. 7. Eccles. 3. Proverb. Ioh. 1.

Hoc igitur bene à nobis considerato, haud difficile erit ex horum duorum principiorum detectione, nimirum lucis & tenebrarum ad radicalem veræ Sympathiæ & Antipathiæ cognitionem pertingere : quoniam evidens est, quòd illud ab amabili, concordanti & vivifico atque appetibili amore procedit, qui à benigna Creatoris emanatione procedit, quæ semper cum suo simili conjungi atque uniri appetit, suumque simile præservare per unionem intendit: Hoc à discordanti, privativa & contentiosa illa affectione derivatur, quam tenebræ & deformitas filijs lucis & vitæ pariunt : Ex his itaque apparet, quòd, ut antè harum duarum proprietatum differentiam seu effectum unius unitatis separationem, nempe lucis à tenebris, quæ mediante verbo seu spiritu divino efficiebatur, omnia erant unum & idem sine distinctione aut differentia : atque hæc unitas seu unum nullo modo erat inter res creatas numerandum, ita, ut in tali statu lux esset tenebræ,

& tene-

& tenebræ lux, & consequenter harum nulla ab humano captu discernenda, nihil realiter distinguendum, sed omnia erant unum in prima rerum omnium materia,
Col.1.16.17 quæ consistebat in æterna unitate: In Christo, ait Apostolus, omnia sunt condita, per Christum & in eo omnia sunt creata, ipse ante omnia & omnia in ipso constant &c: ita, ut in illo respectu, nec erat lux nec tenebræ, nec dies nec nox, nec cœlum nec terra, nec Spiritus nec corpus, nec bonum nec malum, nec purum nec impurum, nec generabile nec corruptibile, nec hoc nec illud: & tamen nihilominus omnia ista, sive sint spiritualia sive corporalia, procedebant ab illo subjecto potentiali, quòd manebat complicitè in illa infinita unitate, quæ fuit, est & erit omnia in omnibus & super omnia. O admirabilis Dei in operibus suis sapientia! Omnia (dico) ab una sola materia, quæ nihilominus est nihil eorum, quæ facta sunt. Omnia fuerunt abstrusa & abdita, sed secundum dictum Salvatoris nostri: Nihil est tam secretum & occultum, quòd non debet manifestari seu revelari: idque mediatione operationis penetrativæ verbi admirabilis Fiat, spagyrica spiritus æterni actione & virtute illud unicum in duo principia conditione contraria dividente, quibus nomina naturis suis convenientia sunt assignata. Nam unum, ut dictum est, lux, atque alterum Tenebræ vocabatur. Primum etiam Diem, & alterum Noctem dictitarunt, atque ita purum ab impuro separabatur. Hinc ergo erat, quòd mundus originaliter in duo regna contraria prædictis duobus ramis ab unitate exurgentibus correspondentia divideretur: Qua quidem relatione facillimum erit enucleare, quid in veritate sit lux & tenebræ, quid dies & nox, quid bonum & malum, quid cœlum & quid infernus, quid veritas & quid falsitas, quid humilitas & quid superbia, quid justitia & quid injustitia, quid gaudium & quid tristitia & mœror, quid dulce & quid amarum, quid pax & concordia, & quid litigium & concordia, quid actio & passio, quid vita & quid mors, quid generatio & corruptio, quid purum & impurum, quid sanitas & quid morbus, quidque salubre & quid insalubre, quid medicina & quid venenum; ac denique quid amabile, & quid odiosum, & consequenter, quid sit Sympathia & quid Antipathia illa, quæ inter infinitas hujus mundi creaturas dominatur. Quòd autem totus mundus & quælibet ejusdem creatura ex hisce duobus conflatur contrarijs sive naturis oppositis, testantur non modò Philosophorum Ethnicorum sapientiores, sed etiam Scripturæ sacræ: Nam Heraclitus asserit, omnia in hoc mundo ex lite & concordia componi. Et Empedocles, animam ex Elementis (hoc est, ex spiritu aqueo & lite atque amicitia) conflari tradit. Et Syriachus adhuc clarius: Gemina sunt omnia, quorum alterum est Eccles.42.25.
contrarium alteri, nec quicquam factum est, quòd mancum est.

Denique, ne lector aliquis scrupulosus me pro tam longo super bina ista principia contraria, discursu condemnaret, operæ pretium existimo, ipsos, qui sunt pietate & judicio præditi, certiores facere, quòd exacta illorum cognitio sit haud exigui momenti seu importantiæ, quatenus duo prædicta primordia observantur esse solida ac realia tam universæ Philosophiæ, quàm Theologiæ fundamenta, utpote quorum radix & basis in vera cognitione horum duorum contrariorum sita est: & per consequens, si ipsa non sint bene in primo loco enucleata ac explicata, quomodo tum posteà, erit possibile, ut rectè in vera Philosophia pertractentur, aut in ijs sacræ scripturæ locis intelligantur, in quibus toties repetuntur? Ad istius autem quæstionis abstrusæ sive ænigmatis Sphyngiaci resolutionem atque explicationem quòd attinet, videlicet, cur Deus sive Vnitas æterna in suo arcano sensu, intentione sive consilio mentali, ex tenebrosæ abyssi visceribus seu materia informi, idealiter in ipso consistente, contraria ista duo ordinaverit & excitaverit, ad efficiendum, ut, mediantibus illis, omnia mundana in mutuam dissonantiam, pugnam & conflictum permanerent: ita, ut nihil inveniatur de bonitate participans, quòd suum non habet contrarium, hoc est, de malitia & pravitate non participat: imò verò ipsum summum bonum, videlicet Majestas divina sine suo opposito non existit: Profectò tam occulta est ista cabala, ut à mortali capacitate explicari atque enucleari nequeat, quippe, quæ est mysteriorum divinorū profundissimū, nisi illud nonnullis electis & Theodidactis immediatè à spiritu sapientiæ (qui est solus Mysteriorum talium scrutator & revelator) concedatur, qui spiritus etiam in nobis est, & spirat, ubi & quando vult, & in scripturis multis nominatur nominibus; nimirū dicitur spiritus veritatis, spiritus sanctificationis, spiritus illuminationis, spiritus revelationis, qui erat primus interpretator secretorū divinorū in pagina sacra contētorum: Neque profectò nos decet ex nobismet ipsis, ut inquiramus, cur Deus hoc vel illud fecerit, aut quomodò vel quare illud sic vel sic formaverit: Sed zelosō Christiano convenit, hæc omnia ad illud tempus referre, in quo secretum hoc revelabitur: quod quidem eveniet, cùm sigillum septimum aperietur. Tunc enim Mysterium hoc profundum, quod tantæ in mundo contrarietatis causa est, detegetur, & ostendetur ratio finalis; nimirum, cur providentia Dei se ipsam per ista duo principia opposita revelabit, & omnem hujus mundi inimicitiam & discordiam extinguet. Pro finali dissonantiæ seu discordiæ istius termino, Apostolus

illum teſtatur eventurum, quando Filius regnum Patri tradiderit, & poſtquam omnem Principatum & Poteſtatem & Virtutem evacuaverit: tunc enim ipſe regnare debet, quouſque inimicos ſuos ſuperaverit, & ultimus ille inimicus, qui deſtruetur, erit Mors, ita, ut quemadmodum duo contraria ab una unitate procedebant, ita etiam ambo hi ramis diſſonantes; is, quaſi unitatum confuſio in unitatem unicam amabilem & concordantem, in qua nulla eſt invenienda diſſonantia, finaliter reducetur; nempe, cùm verba iſta Revelationis ſunt completa: Ecce omnia nova facio: Apocal. 21. Vetera enim tranſierunt. Sed diſcurſum hunc allateralem relinquendo, ad argumentum meum Sympatheticum & Antipatheticum procedam, in quod, ut majori celeritate & facilitate penetrē, & in actionum ipſarum oppoſitarum inquiſitionem altiùs me immergam, conveniens erit, ut in primo loco modum & rationem deſcribam, quo mundus ex horum oppoſitorum participatione & commixtione, lucis ſcilicet & aquæ, quæ eſt tenebrarum filia, exiſtit & vivit; & tum poſteà, quid de anima mundana antiqui Philoſophi determinaverint, paucis expediam.

CAPVT. IV.

In quo evidenter tam antiquorum, cum Poëtarum tum Philoſophorum ſententiâ, quàm ſacrarum literarum authoritate, atque alijs rationibus firmis probatur, quid ſit & ex quibus principijs componatur mundi anima.

MIhi, in iſtius de anima Mundi diſcurſus introitu, propoſitum eſt, tam antiquorum Cabaliſtarum, & Rabinorum myſticorum, quàm Philoſophorum ſapientum opiniones, de iſto ſubjecto, adeò à quibuſdam myſteriorum tam profundorum imperitis & ignaris condemnato, & tantâ conſtantiâ ab alijs, qui oculis ſui intellectus lynceis in ſecreta naturæ viſcera penetràrunt, & cum debita reverentia centralem & æternum ejuſdem agentem ſunt contemplati, ſtabilito atque celebrato, recenſere; ac tum poſteà in animo meo eſt, concordantiam illam, quæ eſt inter eorum opiniones & ſacrarum literarum ſenſum ſive mentem explicare. aggredior: Cabaliſtarum eſt ſententia, quòd magnus Angelus, quem nomine Mitattron nuncupant (quòd nomen interpretantur Donum Dei) eſt Catholicus ille ſpiritus, qui univerſaliter animat univerſum mundum: Vnde Rabbi Moyſes illum capit pro generali intellectu agente, à quo omnes formæ particulares deſcendunt. Et volunt, quòd ab iſto ſpiritu univerſali omnes virtutes tam animales & vitales, quàm naturales procedunt, quas etiam Angelos vocant, quorum numerus reſpectu noſtrum infinitus exiſtit. Ex Philoſophis Democritus, Orpheus, cum varijs Pythagoreorum, non multum ab iſta Rabbinorum & Cabaliſtarum opinionibus, præterquam in ſola nominum varietate differentes, autumaverunt, omnia fuiſſe Dijs plena, quibus in creaturis divinos attribuerunt honores, eoſque (preces & ſacrificia ijs offerendo) vario cultu & ceremonijs differentibus adoraverunt, præeunte tamen conſideratione & cautela tali, quòd hos omnes Deos, unico, ſeu Iovi, ſeu potius Iehovæ, unitati æternæ, rerumque omnium Patri referrent. Iſta nihilominus eorum intentio, ab ignorantibus malè intellecta, erat præcipua Idololatriæ inter Gentiles occaſio, ut pote, ſub quo prætextu creaturas loco Creatoris, ſeu divinitatis in creaturis venerabantur. Ob iſtam ergo rationem Salomon: Vani ſunt homines naturâ, in quibus eſt ignoratio Dei, & qui ex ijs, quæ ſpectantur, bonis, eum, qui eſt, intelligere non potuerunt, neque ex operibus conſideratis ipſum opificem agnoverunt, ſed creaturam pro creatore receperunt. Similiplané ratione Platonici virtutem illam univerſalem, qua mediante omnia generantur & præſervantur, Animam mundi nuncupaverunt. Hiſce etiam ipſorum intentionibus videntur Aſtrologi Arabici aſtipulari, quippe, quorum eſt animus peculiarem rei cuilibet hujus mundi animam à generali iſto ſpiritu Catholico derivatam, aſſignare. Huic etiam opinioni Mercurius Triſinegiſtus, Theophraſtus, Avicenna, Algazel, & alij tam Stoici, quàm Peripatetici, adhærere videntur. Iterum Zoroaſter & Heraclitus Epheſius concludunt, quòd hæc mundi anima ſit immenſus ignis inviſibilis, ex quo & per cujus actionem omnia generantur, & à potentia in actum producuntur. Virgilius, Poëta ille eximius, illam vocat mentem, quæ per artus & compagines mundi transfunditur, qua tota ejus moles abſtruſo quodam modo agitatur. ait enim:

Reuclin. de art. Cab. lib. 3.

Sap. 13. 1.

Spiritus intus alit, totãque infuſa per artus
Mens agitat molem &c:

Marcus Manlius, Boëtius & Augurellus in ſententiam Virgilij incidere videntur: Manlius autem hæc habet:

Hoc opus immenſi conſtructum corpore mundi
Vis animæ Divina regit &c.

Boëtius etiam iſta:

Tu triplicis mediam naturæ cuncta moventem
Connectis animam. Lib. 1. Ch. 2.

Et Augurellus ait:

Nonnul-

Nonnulli quicquid diffunditur undique cœli,
Aëraque & terras & lati marmoris æquor,
Intus agi referunt animâ, qua vivere mundum
Cuncta putant, ipsumque hac mundum ducere vitam:
Aſt animæ quoniam nil non eſt corporis expers,
Mundus at & mundi partes quoque corpore conſtant
Spiritus hic intermedius fit, quem neque corpus
Aut animam dicunt, ſed eum, qui ſolus utroque
Participans in idem ſimul hæc extrema reducunt, &c.

Alchimiſtarum atque etiam Philoſophorum ſapientiores faciunt animam iſtam infinitam quandam naturam ſeu virtutem, quæ in omnibus ſimilia ex ſimilibus procreare ſolet: Nam natura iſta generat omnia, eaque multiplicat, nutrit & ſuſtentat: quam etiam ligamentum Elementorum vocant, quo ipſa utcunque inter ſe concordantiâ ſymphoniacâ, harmoniæ pacificæ nexu ligantur. Denique Rabbini Myſtici affirmant, quòd iſte ignis occultus, ſit ille Domini Spiritus ſive amor igneus, qui quando movebatur ſuper aquas, ipſis igneam quandam virtutem Harmonicam impertivit, ſine cujus præſentia & aſſiſtentia ſeu calore benedicto & vivifico nihil ex ijs poteſt generari aut multiplicari.

Ex his ergo colligere poteſtis, veterum cum Cabaliſtarum tum Philoſophorum & Poëtarum de anima mundi intentiones, quæ non ſunt tam impiæ & profanæ, ac nonnulli iſtius noſtræ ætatis Chriſtiani, magis ſuperſtitioſè zeloſi, quam intelligenter docti exiſtimant, ſi res rectè, pro ut eſt: conſideretur & cum ſacrarum literarum ſenſu conferatur: Moyſes ergo habet, quòd Spiritus Domini ferebatur ſuper aquas (& Auguſtinus addit) igneum ijs vigorem impertiens. Iam verò, ut vidimus, quòd homo, qui vocatur Microcoſmus, ex anima & corpore componatur, quorũ anima ejus pro ejus cœlo ſeu parte ſpirituali vel aquis ſuperioribus; corpus verò cum humoribus ejuſdem & quaſi aquis inferioribus, quarum baſis eſt terra, haud injuria, atque quod ambæ hæ partes ſunt informatæ, unitæ & vivificatæ à ſpiritu illo vitæ, quem Deus ijs inſpiravit: Ita obſervamus, quòd cœlum, ſive ſpiritualis humida natura macrocoſmi æterna emanatione ſeu ſpiritu ſapientiæ divino, animetur & vivificetur: Et quemadmodum ſit facillimum diſcernere, quòd cœli macrocoſmici ſunt duplices, ut pote, quorum inferiores, quos Elementa vocant ex aquis inferioribus exiſtunt; illi verò ſuperiores, quos æthera dicunt ex aquis ſuperioribus ſeu ſpiritualibus conſtant: Haud aliter in mundo minori ſeu microcoſmo nimirum homine, cœleſtis ſpiritus receptaculum dignoſcitur eſſe aër: Vnde medici ratione iſtius differentiæ diſtinguunt inter vitales ſeu æthereos ſpiritus & naturales ſeu Elementares: ita etiam conſiderare debemus, quòd materialis humidus ſpiritus

Gen. 1. Auguſt in Gen.

cœlorum in utroque mundo eſt in ſe mortuus, ſed reſpectu cœleſtis emanationis, quæ ijs ineſt, eoſque informat & vivificat, dicuntur vivere, movere: & ſunt vel tenuiores vel denſiores, prout vel majorem vel minorem ſpiritus informantis portionem ſeu præſentiam, quam Deus ijs aſſignavit in ſe habent: Nam, quo magis vel minus abundat ſpiritus ille vivificans in iſta aëris regione, eo eſt ipſa tenuior, purior, activior ſeu agilior ac dignior. Iob ait: Sapientia aptat pondus aëri, & appendit aquas in menſura: Fecit terram in fortitudine ſua & præparavit orbem in ſapientia ſua: & prudentiâ ſuâ appendit Aquilonem ſuper inane & ſuſpendit terram ſuper nihilum in cœlorum ſtructura, & cùm Deus ſtrueret fundamenta terræ, ipſa aderat cuncta componens. Atque iterum ſapientia dicit: Ex ore Altiſſimi prodij primogenita ante omnem creaturã, in initio ante ſeculum creatus ſum, uſque ad futurum ſeculum non deſinam, habitatione ſancta coram ipſo adminiſtravi: In cœlis feci, ut oreretur lumen indeficiens, & ſicut nebula texi omnem terram: in altiſſimis habitavi, & Thronus meus in columna nubis, cœli gyrum circumivi ſola, profundum abyſſi penetravi, in fluctibus maris ambulavi & in omni terra lœti. Feci Arcturum & Orionem, converti in mane tenebras, diem in noctem mutavi, vocavi aquas maris, effudi eas ſuper terræ faciem; cœlos denique mediante ſpiritu meo ornavit Deus: Converti cœlum in gyro in locum ſuum uno die, omniaque numero pondere & menſura diſpoſui & temperavi &c: Quibus teſtimonijs, & permultis alijs, quæ produci poſſunt, lucidè apparet, quòd omnes in mundo mutationes, alterationes, actiones, ornamenta pulchritudinis, motiones, numeri, pondera, menſuræ & conſequenter omnes illæ operationes & diverſitates, quæ fiunt in generali homogenea aquarum maſſa efficiuntur ab iſto divino ſpiritu, cujus radix eſt verbum, quippe qui ſolus teſte D. Paulo operatur omnia in omnibus. Hinc Propheta regius: Operatur Deus mirabilia, & ampla ſunt, quæ omnia feciſti in ſapientia. Atque iterum: Verbo Domini firmati ſunt cœli, & ſpiritu ab ore ejus omnis virtus eorum: Quæ quidem verba inferre videntur non modò materialem mundi ſubſtantiã, quæ per vocabulum cœli innoteſcit, ſed

Iob. 28. Pſalm. 14. 7. Proverb. 3.

Eccleſ. 24.

Amos. 1. Eſier 4. Ierem. 51. Iob. 26.

1. Cor. 12. Pſalm. 103. 24. Pſalm. 33. 6.

etiam ejus formam inactuantem ac agentẽ, videlicet principium omnia vivificans, quòd arguitur per Verbum & Spiritum, à quibus aquæ prius receperunt suam originem ac tum posteà ex aquis istis Catholicis cœli & terra erat numero, pondere & mensura ordinata, hoc est, per Spagyricam Verbi virtutem in orbes differentes distincta, juxta illud D. Petri: Cœli erant prius & terra de aquis & per aquas consistentes Verbo Dei. Ac siquis diceret, quòd postquàm Spiritus Domini ex tenebrosa Abysso emersisset (nam, teste D. Iohanne, verbum erat in principio) & actum atque formam & nomen aquis dedisset, ille Spiritus Domini revelaret & operaretur explicitè, & particulatiter illud totum, quod Chaos seu Tenebrosa Abyssus generaliter comprehendebat in se complicitè & more confuso. Quare, postquàm ipse universalem rerum materiam revelasset, quæ erat aqua; illam paulatim & gradatim anatomizavit, secretam ejusdem medullam meatusque occultos penetrando, illud jam manifestavit, quod ab omni æternitate esset in potentia Divina occultatum: & primùm substantia & existentia mundi ex ea in genere est producta: Manus Omnipotentis (ait Textus) mundum ex materia informi effecit: tunc aquea & humida illa substantia dividebatur in cœlum & terram, distinguendo nimirum aquas ab aquis virtute ejusdem spiritus: In habitatione sancta (ait Sapiens) coram ipso ministravi. Et alibi: Sapiẽtia apud eum fuit cuncta componens. Sed hoc luculenter ex isto Mercurij Trismegisti sermone indicatur: Ex luminis (inquit) voce verbum factum prodit, verùm hoc naturæ humidæ astans, eam fovebat: Ex humidæ autem naturæ visceribus syncerus & levis ignis protinus evolans alta petit, aër quoque levis spiritus parens in mediam regionem inter aquam & ignem sortiebatur; terra verò & aqua sic invicẽ commixta jacebant, ut terræ facies obruta nusquam appareret &c: Quibus evidenter probatur, quòd tenuis ista aqua spiritualis seu natura humida non sit magis anima orbata, quàm spiritus humanus vivificante vitæ actu sit destitutus. Nam, ut in anima cujuslibet creaturæ viventis duo sunt præcipuè requirenda, nimirum agens & patiens, ita, ubi unum ex istis deest, ibi nulla potest anima creata existere, quippe, quòd mundi anima esset sola inspiratio Dei sine vehiculo humidi Spiritus creati, quòd est materia cœli, tunc illa mundi vita foret simplex Identitas & unius ejusdemque proprietatis; & consequenter, nulla foret aut actionis in mundo varietas aut contractio & dilatatio rerum in Systole & Diastole, & tunc sequeretur, quòd nec actio nec passio animæ inesset. Nam sine natura passiva virtus activa consistere nequit, ut é diverso sine motu activo passivum esse non potest. Chaos (uti dictum est) erat loco fœminini seu passivi ad actum Demogorgonis sive Dei: Pariter actus seu forma, quæ procedit à divinæ lucis emanatione seu effluxu est masculinus actionis fons & scaturigo, ut & aquæ, quæ à Chaos ventre sunt sortitæ, sunt passionis subjectum. Hinc ergo de facili est colligendum inprimis, quid sit anima mundi, & per consequens ex quot & quibus partibus consistat. nam considerare debemus, quòd, ut quælibet creatura habet suum internum & externum: ita quidem oportet, ut nos in primis animæ mundanæ internum & externum, quatenus ipsa est creatura, inquiramus: atque iterũ, quòd sit creatura, in eo declaratur, quia non est Identitas, sed alteritas, qualis est existentia Angelica. Nam si esset Identitas, nulla foret inter ipsam & divinam unitatem differentia, & consequenter, creationis actum, utpote æterna, non admitteret. Iam verò quòd ista anima sit alteritas, & consequenter creata, ex eo constat, quatenus ex duobus juxta Angeli consistentiam conflatur; utpote, cujus internum est lux seu flamma illa vivificativa, quæ immediatè procedit à lucida & splendida spiritus æterni emissione, ut ejus externum est Spiritus ævialis creatus seu purior & limpidior aquarum superiorum substantia, quæ creatur, & animatur ab actu seu virtute Spiritus Divini: Et, quoniam natura ignis vitæ essentialissimi & nunquam morituri dicitur esse ubique & in omni loco mundi: Nam, Scripturæ dicunt, quòd Christus impleat omnia; & quòd sit omnia in omnibus: Et quòd Spiritus Dei sit in cœlo, in inferno, in extremis maris, in nocte & tenebris &c: & quòd sapientiam suam effuderit Deus super omnia opera sua: & quòd Spiritus Dei incorruptibilis in sit omni re: Et, quòd cœlum sit ei sedes & terra scabellum pedum ipsius. Et, quòd Spiritus sapientiæ impleat orbem: quatenus, inquàm, est in omni mundi particula & in universo ipsius spiritu, ita, ut jam propter ipsius præsentiam dignitate plenus est ille, qui anteà erat vilis & deformis: Certum est, quòd sit iste solus spiritus increatus, æternus & centralis in suo externo spiritu mundi creato, qui facit mundum vivere, atque ideò Spiritus iste Angelicus seu alteritas ista est dicta mundi anima: Quoniam est Catholicus seu generalis ille mundi Spiritus, purissimo & lucido aquarum superiorum amictu ornatus, atque ab origine animatus, qui vivificat omnia. Hinc ergo quæstio illa toties inter Peripateticos agitata, & tanta ingenij exilitate resaluta, potest solida istiusmodi speculatione plenè enucleari atque resolvi: Nimirum, quæ nam sit inter animam, mentem divinam atque spiritum differentia: Cùm sit evidens, quòd mens in stricta sua significatione particulariter considerata pro nudo æternæ emanationis ab unitate radio accipitur per se, hoc est, simplici

2. Pet. 3.

Sap. 11. 18.

Eccles. 24. Proverb. 9.

Pimand. 1.

Ephes. 4. Coloss. 3. 11 Psal. 139. 7 Eccles. 1. Sap. 12. 1. Isai: 66. 1. Sap. 1.

ſua natura (nullo ad mixtionem reſpectu habito): At ſi Catholicè conſideretur, pro univerſali Spiritus Divini à fonte unitatis effluxu capitur, quem ad ſpiritum ſeu naturam humidam mundi univerſalem informandum ſeu creandum emiſit Creator. Sic Mercurius Triſmegiſtus vocavit Pimandrum, id eſt, Deum Creatorem mentem divinam, à qua omnia ſunt facta, ut in ſermone ejus primo denotatur: Hæc erat forma Dei in homine, qua mediante Apoſtolus dicit, non fuiſſe rapinam arbitratam ſe eſſe æqualem Deo; cujus ratione dicitur alibi, templum Spiritus ſancti & membra Chriſti: at verò ſpiritus in genuina & ſtricta ſua ſignificatione eſt internus ille mundi ſpiritus creatus, ſeu ſubtilis & ſpiritualis aquarum ſuperiorum ſubſtantia ſimpliciter & in ſe conſiderata, quæ à mente illa Divina ab illa Archetypica emanatione ſeu Spiritu Domini, qui ferebatur ſuper aquas, informatur, animatur & illuminatur. Denique animam in puro & integro ſuo ſenſu vocamus eam unionem ſeu mixtionem, quæ facta eſt inter effluxum illum æternum ac ſubtiliſſimum mundi ſpiritum ipſius præſentiâ creatum: Ita, ut ex iſtis diſcernere poſſimus imprimis quid ſit forma informans ſeu natura naturans, de quibus tot cecinere Peripatetici etiam in tenebris palpantes & rei tam profundæ penitus ignari: & quid forma informata ſeu natura naturata. Nam liquet ex prædictis, naturam naturantem fuiſſe mentalem iſtam ab unitate æterna emanationem ſeu effluxum omnia creantem ſeu informantem ſua præſentiâ, juxta illud: Miſit ſpiritum ſuum & creavit omnia. Forma informata ſeu natura naturata eſt lux creata ſeu purus mundi Spiritus præſentiâ mentis Divinæ informatus: ita, ut quemadmodum divinitas in homine dicitur Verbum incarnatum ſeu veſte carnea indutum: ita quidem Spiritus Divinus ſpiritum creatum, quaſi veſte induens poteſt optimè ad verba iſta Pſalmis referri, Amictus lumine quaſi veſtimento. Inveniemus ergo in eodem Exodi capite, quòd organum ſpirituale, in quo Spiritus Dei operatur & reſidet, quandoque dicitur Angelus, nimirum quatenus eſt alteritas, hoc eſt, reſpectu ipſius externi. Atque iterum ibidem, Iehova quandoque dictitatur, videlicet ratione formæ æternæ ſeu identitatis illius puræ, quæ agit & operatur in eo. Et alibi dicitur, quòd Angelus præcederet Iſraëlitis in columna nubis diurno tempore & in columna ignis nocturno. Atque iterum dicitur in eadem Hiſtoria, quòd Iehova eos in eodem ordine & modo præcederet. Et ſapiens dicit: Fuit ſapientia ijs regumentum interdiu & lux ſtellaris noctu. Atque hujus rei ratio alibi ſic exprimitur: Noli (ait Textus) exacerbare Angelum meum, quem mitto ante vos, quia non feret defectionem veſtram, quoniam nomen meum eſt in eo &c: ubi per nomen ejus intelligit Verbum ſeu Spiritum divinum in externo Angelico, quod illud inſpirat & animat, ut ex loco præcedenti Sap. 10. 17. apparet. Quòd autem mens divina, quæ ſuo actu vivificat mundum, ut ſumitur ſimpliciter, ſit effluxus abſolutus mentis ſeu unitatis æternæ in ſpiritum mundanum, ex iſto Textu colligimus: Animam & ſpiritum dividit & diſcernit ſermo Dei vivus: Vbi per ſermonem ſeu verbum intelligitur radius mentalis, & per ſpiritum intenditur natura mundi humida & paſſiva, quæ præſentia verbi ſeu radij mentalis exiſtit; cujus ablatione annihilatur anima creaturæ per diſjunctionem partium illius. De ſpiritus illius mentalis ablatione & adhibitione ab anima creaturæ: hæc dicit David: Deo recipiente ſpiritum ſuum à creaturis expirant; emittente ſpiritum, recreantur bono &c: Quibus tam animæ ex ſpiritus mundani cum illo divino unione creatio, quàm ſpiritus Divini à ſpiritu mundano diviſio & ſeparatio arguitur. At jam iſtud totum definitionibus animæ in genere nonnullis quorundam Eccleſiæ Patrum atque Philoſophorum cum Chriſtianorum tum Gentilium, tum quatenus relationem habet ad corpus aliquod, quàm ut conſideratur ſimplicitur in ſe & in conditione ſua ſeparata oſtendam: Damaſcenus ait: quòd anima ſit ſubſtantia ſpiritualis, à divinis fontibus emanans, ſimplex, indiſſolubilis, immortalis, libera, incorporea & indiviſibilis quantitate, figura, pondere & colore carens. Cui etiam aſtipulatur D. Bernhardus. Et Auguſtinus eam definit in hunc modum: Eſt mens divina omnia intelligens, omnibuſque ſe aſſimilans. Atque ob iſtam etiam rationem Philoſophi nonnulli volunt, quòd ad ſimilitudinem ſpiritus ſapientiæ ſit efformata, qui cognoſcitur eſſe imago Dei: quoniam ſecum portat, & in ſe continet cujuſlibet rei ſimilitudinem: ab ipſis ergo definitur cujuſlibet rei ſimilitudo: unde virtutem in ſe habet omnia comprehendendi. Iterum omni rei aſſimilatur, quatenus eſt unum in omnibus. Sunt etiam ex Philoſophis Myſticis, qui animæ humanæ naturam pleniùs in iſta definitione concludunt: Anima eſt lux quædam divina ad imaginem Verbi, cauſæ cauſarum, primi exemplaris, creata, ſubſtantia Dei, ſi gilloque figurata, cujus Character eſt verbum æternum. Alij eam definiunt ſic: Eſt res incorpotea omni decore adornata, ſanctæ Trinitati aſſimilata, æternæ gloriæ adæquata; vel ſic: Eſt ſpiritus intellectualis ſemper vivens, ſemper in motu. Et ſecundum ſui operis officium varijs nuncupatur nominibus: Dicitur vita, dum vegetat; Spiritus, dum contemplatur; ſenſus, dum ſentit; animus, dum ſapit; mens, dum intelligit; ratio, dum diſcernit; memoria, dum recordatur; dum vult, voluntas:

m.1.

Ilip.2.6.

Hebr.4.

Pſal.104.29. 30.

Damaſcenus.

Bernhardus

Auguſtinus.

ith.16.17.

Sap.7.

L142.

od.3.

Agrip. lib.3. cap.37.

.10.17. od.23.20.

At ista omnia non sunt nisi una essentia, sed proprietate diversa &c: ubi eam mentem & spiritum non secundum essentiam, sed respectu proprietatum operandi: Ego verò eos tetigi quasi partes animæ constituẽtes: Sciatis autem velim, definitiones has posteriores ei assignari, quatenus cum corpore conversatur. Iam verò si more debito istas omnes descriptiones de essentia & proprietatibus animæ, tam in ipsius libertate, quàm tempore incarcerationis in corpore humano examinaverimus, inveniemus quidem, quòd à prædicta mea intentione nullatenus discrepare videntur: Nam, primùm probatur, quòd sit divinitatis seu emanationis divinæ soboles, & tunc quòd habeat pro suo externo subtilissimum spiritum mundi creatum, quæ mixtio facit eam alteritatem, seu ex duobus compositam, videlicet ex lucida externi fontis emissione & spiritu mundano, atque ideò in prædictis definitionibus dicitur respectu sui interni, nimirum in prima definitione substantia spiritualis à divino fonte emanans: in secunda mens divina: in tertia imago seu similitudo divinæ sapientiæ: in quarta lux divina secundum imaginem verbi, & substantiam Dei, cujus Character est Verbum: in quinta similitudo sanctæ Trinitatis, coæquata gloriæ divinæ: Quòd autem ista divinitas participet cum spiritu mundano, apparet ex definitione sexta & septima, in quibus (respectu suæ substantiæ externæ) dicitur spiritus, qui spirat in corpore & est vehiculum formalis actus, qui est effectus virtutis radij divini. Vnio igitur spiritus mundani cum mente divina constituit animam, ita, ut anima includit mentem & spiritum; quorum illa est increata; hic creatus, quasi internum & externum unius alteritatis seu compositionis Angelicæ. His igitur in primo loco consideratis, prædictas Philosophorum & Cabalistarum opiniones per testimonia sancta confirmare aggrediar. Et primùm cum magno Cabalistarum Angelo Mitattron, quasi dono Dei exordiar, quem dicunt esse Catholicum intellectualem agentem, à quo omnes particulares formæ descendunt. Apostolus ait, quòd ipse vivificat omnia. Et Salomon: Quòd Spiritus Sapientiæ sit arbor vitæ & fons atque origo vitæ: Et si iste spiritus sit fons vitæ, tunc respiciatis velim ista filij Syrach: Deus effudit sapientiam super omnia opera sua & super omnem carnem secundum datum suum: atque hic erat Catholicus & Angelicus iste spiritus, quem Deus, quasi nuntium spiritualem ex se ipso in forma emanationis emisit, ad movendum super aquas eosque informandas & vivificandas, non modò generaliter in majori mundo, sed etiam in qualibet ejusdem particula: Atque ista emanatio erat in verbo Domini, à quo omnia sunt facta & vivificata, utpote in quo erat vita, teste D. Iohanne. Hinc ait Apostolus: Christus implet omnia, & est omnia in omnibus: & in principio fecit cœlum & terram & omnia: eaque verbo virtutis suæ portat. Hoc verbo Domini cœli fuerunt firmati & virtute spiritus ab utrisque procedentis omnes cœlorum & consequẽter munditotius virtutes, & per consequens mediantibus ijs mundi vita, actus & præservatio est orta: Vnde concludit D. Paulus, quòd Deus non aliquo indigens dat vitam, inspirationem & omnia: & quilibet Philosophiæ peritus agnoscet, animam nihil esse aliud, quàm illud, quòd tam corpus, quam spiritum animat sive vivificat: Cur igitur dubio ulteriori moveamur, an spiritus divinus Catholicus, qui implet omnia & omnia in omnibus operatur, sit fons & origo atque caput vitæ ac animæ mundanæ, qua vivit, movetur & existit: & per consequens essentialis vita & centralis & mentalis forma sive anima mundi, cujus vehiculum seu amictus est spiritus Catholicus mundi tenuissimus, quem movet & excitat haud aliter, quàm corpus ab ipsa anima movetur & exagitatur, vel, ut spiritus vitæ à Deo Adamo inspiratus movetur, & exagitatur mediante organo subtili aëreo in corpore ipsius? Quid? Existetne æternus & vivificans sapientiæ spiritus, qui dicitur implere omnia & ubique ad esse, & in se habere Catholici & primitivi creati Angeli naturam: Nam (teste Sapiente) prior omnium creata erat sapientia: existitne, cum sit Catholica mundi anima seu vita omnium, quatenus est emanatio claritatis omnipotentis & splendor claritatis æternæ, & speculum sine macula Majestatis Dei & imago bonitatis ipsius, qui est unicus, simplex, subtilis, permanens in se ipso & magis penetrans & mobilis omnium rerum (quæ omnes proprietates Angelo à D. Dionysio & à Patribus anteà allegatis animæ in abstruso assignantur) existetne, inquam, in omnibus, & cœlestem mundi utriusque spiritum nimirum majoris & minoris implebit, & nonne in ijs actus sui vivificantis & multiplicantis effectus producet? Anne manebit in creatura otiosus & vacans? Anne spiritum suum agilem & vivacẽ in mundum mitteret, ut quiesceret, & activa sua functione abstineret? Non certè: Nam Pater operatur in ipsum secundum suam voluntatem ordinando, & ipse voluntatem ejus in creaturæ spiritu, quem inhabitat, accomplet, ordinata sui Patris exequendo: A Deo Patre, ait Apostolus, omnia per Iesum Christum Dominum nostrum. Hinc Iudith: Deo serviat omnis creatura, quia dixisti & facta sunt, misisti spiritum & creata sunt. Ita, ut magnus mundus cum homine gloriari queat, quòd ad imaginem Archetypi sive Dei Creatoris esset factus, & quòd in eo vivat, moveatur & existat, secundum illud Apostoli ad hominem, qui est mundus minor. Videtis ergo ex his, quòd Mitattron seu Donum Dei Cabalistarũ, quem pro intel-

I. Tim. 6. 13. Proverb. 3.
Eccles. 1. 9.
Ioh. 1.
Ephes. 4. Coloss. 3. Heb. 1.
Psal. 33.
Act. 17.
Sap. 1. Sap. 12. Eccles. 1.
Sap. 7.
1. Cor.
Iudith. 16.
Act. 17.

pro intellectuali agente Catholico habent, est nihil aliud, quàm universus ille sapientiæ spiritus, quem Deus à Throno suo, vel, ut alibi habetur, ab ore ejus, tanquam maximum erga mundum utrumque sui amoris & benignitatis argumentum & donum emisit; ut pote, cujus præsentia ejus substantia ex nihilo deveniunt aquæ, & illæ aquæ à deformitate & non existentia reducuntur in actum & pulchritudinem vivam, ijsque vita & existentia explicitè attribuuntur, quæ anteà erant complicitè in tenebrosa quasi mortis umbra inclusæ; intelligo ex deformi Chao, seu Tenebrosa Abysso, in formâ jucundâ ex somno lethali & quiete quasi tenebrosa in vivâ actionē & motionem & ab obscuritate in lucē producuntur. Atque iste utrique mundo benefactor, dictus est meritò Mitattron, seu Donum Dei Catholicum, ut pote mediante quo universum nihilum deforme universale aliquid speciosum redditur. Sed, ut melius possim vobis naturam Angelicam istius supremæ intelligentiæ dictæ Mitattron, & consequenter mundi animam, demonstratione Philosophica indicare, velim in primo loco modum, intelligatis, per quē Philosophi antiqui ac potissimum Platonici suam mundi & spiritus ejusdem harmoniam demonstrant: Heptachordum, quod Plato invenit, & ad animam mundi probandam adaptavit, ex septem Chordis sive proprietatibus partim paribus, partim imparibus constitebat: Nimirum 1. 2. 3. 4. 8. 9. 27. Quas quidem proportionēs tametsi Proclus & Porphyrius in unica linea descripserunt: nihilominus mihi videtur, quòd Adrastus & Calcidius illas magis propriè lateribus Pyramidis seu Trianguli adaptârunt in istum modum.



In creatione.

In cujus Pyramidis cono seu summitate 1. exprimitur, quæ unitas, quatenus ex uno latere participat cum materiali existentia, nimirum cum 2. 3. & 4. & ex alio latere cum emanatione formali commercium habet, evidens est, quòd iste punctus seu 1, unitas, à qua ambæ hæ lineæ differentes procedunt, est fons & origo tam materiæ, quàm formæ: Vnde est tam Synesij, quàm aliorum Theosophorum opinio à sensu scripturarum minimè discedens, quòd Deus sit omne, quod est; quippe à quo, per quem & in quo sunt omnia: quòd sit mas & fœmina, vel (ut Mercurius Trismegistus habet) utriusque sexus fœcundissimus, quòd sit potentia & actus, quòd sit forma & materia: Imò verò, ait, nihil est, quod ipse non existit. Sed hoc totum (ut diximus) cum harmonia sacrarum literarum convenit; ut pote, quæ agnoscunt, Deum esse omnia in omnibus & super omnia: &, quòd in ipso omnia consistunt, & quòd ex ipso, per ipsum, & in ipso omnia. Synes.

Sex aliæ figuræ correspondent inter se directé se ipsas à latere materiali ad illud formale respicientes: nimirum numeri in regno materiali pares, illos regni formalis impares, ipsis proportionaliter convenientes, intuentur: Nempe 2. respicit 3. & 4. intuetur 9. & 8. 27. Quibus equidem correspondentijs species omnium creaturarum cum suis Harmonijs vivaciter exprimuntur, & in prima serie gradum illum Harmonicum animæ mundi, qui erat in principio & in eodem statu adhuc permanet, more quasi Hieroglyphico designat. Nam, inprimis secundum Archetypi exemplar, ab (1) uno fortita sunt (2) duo, qui numerus à Pythagoricis unitatum confusio dicitatur; atque ob hanc causam est radicalis & incipiens imperfectionis numerus, qui respectu suæ confusionis & imperfectionis est in eadem relatione ad unitatem, à qua ortum suum habet, ac lucida æterna unitas est ad tenebrosam Abyssum sive informe Chaos, quod à Poëta dicitur rudis indigestaque moles, & quàm rectissimé dicitur imperfectus numerus: quoniam lucis æternitas effluxus, qui est omnis perfectio, illū quasi aquas in potentia nondum sua præsentia fecisset perfectum: Et, ob istam rationem materia aquea, quæ ex Chaos est extracta, est per sę confusa, imperfecta: haud aliter, quàm numerus binarius (2) æstimatur respectu Ternarij (3) imperfectus, & non nisi unitatum confusio, quoniam omnis perfectio consistit in tribus terminis; videlicet principio, medio & fine, ita, ut, si eligatis unam unitatem ex 2. pro principio & aliam pro medio, nihil relinquitur pro fine, & per consequens deest ipsi perfectio: Si ponatis unitatē pro principio, & aliam pro fine, tunc ad sunt duo extrema, sed deest illi unitas pro medio: si unam unitatem pro medio & aliam pro fine assignaveris, tunc deerit principium. Quare sequitur, quòd iste numerus sit in se imperfectus, & consequenter aquæ per se sunt imperfectæ, ut pote in quarum constitutione natura abyssi Tenebrosæ, seu matris & naturæ humidæ adest; sed deest formalis illa unitas, quæ in se, quasi in Pyramidis sive Trianguli Isoscelis cono adhuc se continet. Pariformiter, si unitas actua- Rom. 11.

tem ſuum effluxum, ut perpulchram & ſplendidam vitæ unitatē non emiſiſſet, numerus 2, ſeu deformes aquæ, in ventre Chaos in ſuo obtuſo, confuſo aut imperfecto ſtatu manſiſſet, hoc eſt, ſine forma alicujus rei perfectæ: nempe, Nihil aut aliquid in ſola potentia; ita ut materia ſeu aqua Catholica, antequam ab unitate lucida (quæ tertiam facit unitatem) erat informata, eſſet planè vacua & inanis: quatenus ei deerat Vnitatis informantis præſentia, mediante qua vacui & inanitatis indiſpoſitionem deponit & pulchritudinem plenitudinis induit: ita, ut ejus vacuitas mutatur in plenitudinem, ejus potentia in actum, ejus tenebræ in lucē & ejus deformitas in lympidam, ſpetioſam & vivificam pulchritudinem: ac denique ejus imperfectio in perfectionem eſt mutata. Atque hinc dictum eſt, quòd Deus vidit, quòd creatura iſta eſſet bona, hoc eſt, impleta erat vivificâ divinitatis eſſentia, quæ eſt abſolutè & tantummodò bona. Hac igitur ratione, nimirum additione formalis unitatis, numerus confuſionis & imperfectionis, quæ erat in materiali dualitate cum Chao (quod eſt materiæ mater) Symbolizante, in mundi lucem editur & producitur perfectio ſeu numerus Ternarius. Nam unitas illa formalis animando & induendo aquas ſuperiores facit primariam, perfectam & digniſſimam mixtionis ſpeciem, uniendo ſcilicet unitatem mentalis lucis & cœleſtem ſpiritum in Angelica eſſentia, quæ tum poſteà traditur omnia mundana animare atque informare. Atque formalis iſta unio ſignificatur Symbolicè per 3. ſeu numerum Ternarium, qui ob iſtam rationem dicitur perfectionis, & numerus animæ ſeu radicalis numerus formæ in curſu naturæ. Hinc ergo eſt, quòd Platonici & Pythagorici exprimant materiam, quæ eſt imperfecta in ſe paribus ſive imperfectis numeris & quemadmodum in mundo Archetypo per 1. 2. & 3. in forma ſacræ Trinitatis deſignato, non apparent niſi tres Ideales dimenſiones in unica divina ſive æterna natura & eſſentia, quæ in modo ſuæ progreſſionis deſignant in arte Coſſica radicem, quadratum & Cubum, quæ important animam ſupremam & ſpiritum & corpus mundi idealiter in Archetypo depictum: Et liquet, quòd iſta tria videntur ab unica 1. ſeu unitate exurgere: Nam multiplicando 1. per 1. producitur 1. & ſe ipſam, quæ ſunt duo, quaſi ſimplex ideale quadratum, & iterum multiplicando quadratam illam unitatem in ſe aſſurgunt 2. & unum, quæ faciunt 3. ſive cubum ſimplicium unitatum, qui arguit perfectionem mundi Idealis, qui eſt in Deo: ita, ſi accipimus radicalem & ſimplicem numerorum ex duabus unitatibus pro radice, producemus ad exemplar prædictum Archetypicum mundum Typicum creatum, nimirum, ſi tres materiæ dimenſiones, videlicet. Longitudinem, latitudinem & profunditatem ejus per progreſſionem à radice in quadratum, & à quadrato in Cubum materiæ inquiramus: Radix ergo materiæ erat 2: Nam, tametſi ſuprema unitas ſe ipſam multiplicet & dilatet in 2. exinde arguens ſuum primogenitum; tamen, quoniam Spiritus ſanctus illuminationis non emanabat, omnia fuerunt tenebroſa quo ad nos: Quare imaginari debemus, quòd materiæ multiplicatio in hoc mundo eſt nihil aliud, quàm lucis formalis in abyſſum aqueam ſive multitudinem materialem penetratio: Nam, quo denſior exiſtit materia, eò propinquiùs accedit ad ſuam radicem 2. ſive tenebroſum Chaos. Iterum, quò ipſa per opulentiam & abundantem lucidæ manationis formalis præſentiam facta eſt tenuior, eò propinquiùs ad formalis unitatis radicem accedit. Hoc, inquam, Myſterio rectè intellecto, omnis ſcientia etiam in Philoſophia abſtruſiſſima facillimè diſcerni poteſt. Radix ergo materiæ, quæ eſt, 2. Tenebroſum Chaos importat: Radix verò formæ, quæ eſt 3. arguere videtur, quòd radix 2. quæ deſignat aquas tenebroſas ſit per formalem & ſplendidam unitatis ſeu 1. emanationem ſive extenſionem animata; atque ita primus (2) ſeu numerus binarius erat completus & anima mundi creata ſeu revelata, nimirum, per Angelicam emiſſionem ſeu effluxum. atque hoc modo Cabaliſtarum Mitattron ſeu Donum Dei ſeu anima mundi erat primitus producta, quæ juxta traditiones eorum dicta eſt prima creatura ſeu primum omnium creatum. Hoc quidem optimè cum hoc Syriacho conſentit: Prior, inquit, omnium creata eſt ſapientia: Deus creavit illam in Spiritu Sancto. Atque in & per iſtam creationem Angelicam omnes etiam alij Angeli ſunt facti: Vnde dicitur: Chriſtus eſt imago Dei inviſibilis, primogenitus omnis creaturæ, in quo edita ſunt univerſa in cœlo & in terra viſibilia & inviſibilia, ſive ſint Throni, ſive Dominationes ſive Poteſtates, omnia per ipſum & in ipſo omnia ſunt, & ipſe ante omnia & omnia in ipſo conſtant &c: Ecce hîc deſcriptum habetis verum Spiritum Catholicum, qui non omnia tantùm fecit, ſed & eſt omnia, quippe, qui ea vivificat, cùm omnia ſint in ipſo, ſed etiam facit voluntatem Patris in omni creatura quam formavit. Hinc ergo dicitur à Rabbinis Mitattron ſeu Donum Dei, & à Propheta magni Conſilij Angelus: & vocabitur nomem ejus (ait Propheta) magni conſilij Angelus. Itaque multiplicando 3. in eo habebimus quadratum formale creatum, quod importat 9. ordines Angelorum, qui proprietate dicuntur variate ſecundum diſpoſitionem & proprietatem effluxionis illius ſanctæ, quæ ab infinito luminis fonte ad multiformiter in hoc mundo operandum emittitur. Et formale quadratum 9. in ſua radice 3. multiplicatum, producit corporalem cubum: ita, ut

Eccleſ. 1.

Coloſſ. 1.

Iſai. 6.

omnia

omnia corpora sint conflata ex subſtantijs tenuibus, multiplicando quodlibet quadratum in ſua radice, & prodibunt 27. pro cubo formali & 8. pro illo materiali: Quæ arguunt, quodlibet corpus Elementatum ſive materiam compoſitam: & quemadmodum materia, quò magis multiplicatur in ſe, eò levior, tenuior, ſpiritualior & clarior erit creatura, quam informat, ita, ut formalis radix, quadratum & Cubus importent eſſentias & animas creaturarum tam ſuper cœleſtium ſeu ævialium, quàm cœleſtium & Elementarium, quæ ſecundum majorem vel minorem formæ proportionem vel magis vel minus digniores redduntur. Nam ſecundum iſtas in forma multiplicationes creaturæ magis vel minus in valore & gloria exaltabuntur. Videtis jam, quàm longè & quibus proportionibus tam ſpiritualibus, quàm materialibus harmonia mundi Platonica ſe extendat, atque etiam ex ijs obſervare poſſitis, quòd, ubi proportio iſta Harmonica non eſt inter materiam & formam, neceſſe eſt, ut ibi adſit tam corporalis, quàm ſpiritualis diſſonantia ſeu diſcordia, & per conſequens Antipathia. Videmus prætereà, quòd vitæ radix in compoſitione Angelica ſeu alteritate fixatur: nimirum in mixtione ſimplicis & æternæ atque increatæ lucis & puræ ſpiritualis materiæ: ita, ut æterna ſapientia eſt actus primus & anima eſſentialis Angelorum, & ævialis ſeu Angelicus Spiritus eſt actus & eſſentialis vita Stellarum ſeu corporum cœleſtium & influentiarum eorundem, & influentia Stellaris eſt vita & anima ventorum ſeu Elementorum (nam vis vitæ impluitur ab Intelligentijs Olympicis in illas elementares) ſeu ventorum præſides & emanationes ſpirituales ſeu effluxiones à quatuor ventis quadrupliciter informant Elementum Sublunare Catholicum ſive aquas inferiores. Ac tum poſteà Elementum juxta proprietatem, quam ventus prædominans ei aſſignat, multis modis informat meteora ſive impreſſiones Meteorologicas, ex quibus tum poſteà compoſita Elementata fiunt, quæ hac ratione à fonte divino totam ſuam eſſentiam & vivendi rationem multiformiter trahunt, idque ratione differentiæ organorum, per quæ & in quibus indifferenter agit in hoc mundo. Vnde apparet, quòd Deus in principio cœlum ſuperius ſive Empyreum & ſpiritum intellectualem, quod cœlum eſt Angelorum ſedes primùm animaverit, quod radici comparamus, ubi 2. animatur à 3. per additionem 1. ſeu lucis formalis ad materiam 2. Et cœlum Empyreum (intelligo Spiritum Angelicum) animat ſtellas & regionem ætheream, infundendo influentias ſuas in intelligentias Olympicas, quas quadrato referimus: & cœlum ſtellatum eſt quaſi maſculus & multiplicator in cœlo Elementali & creaturis ejuſdem, quas Cubo comparamus. Profectò non modò Cabaliſtæ abſtruſi, ſed etiam Philoſophorum profundiſſimi memoriam ſempiternam iſtius radicis perfectiſſimæ & formatiſſimæ, ſeu numeri ternarij cum tribus dimenſionibus ſuis reliquerunt; non illius mercatorij aut vulgariter in Arithmetica noti, ſed illius in numeratione formali merè ſpiritualis & eſſentialis Characteris, quæ procedit à quadam circulari revolutione & quadrata & cubica multiplicatione. Atque ob hanc cauſam in arcanis naturæ peritiores ſuam formalē & Miſticam Arithmeticam & Geometriam ſuper illud ſubjectum fundaverunt, quæ non circa communia aut vulgaria ſubjecta, ſed totaliter in profundis veræ cabalæ, naturalis Magiæ & eſſentialis Alchymiæ meditationibus verſantur: quæ ſcientiæ, utpote, quas vulgus ignarús temerè & ſine cauſa legitima ſub illis titulis condemnat, ſunt à ſecretioribus artiſtis dictæ ſcientia Elementaris, Cœleſtis & ſupermundana: tum, quia ſeparatarum (ut ajunt) intelligentiarum & ſubſtantiarum naturas pertractant, tum quia ſunt omnium digniſſimæ, quatenus circa cognitionem Creatoris Verſantur. Nam maxima perfectio, in qua homo magis gloriari queat, eſt, ut ad certam Dei cognitionem pertingat: Vnde Propheta: Non glorietur Sapiens in Sapientia ſua & non glorietur fortis in fortitudine ſua, nec glorietur dives in divitijs ſuis; ſed in hoc glorietur qui gloriatur, ſe ſcire & noſſe Deum. Et certè hæ ſunt tres illæ ſcientiæ myſticæ, quæ cognitioni trium mundorum (intelligo Intellectualis, Cœleſtis, & Elementaris) appropriantur: qui mundi juxta Cabaliſtarum dicta hiſce tribus literis nominis אדם Adam repræſentantur. Etiam ſpectant ad tres hominis ſeu Microcoſmi partes, videlicet intellectum, animam & corpus, quod ſubijcitur alterationi & corruptioni. Rabbi Zour ſuper has baſes fundatus, dicit, quòd ſint tres res, quæ in vicem correſpondeant in ternaria iſta dimenſione, quippe, quæ formantur ad exemplum Archetypi ſeu radicalis Ideæ, nimirum Tabernaculum Dei, quod Moyſes erexit, Templum Salomonis & corpus humanum: idque ſecundum trium illorum numerorum ſpeciem, qui ipſis applicantur, nimirū vocalem ſeu operativam, qui eſt extractum menſuræ ad mundum Elementarē formalem, qui eſt extractum à vocali ad cœleſtem & rationalem ſeu divinam, qui eſt extractum à formali ad intellectualem: quod totum efficitur apparens per Tabernaculi deſcriptionem. Hoc Tabernaculum cum tribus prædictis mundis Symbolizavit in ſuis partibus ſeu regionibus. Nam carū anterior erat intecta, & aëri, ventis, nivibus, pluviæ atque omnibus alijs impreſ-

Ierem.9.23.

sionibus Meteorologicis expositа, & perpetuis quasi aëris alterationibus erat obnoxia. Atque ad hanc Tabernaculi partem commune hominum genus, atque etiam bestiæ in assidua vitæ & mortis vicissitudine, ratione continuorum sacrificiorum & holocaustorum, quæ in isto loco offerebantur, frequentabant. Atque ideò ista regio importans cubum materialem Elementari mundo quam rectissimè refertur, quæ conflatur ex materia seu aqua grossiori, quasi substantia fluida & inconstans: atque ob hanc rationem propriè vocatur mundus tenebrarum. Hinc ergo Apostolus vocat Diabolum Tenebrarum principem, & alibi eum vocat hujus mundi principem. ista etiam regio corpori humano refertur. Secunda Tabernaculi portio, quæ erat undique deaurata & candelabris septem luminum ornata & illuminata, est cœli stellati Symbolum cum septem egregijs ipsis luminibus, nimirum planetis. Atque hoc cœlum, ut est inter duo extrema, videlicet illud Empyreum atque Elementare medium, ita quidem hoc de extremo utroque participat, nimirum de aqua & de igne: atque hinc est, quod cœlum dicatur ab Hebræis שמים Schamaym, quasi ab אש Esch, igne, מים Maym, Aqua, & à Græcis Æther, quasi igneus aër. Sed aquea ejus existentia est ideò incorruptibilis: quoniam ejus appetitus adeò nectare formali desuper emisso inebriatur, ut omnis alterationis oblitus sit: motum autem seu activitatem suam ab eodem æterno effluxu recipit, qui juxta Salomonis dictum est omni re mobilior. Et revera est primus motor Catholicus, qui dicitur primi mobilis præsidens, ad cujus actum omnes Intelligentiæ inferiores moventur, & ignes suos rutilantes secum in circuitu rapiunt: haud aliter, quàm videmus, quòd omnes rotæ exteriores, per se quasi mortuæ ad motum unius rotæ centralis moveri animadvertuntur, ut pote quæ rota est earum vita. Hisce ergo colligere possumus, cur ista mundi regio, Cœlum, & Sphæra æqualitatis dicatur, nimirum ratione mixtionis suæ ex æquali portione formæ & materiæ: Etiam, cur appelletur Sphæra animæ, nempe, quia conflatur ex puro & incorruptibili aquarum spiritu, qui est fœmineus & passivus, atque lucido igne seu actu æterno. Nam mens Divina mediante humida ista natura, quæ est ejus Vehiculum seu organum, agit, proprietatem suam vivificantem exprimit & exercet in hoc mundo. Hinc ergo agnoscunt etiam Ethnici, quòd omnis vita consistat ex calido innato & humido radicali, quorum illud est activum & à Deo; hoc est, passivum & à puriori aquarum spiritu, quem quintam essentiam vocant nonnulli. Ista igitur regio ad vitam seu animam humanam refertur, & relationem propinquam habet ad quadratum tam formale, quàm materiale, quod est inter radicem & cubum quid intermedium. Tertia Tabernaculi portio erat *Sanctum Sanctorum*, quæ supercœlestem seu intellectualem sive Empyreum importat spiritum, qui nihil aliud est ferè, quàm purus & syncerus ignis, & traditur à Theologiæ Patribus esse Angelorum atque animarum sedes, qui sunt immediati magni sui Domini & principis Lucis ministri. atque hoc testatur duorum Cherubinorum præsentia, qui suis alis propitiatorium tegunt. Hoc cœlum refertur ad intellectum humanum, qui ab Hebræis vocatur Neshamah, à Græcis *Nous*, & à Latinis Mens, quæ Dominium habet in animam humanam. Ita, ut videre liceat, quòd in magno mundo Cœlum Angelicum, quod est maximè formale, igneum & luce divinâ plenum, est quasi anima cœli ætherei. Nam per illud & ab illo ista regio recipit suam vitam, motum & existentiam, atque proprotione simili cœlum æthereum seu cœleste est vita seu anima & agens in ipsius cœli Elementis. Nam mediantibus Sole, Luna & cæteris Stellis, quæ suas influentias & radices deorsum super terram impluunt, terra & aqua & omnes creaturæ in ijs agunt, vivunt, generant & multiplicant: ita, ut cœlum æstimetur ab omnibus Philosophis esse mas, & Elementum sublunare fœmina, cujus matrix est terra & aqua. nam terra & aqua recipiunt influentias quasi masculi spermata, atque ita omnes generationes in terra & aqua fiunt. Nam corpus terreum operari nequit sine impressione seu contactu aëreo: imò verò ipse homo requirit (ut Peripatetici volunt) assistentiam cœlestem ad suam generationem: Vnde Aristoteles: Sol & homo generant hominem. Porro etiam Philosophi omnes videntur in hoc consentire, videlicet, quòd superiora agant in inferiora instar maris in fœminâ. Et commune est inter Cabalistas peritiores Axioma, quòd omnes res inferiores sint repræsentativæ superiorum. Et profectò vir admodum doctus & in istiusmodi scientia abstrusa bene versatus affirmat, quòd æviale sive Angelicum cœlum esset ad exemplar illius æterni sive Idealis crearum: atque itidem, quòd temporale Elementale esset imago cœlestis, & quòd illud etiam ad exemplar ævialis esset formatum: ita, ut Icones & actiones mundi obscurioris habent suas similitudines Ideales in & à cœlo lucidiori cœlesti; & mundi Stellaris imagines & actiones fuerunt prius in cœlo intellectuali & Angelico depictæ seu delineatæ: atque illius itidem Icones suam sortiti sunt originem à radicali exemplari, seu principio in Archetypo existente. Concludo igitur, quòd tã Theologi, quàm Philosophi mystici conveniunt in hoc, videlicet

Sap. 7.

Reuclin. lib. de Art. Cal.

delicet quòd Deus numero ternario, qui est primus numerus impar pro progressione Arithmetica gaudeat. Nam nos Christiani personarum Trinitatem in unitate veneramur. Et Aristoteles dicit, quòd naturali quodam instinctu, ipsum Deum secundum numerum ternarium revereri instruamur. Nec in consulté est hoc dictum, cùm in mundo Ideali essent tres proprietates ab unitate extractæ (ut supra probavimus) ad cujus exemplar mundus realis erat tum posteà fabricatus, ita ut Trinitas in Divinitate erat radix totius positionis mundi formalis. Nam per radicem 3. mundus intellectualis & Angelicus erat designatus, per quadratum 9 mundus cœlestis, & per Cubum 27. ille Elementaris, quemadmodum ex prædicta Platonis doctrina elicere possumus. Ad Rabbinorum verò & Cabalistarum opiniones quod spectat, ipsi quantitativas istius ternarij proportiones aliter considerarunt. Nam Cubus radicis 3. consistit ex tribus 9. seu numeris novenarijs: ita quidem ista tria 9 capiunt, eaque ordine Arithmetico sic conjungunt 9.9.9. quæ constituunt (999) nongẽta nonaginta novẽ, ita, ut secundum normã Arithmeticã primũ novem versus dextram sit simplex digitus seu numerus digitalis, qui ratione suæ simplicitatis, formalitatis & essentialitatis, attribuitur novem Angelorum ordinibus, qui pertinent ad mundum intellectualem: at (9) novem in medio consistens videtur ex uno latere magis participare de forma seu simplicitate, & ex altero de materia: Atque ob istam rationem illum novem orbibus seu sphæris cœli stellaris attribuunt: Tertius (9) novenarius, qui loco centenorum disponitur importat profundiorem & magis materialem compositionem, quæ ad mundum Elementarem spectat: qui omnes numeri atque etiam mundi regiones tandem in homine terminantur; qui est quasi meatus secundum imaginem unitatis ab ipsis elementaribus ad res cœlestes, & ab illis ad res intellectuales. Denique si unitas, in qua Leucippus Philosophus summum collocabat bonum, sit prædictis tribus novenarijs addita, numerum completé millenarium, qui est cubus ad 10. & finis omnium numerorum secundum Hebræorum Calculationem, constituet. Etiam quadratum radicis 3. quod est 9. additione Aleph, quod est 1. producit denarium numerum, ultra quem (ut Aristoteles ait) nemo unquam invenit numerum. Ad prædicti ergo typi exemplar lux antiqua seu Moysaica fecit fructuum & bonorum, à terra exurgentium, partitionem in partes tres dividi, quarum numerum centenarium, ut pote magis materialem & grossum Laicis & profanis, decimas Ecclesiæ & Presbyteris, ac denique unitatem sive partem decimam pro Deo assignavit, qui ut est omnia, ita quidem non est nisi unum. Sed ad propositum. Cabalistæ adoptaverunt nomen sui Angeli, quem ad animam mundi cum Platonicis referunt, ad triplicitatem istam ternariam seu formalem proportionem; nempe 999. inde arguendo radicalem, quadratam & cubicam extensionem sive formæ divinæ in profunditate materiæ emanationem: & consequenter demonstratur, ipsam esse Alpha & Omega, vivificatorem omnium, qui omnibus est præsens & per omnia penetrat. Nam literæ seu Elementa vocabuli Mitattron Sarhapanim, quod significat principem facierum (qui sumitur pro anima mundi) secundum Calculationem Hebræorum ascendunt ad 999. atque ideò hoc nomen cum literis ejusdem hunc numerum importat, sed tamen nihilominus cum ista consideratione, quòd vocabuli Etymologia per interpretationem significat DONVM DEI. Nam quod, obsecro, donum impertire majus potuit Deus creaturis suis potentialibus & generaliter universo mundo, quàm æternum suæ sapientiæ spiritum, vel suum primogenitum, ut mediante ejus præsentia essentiali ex nihilo quasi aliquid efficeretur, & ut aquarum deformitatem & inanitatem deponendo & reducendo eorum potentiam in actum, & dividendo eas in cœlum & terram, pulchræ & speciosæ redderentur, & existẽtiâ, essentiâ & vitali facultate præservarentur. Hoc erat ergo verum & Catholicum Dei Donum, cujus incorruptibilis natura in est omni rei, ut eam præservet; & implet omnia, ut creaturis nunquam desit: &, quemadmodum hic spiritus est omni re mobilior, ita operatur omnia in omnibus, juxta voluntatem illius unitatis, quæ illud emisit. Hac ergo de causa & respectu ipsius officij ac quatenus erat spiritus emissus, haud immeritò & non sine bona consideratione erat hoc nomen Angeli Catholici teste Scripturâ ei impositum. Possumus etiam aliter demonstrare, mundum ipsum atque animam ipsius esse secundum Archetypi imaginem creatam hoc modo.

Sap 12.1. Sap.1. Sap.7.

Deus.....1 *Lux.*

⋮

Cœlum.....3 *Sphæra æqualitatis.*

⋮

Terra.....2 *Tenebræ.*

In qua demonstratione contemplari liceat, quomodò ex 1, quæ erat lux, in qua non sunt tenebræ ullæ, exsurgeret 2, qui ante lucis apparitionem erat, quo ad nos, tenebræ

nebræ seu tenebrosum Chaos seu abyssus ita dictum, quoniam tenebræ nondum ad aquas informandas effulserunt : Inter ista duo extrema interponuntur 3 , tanquam pacifica & charitate plena unitas, quæ est medium amabile, duo extrema, nimirum lucem & tenebras, in amicitiam perpetuam conjungendi, seu spiritus divinus amoris & concordiæ, qui residens in medio inter duo illa principia, tam situ, quàm conditione extrema, unit & conjungit divinum formalem ignem cum humida materiali natura seu tenebrarum spiritu: ita, ut duæ illæ naturæ olim oppositæ, maneant in una sympathetica concordantia, atque ideò formalis iste ternarius vocatur ligamentum Elementorum, litem & amicitiam concordiæ vinculis connectens.

Excellens ista animæ mundanæ harmonia aliter à me quàm aptissimé mediantibus duabus figuris Pyramidalibus est explanata, quarum una est formalis, altera materialis. Basis formalis Pyramidis, est divinæ lucis fonti contigua, & denotat ista Pyramis lucidam emanationem spiritus omnia informantis & vivificantis, à fonte lucido in existentiam seu materiam informem mundi, ita, ut ejus conus penetret usque ad centrũ tenebrosæ terræ seu abyssi. E regione basis Pyramidis materialis seu aqueæ loco est diametri terræ, qui ab ortu in occasum transit per terræ centrum quasi loco à basi formali oppositissimo & remotissimo : ejus verò conus ascendit usque ad centrum basis Pyramidis formalis : uti hîc depictum habetis.

Figura Pyramidis.



Iam verò, ubi intersectio facta est in medio inter ambas Pyramides, delineavi arcum circuli: quoniam portiones tam formalis, quàm materialis Pyramidis sunt in intersectionis puncto æquales. Ego igitur juxta Platonicorum opinionem voco Sphæram seu orbem per istam intersectionem transeuntem, Sphæram æqualitatis, atque in alio respectu Sphæram animæ, quæ positionem suam habet directé in medietate cœli stellaris, quod propter istam rationem dicitur æther seu igneus aër : ac siquis diceret, æqualis portio spiritus aquarum & formalis ignis à Deo luminis Patre descendentis, ut dictum est, atque ideò, ut in præcedente demonstratione collocavi 3. in centro seu medio lineæ, nempe inter divinæ lucis unitatem 1 & tenebrosum Chaos, vel deformem & confusam diadem (2) Ita in mundo erat corpus spirituale Solis visibilis istius mundi Typici collocatum: in quo Sol invisibilis & increatus, mundi Archetypici posuit Tabernaculum suum, atque ob istam causam à Platonicis Sphæra animæ ritè dictitatur. Et certé ab effectu invenimus, quòd omnis vivificatio procedat potenter ab influentia Solari. Porro tam in respectu pulchritudinis eminentis creaturæ illius, quàm actus vivificantis ejusdem liquidò constat, quòd benedictis divinæ lucis scintillis abundet. Iterum experientia quotidiana docet etiam rusticum & agricolam, quòd sit organum lucidissimum, per quod & à quo ipse, qui vivificat omnia benignitatis suæ effectus seu divinum vitæ nectar in inferiora quotidie effundit atque distillat. Iam verò, quòd ista concordantia vitæ perfectissima & excellentissima maneat & sedem suam habeat in medietate lineæ & quasi Chordæ extensæ ab unitate, seu centro basis formalis ad dualitatem seu centrum basis materialis: ac si esset Monochordi mundi Symphoniaci Chorda, per consonantias musicas, sic probo atque demonstro. Perfectissima consonantia in Musica est Diapason, quippe, quæ ex omnibus alijs propinquiùs accedit ad naturam sacræ unitatis. Nam est dimidia pars unisoni, & per consequens aptissimé sacrosanctæ vitæ emanationi comparatur, quæ ex unitate oritur; atque ideò haud injuria dicitur Idea seu imago unitatis, & ut unitas, cùm non sit nisi unica essentia in divinitate, comprehendit tres personas, importantes tres Harmoniæ Archetypicæ consonantias; ita etiam Diapason comprehendit sub se seu in sua dimensione alias duas Musicæ concordantias, nimirum diapente & Diatessaron: Iam verò, quòd perfectissima illa consonantia in unisoni medietate consistat & sit posita, & duas sua positione centrali in unisono concordantias Diapason procreet, hoc modo probamus. Accipiatur Barbiton, vel aliquod aliud instrumentum musicum ex Chordis consistens, & percutiatur aliqua

aliqua ipsius Chorda apertè & dabit vocem Catholici sive universalis unisoni. Nam, ut Chorda est unica, ita sonus erit absolutè unicus in se & sè habebit, ut Pater consonantiarum, quarum primogenita & dignissima erit Diapason, quæ ex ventre seu centro Vnisoni procreatur hoc modo: Preme Chordam Vnisonam constituentem exactè in medietate, & tunc ambæ dimidiæ Chordæ portiones, se habebunt in proportione dupla, nimirum ut 2. ad 1. Atque ita Diapason perfectissima consonantia sic producetur. Quod est argumentum sufficiens ad demonstrandum, quòd perfectio Diapasontis sit in sede Solari, & consequenter, quòd formalis & viva concordantia totius mundi, quasi monochordi (cujus spiritum refero ad Chordam monochordi) à sede Dei ad terram usque extensa, sit non aliter in isto medio & centrali loco, quàm cor, quod est sedes vitæ humanæ: & tamen per radios Solis hæc mundi vita seu anima facta est Catholica & omnia implet: non aliter, quàm sanguis vitalis universaliter per microcosmi fabricam mediantibus venis & arterijs se expandit. Sed, jam metuo, ne istum punctum, nempe ad probandam animam mundi, sim nimium prosecutus, quare illum relinquo, ut possim, subjecto præmanibus habito, propinquiùs accedere, atque eò magis, quoniam libro quarto sectionis primæ, ubi translationem istam D. Hieronimi sustinui esse veram, videlicet: DEVS POSVIT TABERNACVLVM SVVM IN SOLE, mysterium Solare plenius pertractavi, jam verò ad secundam Philosophorum opinionem procedam. Antiqui Philosophi, Democritus, Orpheus, cum Pythagoricis asseverârunt, omnia esse Dijs plena: at omnes hos Deos ad unicum summum Iovem referunt: ubi per Deos, divinas virtutes omnibus rebus iufusas intendunt, quas Zoroaster vocavit divinos Illices, & Synesius Episcopus Symbolicas illecebras; alij eas vocant animas, alij sortes, in quibus virtutes rerum dependent. In quibus videntur non multum errare, præterquam, quòd essentiam divinam in diversitates Deorum distinguunt: attamen in eo se ipsos excusare & ab hoc errore purgare apparent, quòd omnes illos Deos ad Iovem unicum referant: qua quidem relatione continuitatem & indivisibilitatem animæ cum divinitate agnoscere videntur. Conveniunt ergo cum scripturis in eo, quòd divinam essentiam inesse omni rei fateantur Platonici & omnes illi Philosophi, qui cum eorum opinione participant, in omni re cum Orpheo & Democrito consentiunt, nisi in eo, quòd illi spiritum hunc divinum animam mundi vocant; hi Iovem esse dixerunt, & quòd hi virtutes creaturas possidentes Deos dictitant; illi eas animas peculiares nominant, quæ relationē continuam habent cum anima mundi: Haud aliter & in eodem sensu scripturæ dicunt, quòd Spiritus Dei incorruptibilis insit omni rei. Sap.12.1

Concludo igitur, quòd, cùm anima mundi habeat pro suo interno splendidam unitatis æternæ emanationem, & pro suo externo subtilem Catholicum aquarum spiritum seu naturam humidam, quæ ei loco humidi vehiculi seu organi materialis inservit, in quo & per quod spiritualiter ubique & in omni re operatur, agnoscere debemus, quòd sit quædam contrarietatis species etiam in ipsa anima Catholica mundi, sine qua nulla foret actio & passio in anima creata. At quatenus ipsa est creata ex anima lucida seu natura activa increata, quæ tendit ad Deificationem & exaltationem Spiritus creati, si ipsi adhæreat: & ex creato passivo spiritu, qui est soboles obscuræ & tenebrosæ abyssi seu Chaos, & ideò ad tenebrarum naturam movendam facile inclinatur. Non est mirum, si ratione variæ spiritus istius conditionis ei adsint quandoque passiones bonæ; & quandoque passiones malæ, quæ non modò in cœlis & in terra macrocosmi & creaturarum tam cœlestium, quàm Elementarium ejusdem, sive sint animalia sive vegetabilia & mineralia, sed etiam in mundo minori, qui est homo more oppositio seu contrario operantur: Quemadmodum in primo capite libri hujus sectionis sequenti declarabitur. Sed inprimis operæ pretium existimo, verum mysterium animæ peculiaris microcosmi enodare atque enucleare: ac tum posteà ostendere, quomodò omnes aliæ creaturatum tam animalium, quàm vegetabilium & mineralium animæ à Catholica ista mundi majoris anima procedant & deriventur, ac in suo vitæ statu ab illa præserventur & multiplicentur: Quoniā hoc dubium à præstantioribus Philosophis nondum est plenè & lucidè ad hunc usque diem disceptatum: & per consequens discursus iste meus non debet etiam ab hujus ætatis doctissimis parvifieri aut leviter & negligenter inspici.

CAPVT. V.

Quomodo omnes animæ particulares à Catholica illa mundi anima non modò procedere, sed & suas in ea & ex ea habere præservationes & multiplicationes dicantur, & primùm cum anima creaturæ nobilissimæ, nimirum hominis, incipiam.

Pim.1. HErmes, dictus Mercurius Trismegistus, consultè satis dixit, quòd mundus esset factus ad similitudinem seu typum Dei. Quare, ut unus dicitur Archetypus, ita quidem alter typus dictitatur. ob istam ergo rationem alibi asserit: Scio mundum à Deo atque in Deo; hominem verò à mundo & in mundo consistere; principium autem comprehensioque omnium Deus. Atque iterum sic: Deus est Cosmi seu mundi Pater, Cosmus verò eorum, quæ in Cosmo, & Cosmus quidem Filius Dei & jure Cosmus appellatus est, quia omnia varietate generationis exornat, nec non indesinenti vitæ operatione perpetua necessitatis celeritate Elementorum commissione, ordine genitorum: Cosmus, quæcunque ab ipsa origine suscepit à Deo, perpetuò servat &c: In quibus non videtur ipse à paginæ divinæ sensu discrepare: Quoniam ibi invenimus, quòd Deus in principio creaverit mundum ex materia informi, & quòd naturam mundi humidam seu cœlos mediante suo spiritu vivifico adornaverit, & quòd ab inspiratione ejusdem Spiritus vitæ in mundo mundus & omnes creaturæ ejusdem fuerint animatæ, & quòd illæ creaturæ accipiant ab Elementis mundi substantialibus suam existentiam materialem: ita, ut quemadmodùm Deus per effusionem spiritus sui vivificantis & omnia operantis in mundum fecit humidam & passivam ejusdem naturam operari; & ille spiritus mundanus sic animatus; quippe cujus vis divina in totum & in qualibet ejus parte effunditur cum natura sua interna naturante; haud injuria nuncupatur anima universalis: ita sine ulteriore dubitatione quælibet anima particularis in vasta machinæ mundanæ cavitate procedit, seu procreatur, dependet, seu præservatur & multiplicatur ab & in anima ista Catholica; utpote, cujus est, teste Scriptura, inspirare & vivificare omnia, &, ut alibi habetur, dare vitam, inspirationem & omnia. Quare non modo Microcosmus, sed etiam Macrocosmus in eo vivunt, moventur & existunt. Nec mirum, si vobis Peripateticis asserо, omnes peculiares animas consistere in illa mundi Catholica: haud aliter, quàm omnes radij Solares sunt in Sole: cùm vestrum sit axioma pro certo statutum, quòd totum comprehendat suas partes: Vnde sequitur, quòd quælibet pars particularis suam hauriat existentiam à fonte totius: Sed Catholicus materialis mundi Spiritus inactuatur & informatur à Catholico æterno Spiritu omnia creante & vivificante, qui in sua essentia est indivisibilis. Quare, ut ab immenso vitæ fonte vitæ influentiæ sub forma infinitorum radiorū invisibilis unius Solis expiratæ creaturis infinitis actualiter emittuntur, ut mediantibus ijs vivant & informentur: ita quidem hi vitæ radij non minus sunt continui & indivisibiles à fonte vitæ seu spirituali & invisibili Sole, quàm radij Solares à Sole visibili discerni aut separari queant. Neque erat sufficiens, ut Adam indueret corpus microcosmicum, videlicet massam Argillaceam seu terream pro portione sua materiali seu elementali, nisi spiritus iste divinus à Deo in mundum emissus suæ divinitatis portionem, nimirum vitæ spiraculum, in illud non inspirasset, quo mediante, movebat, vivebat & in statu humano existebat. atque ideò Hermes haud inconsultè dixit, quòd mundus esset imago Dei, & homo imago mundi. Nam, ut Deus aqueum mundi spiritum suo afflatu vitæ vivificabat; ita ille vitæ spiritus, qui est unica essentia indivisibilis cum Patre, in mundum emissus, universalemque ejusdem spiritum implens, non modò hominem, sed etiam omnem aliam creaturam animalem, vegetabilem & mineralem vivificat, præservat & multiplicare facit. Nam (teste Salomone) Spiritus Dei incorruptibilis inest omni rei. Hoc igitur in loco seu ordine priori sagaciter considerato procede sic.

Pim.8.

Pim.9.

Act.17.

Sap.12.1

Specierum super terram varietas ab actu creationis procedebat, quando Verbum FIAT erat editum, & immediatè voluntas locutoris à sua sapientia seu verbo in Spiritu Sancto erat peracta. Sunt autem nonnulli viri consulti, qui putant, quòd omnes creaturarum species seu genera per literas 22. Hebræorum & in ijs essent expressæ & idealiter quasi depictæ; non dico illas externas, quæ vulgariter imprimuntur aut atramento vel arte describuntur, quæ sunt mera umbra respectu aliarum, sed igneæ, formales, lucidæ & spirituales, quæ in tenebrosa abyssi seu hylæ facie seu superficie igneo æterni locutoris verbo in principio sunt sculptæ seu depictæ: Vnde originaliter Elementa quasi Hylementa sunt dictæ, quatenus nimirum in obscuro Chaos sive hylæ Cartha seu superficie sunt descripta secundum sensum & voluntatem Creatoris: ac si verbum Creationis Typicæ mysteria à Deo Patre recipiens ea typicè & secundum

cundum exemplar Archetypicum Characteribus formalis ignis vivis delineaverit: Lingua autem, quæ ex ijs est formata, lingua hinc inde sancta appellatur à pluribus hujus seculi Rabbinis sermone superficiali decantata; à paucis verò essentialiter intellecta: & tamen earum cognitio vera haud minimi apud sapientes in vera tam mysteriorum sacrorum, quàm Cabalisticorum abstrusorum enucleatione existit momenti. Sed, ut procedam, Iuxta divini verbi & Characterum ejusdem formalium tenorem, quorum effectus transeunt sine ulla alteratione mundum, quælibet in isto mundo species, seu quodlibet rerum genus, erat creatum, atque iterum quodlibet individuum cujuslibet speciei, & quælibet species cujuslibet generis, fuerunt factæ ab invicem tam in figura & proportione, quàm conditione seu proprietate distinctæ & diversæ. Iam verò, ut superius dixi, quòd iste Domini spiritus seu Verbum, existens in se unicus & idem in essentia, sed in proprietate multiplex, efficeret voluntatem sui Patris in Creando res tam differentes, ita quidem continuat & præservat omnes has species seu genera per generationem & multiplicationem in suis statibus successivis, & omnium earundem individua per totum suæ existētiæ tempus, mediante tam æthereo, quàm Elementari nutrimento, sustentat: quod quidem alimentum spirituale descendit à cœlo ad nutriendos spiritus cujuslibet individui secundum suam speciem. Nam intelligere debetis, quòd, ut anima mundi est anima generalis omnibus, ita quidem aër factus est aurei ipsius Thesauri sive pabuli spiritualis cista seu arca, quod, dum occultè & more vaporis invisibilis à cœlo in aërem descendit, implet & sustentat omnia: unde, quatenus in aëre aperto natat, tam aptum est ad sustinendam & multiplicandam vitam serpentis, quàm illam hominis, avis, piscis vel arboris &c. Nam, ut primùm magnetica creaturæ vis (quæ omni momento refectionem & alimentum ab isto Nectare seu pane cœlesti appetit,) proportionem debitam istius spiritus seu naturæ Catholicæ attraxerit & introduxerit, generalem suæ conditionis statum relinquit, & specificam Creaturæ dispositionem induit, hoc est, juxta individui naturam, quæ illud recipit, operatur & in eam se convertit; nimirum in cane caninam proprietatem & essentiam, in cœlo illam cœli, in homine humanam, in quercu quercinam, in tritico triticeam &c: sibi assumit naturam: & consequenter est in causa, quòd spiritus cujuslibet creaturæ in eo nutritur & sustinetur. Nam, hoc erat mandatum Creatoris, quòd, quo spiritu creatura juxta conditionem suam in creationis instanti esset creata, eodem etiam sive in nutrimento sive in aëre sustineretur, præservaretur & multiplicaretur. Hinc dicit Philosophus fide dignus: Est in aëre occultus vitæ cibus. Quo innuere videtur, quòd cibus Quintessentialis, quem creatura à Catholico vitæ spiritu in isto mundo recipit, ordinatione divina ubique in aëre pendeat, & volet, ut semper sit paratus pro cibo vitæ creaturarum elementatarum spiritualis supplemento. Hinc scripturæ: Deus dat vitam & inspirationem & omnia: &, quòd vivificat omnia: Et, quòd visitatio ejus conservet spiritum: &, quòd vita adsit benignitate Iehovæ: Et, quòd vitæ fons penes eum sit: Sed istud Propheta alibi luculentius: Deo dante Creaturis colligunt, aperiente manum suam satiantur bono, absc. condente faciem suam conturbantur; recipiente spiritum eorum expirant; emittente spiritum suum recreantur. Et Christus ait in Oratione Dominica: Panem nostrum Super substantialem da nobis hodie, ut Hieronymus interpretatur. Et Salvator idem alibi: Pater vester vobis de cœlo dat panem verum: Panis enim vetus est, qui de cœlo descendit & dat vitam mundo: Sed sat scio à nonnullis adversus me allegatum fore, quòd panis iste hoc in loco intenditur pro pane spirituali, & non pro materiali nutrimento. Concedo ego, quòd in hoc haud inconsulté loquantur & arguant. Nam cibus iste est spiritualis, atque ob istā rationem reservatur pro creaturæ corde & arteriis, & nihil in se est, quàm pura vita: Nonne dicit salvator, quòd non solo pane vivat homo, sed omni Verbo, quod procedit ab ore Dei? At sermo iste intelligebatur de Manna illa Moysaica, qua mediante Israëlitæ fuerunt in deserto nutriti. Et Apostolus vocat illud alimentum, & Petram spiritualem, quæ erat Christus. Et ideò dixit Petra illa spiritualis: Ego sum panis vitæ. In hoc ergo verbo solummodò & in nulla alia re, est solùm hoc verbum in alimento, quod nutrit & sustentat & non alimenti externum. Nam in hoc verbo inest & erat vita. Hinc dictum est à Moyse post creaturarum creationem: & vidit, quòd omnia, quæ creavit, essent bona, hoc est, non inania & vacua, sed essentia divinitatis plena. Hinc ergo omnis creatura dicta est bona participativé, quoniam participat de illo spiritu, qui solus est Bonum & Bonitas. Remetiar ego, quid nonnulli ex Philosophis Ethnicis dixerint de hac re, qui (in Christianorum dedecus sit dictum) profundiorem habuerunt in divinis mysterijs inspectionem, quam plurimi istius ætatis doctores, qui Christianorum nomine insigniti majores videntur, ut pote in veris Christiani fundamentis steriles, quàm rei veritate sunt. Vnde & aptiores ratione suæ inscitiæ redduntur, ea omnia, quæ à Philosophis Antiquioribus sunt prodita, condemnare, ipsosque pro reprobatis & damnationi adjudicatis habere, sermonis profectò Apostoli immemores, quo docentur, quòd omnes homines sint ex divina generatione. Sed ad propositum. Zeno

Act 17.25 Iob.10.12. Psalm.30.6. Psalm. 36.10 Psalm.104. Iohan.6. Matth.4. Deuter.8.3. 2.Cor.11. Ioh.8. Ioh.1. Gen.1. Act.17.

Philosophus animam humanam ignem naturalem; & Prometheus, ignem cœlestem homines vitâ ditantem vocarunt. Et quoniam iste Prometheus traditus est, possessionem ignis istius habuisse, ideò à Poëtis fingitur, ipsum pro surreptitia sua ignis istius é cœlo ablatione graviter à Iove fuisse punitum. At Hermes illam ignem verbi humidæ naturæ adhærentem vocat. Et Zoroaster atque Heraclitus dicunt, illam fuisse ignem invisibilem, mediante quo omnis generatio & multiplicatio solet fieri. Cùm ergo ignis ille vitæ nunquam moriturus sit in Creatura animali, necesse est, ut pro conservatione & multiplicatione illius à suo simili in aëre omni temporis momento nutriatur: quod, ni fiat, necesse est, ut vita creaturæ evanescat, atque ita Creatura pereat. Atque hoc est illud, quod Parmenides videtur intimare, ubi ait: Natura suâ naturâ lætatur. Hanc ob causam ignea vitæ virtus suam positionem habens in cordis creaturæ centro, cum gaudio, delectatione & appetitu insigni per magneticam quandam proprietatem suum simile ex aëre mediante inspiratione attrahit. Nam (ut dixi) occultus vitæ cibus seu alimentum est in aëre. Hæc ergo est ratio, quòd Author quidam anonimos optimè in mysterijs Dei & naturæ versatus hoc dicat. O natura cœlestis veritatis naturas multiplicans! O natura fortis! Natura vincens & superans suasque naturas gaudere faciens! Quibus arguit, quòd adjumento & visitatione istius naturæ cœlestis, spiritus vitales & flammæ ijs inclusæ crescant & multiplicentur. Nam hujusce virtute non modò vita, sed & fructus generationis procedunt & more infinito producuntur. Inferimus ex his, quæ jam dicta sunt, quòd aër Elementaris sit influentijs vitæ, vegetationis, multiplicationis & formalibus seminibus plenus: quatenus ipse est arca Dei Thesauraria, divinis radijs & donis cœlestibus locuples & exuberans. Nec spectat ista mea assertio ad regnum solummodò animale compositionis, sed etiam ad illud vegetabilium: nam hoc ipsissimo spiritu vegetant, hocque multiplicant in infinitum, & suam existentiam habent. Nam ego sum ipse ocularis testis, atque etiam possum, si opus est, demonstrare, quòd spiritus tritici vegetabilis, in quo secretus spiritus habitat sit purus sal volatilis, qui nihil est aliud, quàm aër specifici seu tritici essentificatus. iste sal volatilis est liquor unctuosus, tam albus & clarus, ut Christallus, cujus nihilominus internum igne vegetabili repletur, quo mediante in infinitum multiplicatur. Nam iste ignis formalis est vis quædam Magnetica, per quam sibi similis vitæ & vegetationis exuberanter ex radijs Solis, qui est arca Dei Thesauraria vitæ, & vegetationis, mediante vehiculo aëreo extrahitur. Percepi ergo, spiritum istum vegetabilem à suis ligamentis Elementaribus liberum, & in liquoris lympidissimi formam redactum, radiorum solis formalium adeò cupidum & tantâ sympathiâ appetentem, quòd ipse solaribus radijs per spatium trium horarum expositus, tantam sibi tincturam solarem sive formalem ad se attraxerit, ut ab albicante & Cristallino colore in rubinum sanguineum esset factus. Quo experimento facillimè revelabatur formalis tam animalium, quàm vegetabilium multiplicandi ratio. Nam, hæc est ratio, quòd granum Tritici in infinitum quasi multiplicatur. Prætereà nullus verus & peritus Philosophus ignorare potest, quòd nitrosa illa cujuslibet rei natura, quæ non est nisi aër, qui virtute secreti illius spiritus, qui eam inhabitat, tam aërem, quàm formam cœlestem ad se attrahit: quoniam formalis actus non nisi per medium seu vehiculum aëreum in creaturam queat inspirari. Atque hæc est etiam ratio, quòd tam quantitativa creaturæ substantia respectu aërei vehiculi, quàm formalis essentia creaturæ augeatur indies, atque incrementum suum habeat: Vnde patet, quòd ab illo eodem spiritu tam vegetatio, quàm multiplicatio oriatur. His ergo cum diligentia perceptis, ratio in promptu erit, quomodo Chylosus humor albicans in rubicundum sanguinis colorem sit exaltatione transmutatus, atque etiam modus vegetationis & multiplicationis in animalibus atque multiplicationis seu incrementi per viam generationis animalium. Sed, quoniam in primo Anatomiæ meæ tractatu, ubi de Tritici seu Panis Anatomia sermonem saris amplum de admirabilibus spiritus istius vegetabilis proprietatibus feci, ideò plura hoc in loco de ipsis non loquar, sed ad animæ microcosmicæ mysterium me convertam. Spiritus vitæ erat taliter à Deo in hominem terreum inspiratus, ut subitò massa in creaturam animalem esset redactus: Haud aliter, quàm cùm Ruach-Elohim aquas inspirasset, ipsæ erant immediatè animatæ, vivificatæ & in mundi magni imaginem formatæ: ob quam rationem Platonici eum vocarunt magnum animal: Sed, ut mundus erat factus ad imaginem Dei, antequam homo erat creatus, & tum postea ipse homo virtute ejusdem spiritus erat in mundo ad exemplar verbi vitæ seu spiritus prædicti imaginem formatus: ita considerare debemus, quòd homo habeat modum vivificationis, sustentationis, præservationis atque multiplicationis suæ ab anima mundi & Elementis ejusdem. Quare Hermes, haud indiscretè descensum & ingressionem spiritus mundi vivificantis in corpus humanum hoc modò describit: Aër, ait, est in corpore, anima in aëre, mens in anima, in mente Verbum; verbum autem est eorum omnium Pater. Quibus arguit distinctionem illam à me anteà relatam, quæ est inter mentem, animam & spiritum, ostenditque, quòd summum animæ mysterium

Prometheus.

Hermes. Zoroaster. Heraclitus.

Parmenides.

Pimander.

rium sit mens, Pater & Verbum. Porro etiam concludere videtur, quòd verbum sit imago Dei, mens Verbi, anima mentis, aër animæ & corpus aëris. Quo discernere possumus admirabile illud ligamentũ & nexũ quẽ membra mundi habeant inter se, atque etiã declaratur, quod prior Elemẽtaris materiæ portio sit aër, & quòd purior in aëre sublimitas sit forma vitalis seu anima, cujus caput est mẽs divina, cujus radix est verbũ, in quo erat vita. Quare patet, quòd mens illa in anima accipiatur pro spiritu sapientiæ, utpote cujus fons est Verbũ Dei, ut testatur Syriachus, quippe, quæ implet & vivificat omnia. Est enim in eo, teste Davide, omnis virtus cœlorũ, & per consequens vis informandi, generandi, vivificãdi, vegetandi & multiplicandi. Ac sic ego cum Hermete dicerẽ, quòd lucidus & æternus Dei spiritus in spiritu Quinteſſentiali seu Æthereo faciat animã in aëre, eamque introducit mediante vehiculo aëreo in corpus humanũ, in quo producit effectus vivificationis & multiplicationis speciei. Quare alibi dicit: Anima hominis in hunc vehitur modũ: Mens in ratione, ratio in anima, anima in spiritu & spiritus in corpore: Spiritus per venas arteriasque sanguinẽque diffusus animal undique ciet &c: Debemus igitur imaginari, quòd aër, qui per inspirationẽ attrahitur ad cor sit istiusmodi divini vitæ Thesauri plenus, qui ad cor humanũ in suo vehiculo per inspirationẽ introductus semper suũ simile ad se virtute quadã Sympathetica attrahere non desinit. Nã natura lætatur & gaudet in sui similis præsentia, uti diximus: atque iterum, quòd cor sit pretiosum thesauri vitalis sacrarium, agnoscere videtur David in istis: Cor tuũ inquit, custodi supra omnẽ observationẽ: quia ab eo procedunt actiones vitæ. Modus atque instrumenta, per quæ spiritus ille more Sympathetico attrahit, & post attractionẽ illud aëreum vehiculum, quòd est superfluũ expellit, sunt hujusmodi.

Eccles. 1.

Psal. 10.

Psal. 123.

Cùm sine vitæ & generationis scintillis, quæ in aëre occulto modo natant, nemo mortalium; imò verò nulla creaturarũ momẽto temporis vivere aut durare possit, necesse est, ut ipsæ assiduè & quolibet minuti spatio à creatura attrahantur & per inspirationẽ introducantur. Nam sine isto actu salutari & effectu ejusdem, necesse est, ut animal immediatè præfocetur. Nam per suppressionẽ & deprivationẽ aëris anima in instanti à suo actu seu operatione vivificante cessabit, ut pote, quæ est nihil aliud, quàm æternæ lucis in anima mundana actus: Nã conflatur anima, ut dictum est, ex lucida divinitatis emanantis virtute & subtili humida natura mundi, quarum prior calidũ innatum, posterior humidũ radicale creaturis assignat, atque ideò duplex ista virtus assidua seu continua aëris inspiratione renovatur ac multiplicatur. Hic ergo spiritus animalis & consequenter hominis per inspirationẽ attrahitur in lævũ cordis Thalamum, seu ventriculũ rectarum fibrarũ cordis contractione, in quo actu fibræ transversæ & obliquæ relaxabuntur, unde & cordis regio dilatabitur & aperietur, atque ista actio à Medicis vocatur Diastole. In tempore ergo seu spatio istius motionis cor quadam virtute attractiva aërem cum vitali suo thesauro mediante inspiratione per arteriam pulmonum venosam in lævam ipsius regionem introducit, qui Thesaurus tum postea cum pro vivificatione seminali generatione non aliter inservit ac pro spirituali multiplicatione, tum pro nutritione vitalium & internorũ generationis spirituum, quàm Hepar succum grossi nutrimenti Chylosum ad spirituum naturaliũ nutrimentum ac incrementũ sibi per venas mesaraicas allicere solet: qui naturales spiritus ad corporis partium vegetationẽ & augmentationẽ à creatore destinantur. Iterum postquam natura vitalis istum aëreum spiritũ cum arcano suo Thesauro acceperit, eumque in Thalamum cordis lævum, tanquam suum bene ornatũ & subtiliter ad aptatũ laboratoriũ introduxerit, eum cribrare, seu Anatomizare, aperire atque ejus viscera scrutari incipit, naturamque cœlestẽ cum divino ejusdem actu, verum (dico) vitæ Thesaurũ seu invisibilẽ vitæ ignem à grossiori & magis inutili suo vehiculo aëreo Alchymiâ divinâ & admirabili separat, salemque quendã subtilẽ, volatilẽ & digniorem aëris portionem, quæ essentiale & immediatũ est Thesauri vitalis vehiculũ, & quasi anima ætherea in aëre, ut Hermes dicit, in aortã sive arteriam magnam, quasi spirituum vitalium sacrariũ seu myrothecium, includit, atque superfluã aëris inutilis portionem per expirationẽ in instanti emittit: & ista actio expulsiva fibrarum in substantia cordis transversarum contractione & rectarũ dilatatione fieri solet. Nam hac actione cor etiã contrahitur & comprimitur: atque ista actio à medicis Systole dicitur. Intelligendũ est autẽ, quòd pro meliori Thesauri istius vitæ aurei in arteriali isto sacrario præservatione & comprehensione Deus in Aortæ orificio regioni cordis sinistræ annexo valvas tres semilunares ordinavit, quæ pabuli illius vitalis ingressu aperiuntur, ac tũ posteà immediatè clauduntur, ne Thesaurus ille inclusus iterũ per eandẽ portam, qua ingressus est, egrederetur. Propter istam igitur rationẽ valvæ illæ taliter à Deo efformantur, quòd ab intus aperiantur atque claudantur ab extra, ita, ut, quemadmodum é regione duæ illæ valvæ, quæ arteriæ venalis artificio inseruntur, sunt foris apertæ & intus clausæ, quæ ideo Mitrales nuncupantur, quoniam mitris Episcoporum sunt simillimæ; atque horum officium est, ut tam aërem inspiratum intromittant, quàm superfluum & inutilem ejus portionem emittant: Vnde patet, quòd facilis aëri conceditur quasi Thesauri vitæ accessus in cordis Thalamum, sed negatur Thesauro, quem vexit aër, egressus.

Iam verò istius spiritus vitæ actionem & effectus, postquam in trunco arteriali sit ita inclusus, paucis exprimam. Certum est, quòd ipse sit captivus factus in ejusdē arteriæ ramis & subdivisis canalibus se ipsum per universum corpus humanum dilatet. Nam per ramos Arteriæ magnæ, Carotides dictos, portio rectificata ejusdē jam specificati spiritus ascendit ad cerebrum; per istos (inquā) canales & conductus parvulos, pars super cœlestior istius in Chymia naturali extractionis (ut pote quæ est dignitate & subtilitate cæteris totius vitæ fontis super excellentior & per consequens mentis divinæ scintillis repletior) supremā Microcosmici palatij regionē & quasi cœlum ipsius Empyreū sibi pro sua sede vēdicat. Huc enim ascendit radius mentalis in suo rationali vehiculo, illumque locū pro suo cœlo cœlorū eligit: sub ea tamēlege & conditione, quòd virtutis & potestatis suæ radij per omnes Arterij Catholici ramos se expandant seu extēdant. Propter istam igitur rationē omnes medici tam Ethnici, quā Christiani concludunt, quòd actio hominis voluntaria suā sedē seu positionē habeat in cerebro, quatenus illud est facultatis animalis regio: cùm è diverso aliæ duæ ipsius actiones, nempe illa vitalis in corde & naturalis in hepate vidētur esse illi animali subjectæ, cùm sint actiones involuntariæ. Atque hæc est causa, quòd cerebrū sit rationis atque intellectus sedes, & quasi primus in machina microcosmica motor. Tunc in secunda serie illa introducti spiritus portio, quæ in officina seu laboratorio naturæ humanæ purificatur & actioni vitali adaptatur in illos Arteriæ magnæ ramulos vehitur, qui cervicales nominantur: suntque arteriæ illæ, quæ assignant vitam regioni pectoris. In hoc ergo loco illa spiritus portio spiritualis illius vivacitatis impressionē induit, quæ ad partes vitales & Thoracales attinent: ac etiam in ramis arteriæ Coronariæ dictis sibi assumit ideā internā illorū spirituum, quæ spectant ad vivificationē cordis: atque ita in cæteris ramis arterialibus, videlicet Humerarijs, Thoracicis, Axillaribus & cæteris cum spiritu isto vivifico, quē comprehendunt. Nam, ut hic spiritus erat in libero aëre, ita Catholicus erat & omnē in se virtutem habet in potentia & complicité: At quando creaturā aliquam ingressus est, tunc specificatur & explicité convertit se in naturā & conditionē cujuslibet creaturæ animalis regionis. Ita, ut invisibilis ille spiritus in vehiculo vix perceptibili delitescens, & quasi in tenui aërei spiritus substantia natans, non solùm se expandit & dilatat ad cujuslibet membri corporis vivificationem & vitæ sustentationē, sed etiam se ipsum in nubeculā spermaticā vix perceptibilem contrahendo (quod accidit, in actu copulationis sive coitus per certā magneticā virtutē divino amore animato) & totius gignentis impressionē jam habēs mirabili & veloci actione & transitu in duo vasa spermatica præparantia arterialia, nimirū dexttū & sinistrum, à quolibet corporis membro, sed præcipuē à tribus principalibus descendit: Atque ibi cœlestis ille spiritus igne divino exuberans ad imaginē radicalis Archetypi, (in quo omnia erant prius spiritualiter & idealiter delineata & cōplicité comprehensa, priusquā explicité, quo ad nos paterent: haud aliter, quàm Rex David gloriatus est, se imaginē templi totaliter digito Dei descriptū habuisse, quod tum postea ad illud exemplar erat realiter à Salomone ædificatū) continet internū & invisibile illius corporis, quod in actū visibilē tum posteà & realiter erat delineandū atque producendum, hoc est, idealiter in se cōprehēdit & possidet hominis interni sive spiritualis figuram: ut é regione externi, & corporalis hominis ico seu effigies, quæ cōpacta est é quatuor Elementis, ex spermate hominis visibili in duobus vasibus seminalibus præparantibus venalibus contēto, procedit: ita, ut ex spermatis vasorū arterialiū concursu cū illo vasorū venaliū, mixtio facta est inter materiā & formā hominis, hoc est, inter ejus internum & externū; in quo interno est illa antedicta divinitas, quæ domum suam externā ad imaginē speciei conformat. Sed & hoc totū habemus à pagina sacra confirmatum. Tu possides (inquit David) renes meos, ex quo obtegebar in utero matris meæ, non celata est vis mea tibi, ex quo factus sum in abdito artificiosē confectus velut in imis partibus terræ. Massam meā uident oculi tui, & in libro tuo omnia membra mea sunt scripta, ex quibus diebus formabantur, cùm nullū ex ijs extaret &c: Vnde liquet, quòd vis divina esset in semine, quod est hominis internū, cujus digitus homo in divina ejus idea anteà descriptus ex & in semine externo seu spermate explicité figuratur. Ad istud etiam propositū Iob ista: Spiritus Dei fecit me & spiraculū Omnipotentis vivificavit me &c: ac si dixisset; ex spermatis massa, fecit me spiritus divinus, haud aliter, quàm Adamum ex lutò seu argilla, & posteà spiraculo suo vitā inspiravit me, & factus sum in animam viventem. Et Salomon: quemadmodum ignoras, quæ sit via spiritus & qua ratione compingantur ossa in ventre prægnantis: sic nescis opera Dei, qui est fabricator omnium &c: Profectò iste Textus habet intentionem admodum mysticā, & præcipuē ad istud nostrū subjectū referri potest: Nam, uti istum Textum produxi anteà ad spiritus divini in ventis macrocosmicis existentiā probandam; ita quidē huic negocio microcosmico aptius referri potest. Nam, ut Iob dicit: Spiritus Dei fecit me: ita textus iste, quàm sit difficile ad generationis humanæ arcanum enucleandū: innuens, hominē ignorare viam & progressionem spiritus divini in spermate: quā ejus intentionē etiam confirmat consequentia Textus: Ignoras, qua ratione compingantur ossa in vētre prægnantis. At quicunque

Psal. 139.

Iob. 33.

Eccles. 11.

cunque intelligit actionẽ ſpiritus & viam, qua in iſto opere progreditur, ſciat modum per quem tam mirabiliter operatur iſta. Sed, hoc totum enucleatius à Iobo explicatur: Nonne, ait, ſicut lac fudiſti me, & tanquam Caſeum coagulaſti me, cute & carne induiſti me, oſſibus & nervis compegiſti me, cum vita benignitatem exercuiſti erga me & viſitatio tua præſervavit ſpiritum meum? At iſta recondiſti in animo tuo: Novi hæc apud te eſſe &c: ex quo ſermonis filo omnis in hac re quæſtio & difficultas auferri videtur, imò verò totũ iſtius rei myſterium, nimirum tam in actu generationis, quàm in vitæ infantis, tam in utero matris, quàm poſt ejus partum præſervatione & continuatione ex ejus obſervatione aperitur. Nam in iſto membro (ſicut lac me fudiſti) videtur primùm arguere, quòd maſſa ſpermatica, in qua homo erat complicité contentus, eſſet bene diſpoſita & compoſita à vitæ ſpiritu atque etiam in matricem injecta: Ex qua tum poſteà, per occultam viam ſpiritus, homo erat explicité productus ſeu formatus: Tunc ſic pergit ad ſecundum generationis gradum. (Tanquam caſeum coagulaſti me &c:) Quo arguit, quòd ſpiritus iſte divinus immediatè poſt ſpermatis in matricem injectionem illud in ſolidiorem ſubſtantiam ad inſtar caſei coagulaverit & inſpiſſaverit. Iuxta textum etiam iſtum præcedentem (memento, quæſo, quòd ſicut argillam feciſti me &c:) Tunc pergit ad tertium generationis gradum. (Cute & carne induiſti me, oſſibuſque & nervis compegiſti me &c:) Finito prædicto coagulationis gradu, jam ad corporis humani partiũ complementum venit, ex quibus homo externus in matrice figuratur. Ex quibus conſtat, quòd ſpiritus divinus in ſemine fabricet hominem internum in ſua propria perſona, atque tunc ad vivificationem illius externi hominis ex ſpermate Elementari ſic fabricati, ſic pergit: Cum vita benignitatem exercuiſti erga me &c: inde arguendo, quòd completo opere materiali, quaſi palatio ad Dei formem Spiritum recipiendum apto & appropriato ſpiraculo ſuæ vitæ illud inſpiravit: atque ita homo, non modò vitâ, ſed etiam Mentis & Rationis radio erat præditus. Vnde, quàm rectiſſimè Apoſtolus. in eo vivimus, movemur & ſumus. Nec ſatis eſt, ut quis dicat, Deum hoc totum non ab intus, ſed ab extra facere: ac ſi Spiritus Dei non eſſet ubique, quatenus omnia implet, & per conſequens ab actu generationis nullo modo abeſſe poteſt: cũ vitarei ſit inſpiratio omnipotentis, & cũ ſpiritus ejus incorruptibilis, in ſit omni rei: Nonne etiam dicitur in Ezechiele: Ecce ego introducam in vos ſpiritum, ut vivatis, & dabo ſuper vos nervos, & ſuccreſcere faciam ſupra vos carnes, & extendam in vos cutem, & dabo vobis ſpiritum, ut vivatis. Et dixit Propheta: Veni, Spiritus, à quatuor ventis & in ſuffla ſuper infectos iſtos, & reviviſcant, & ingreſſus eſt in eos ſpiritus & revixerunt. Ex quibus videre licet, primùm, quòd erat divina virtus, quæ hominem externem efformaverit, priuſquam anima viventi erat præditus, & quòd tum poſteà ſpiraculo vitæ eſſet præditus. Porro, ut ſpiritus iſte erat in ſubtili vento Macrocoſmico, ita etiã ipſe adeſt ſemini vitali, quòd nihil eſt aliud, quàm ventus, ſeu ſpiritus vix perceptibilis. Per ea, quæ ſunt dicta, illud dubium; an anima infundendo creata ſit nec ne, ſatis ſuperque explanatur. Nam, quomodo anima mundi à Spiritus Divini afflatu in ſpiritum mundanum eſſet creata, in primis explicui: tum poſteà, omnes animas ab iſto fonte duxiſſe originem ſuam, demonſtravi dixique, radios iſtius ſpiritus vivificantes more ignis inviſibilis à cœlo deſcendentes implere aërem, & affirmavi iſtum naturæ ignem, quatenus eſt à ſpecificatione liber, eſſe in potentia ad transformandum tam in naturam ſpeciei vegetabilis vel mineralis, quàm illam animalis: & quòd ſimul ac ſpeciei alicujus individuum per inſpirationem penetraverit, in ipſius protinus naturam convertitur, & tam ad illius generationem, quàm multiplicationem cum ſpeciei conſervatione, nimirum ſimilia ex ſimilibus procreando operatur.

Iam verò ſi quæratur, cur Catholicus vitæ mundanæ ſpiritus, cùm non ſit, niſi unicus, quemlibet nihilominus partum ſeu fructum ſecundum illius ſpeciem, & non ſecundum ſuam in eſſentia unitatem, unicum & minimè differentem producat. Reſpondeo, me in præcedentibus dixiſſe, quòd quælibet creatura ſpecifica eſſet radicaliter, idque mandato creatoris in ſua ſpecie ab invicem diſtincta & differenter procreata, & à verbo ſeu ſpiritu creante ſemper multiplicata & in eadẽ figuræ ſpecie continuata, quæ erat ei in creatione aſſignata. Et profectò veriſimile eſt, quòd Deus in ſecreto ſuo conſilio proplaſma & modulum quaſi ordinaverit, in quo & ad cujus exemplar creatura potentialis debet formari, priuſquam veniret in actum. Pro meliori hujus rei intellectu, debemus ſcire, quòd ſint quatuor vaſa ſpermatica præparantia, videlicet duo in quovis latere; quorum unum eſt vas venale, & ortum ſuum habet à vena cava, & ab iſto vaſe ſortitur ſperma illud, quod ad corporis infantis conſtitutionem eſt ordinatum: & iſtud ſperma nihil eſt aliud, quàm ſubtile Elementorum in corporea genitoris compoſitione à nutrimenti flore extractum, eſtque viſibile quid, & dictitatur gemina appellatione Sperma; aliud eſt vas Arteriale, utpote ab Aortæ trunco ſcaturiens, in quo habitat ſpiritus vitæ, eſt fons & origo hominis interni: nam in eo eſt inviſibilis vitæ ignis: & propriè dicitur Semen, quod eſt non aliter centrale ſpermatis in ternum

inviſibile, quàm anima corporis; ita, ut videatur mixtione horum duorum internus homo in externo complicitè includi. Oportet ergo, ut obſervemus, quòd, ut duo ſunt prædictarum naturarum vaſa in quolibet latere ventris, quorum unum eſt ſpirituale & quaſi maſculi & agentis Tabernaculum; alterum corporale ſeu fœmineum, ſeu Elementale & quaſi paſſivum: ita iſta duo in quolibet latere in ſuo verſus teſticulum deſcenſu ſubtiles & admirabiles ſuas implicationes plexuſque ſpectatu jucundos efficiunt, quos Græci Anaſtomoſin vocant, qui quidem partium ſecretarum amplexus ſive textura artificio magni illius Architectoris perficitur (ut Anatomiſtæ opinantur) quia loco colaturæ inſerviant, qua ſperma ſanguineum reddatur album ſeu candidum: nimirum, ut in primo loco divideret ſpermaticam ſubſtantiam in vaſe venali; & ſeminalem in illo Arteriali à maſſa ſanguinea tam naturali, quæ fluit ab Hepate, quàm vitali, quæ oritur à corde, ac tum poſteà, ut mediante Dedaleo iſto Labirintho ſeminalis forma, quæ eſt cœlum microcoſmicum cum ſpermatica materia, ex qua fit terra ejus, poterit apté & ſecundum veram creaturæ ſpecificæ ſimilitudinem ad invicem permiſceri: Haud aliter, quàm videmus formam rei eſſe mixtione naturali undique per univerſam ſubſtantiam elementalem perfuſam ſive expanſam. Et procul dubio plexus ſeu Anaſtomoſis iſtius fabrica eſt inſtar impreſſionis ſigilli alicujus notabilis, quæ in homine eſt humana, in leone leonina, in Aquila aquilina, atque ita in cæteris ſecundum impreſſionem iſtam ſpecificæ creaturæ, quæ eſt occulta & vix imaginabilis. Iſtius plexus admirabilis diſpoſitione imitantur Textores, qui fila ſua ſubtilia tot implicationibus multiformiter diſpoſitis ordinare ſolent, ut imagines tam hominum, quàm beſtiarum & vegetabilium varias intexendo ſecundùm formam implicationis producant. Sperma igitur formatur more Argillæ, quæ natura ſeminaria liquore quodam humectata & virtute ſpiritus ſecreti, qui illam inhabitat, in creaturam convertitur viventem. Hæ duæ ergo naturæ ita inter ſe ſecundum leges iſtius ſpiritus vivificantis temperantur; & ſemen ſeu inviſibilis aëris ſpiritus ita mediante divina illa natura ſeu primo & centrali ejus motore, qui agitat illum ſpiritum, quaſi ſuum curriculum ita adaptatur, ut corporeum & viſibile ſperma ſecundum imaginem ſuæ creatæ ſpeciei formaret: haud aliter, quàm Talpam domum ſuam ſub terra ſuæ capacitati & neceſſarijs aptam fabricare videmus. Atque hoc eſt opus ſpiritus ſecreti, poſtquam mixtio illa per anaſtomoſin facta in matricem projcitur. Denique totum illud, quod de ſubjecto animali eſt dictum, poteſt etiam de regno vegetabili intelligi. Nam tota planta complicitè prius in ſemine vel nucleo ſuo occultatur, & per eandem rationem erat tum poſteà in lucem explicitè per virtutem & actum abſtruſum ſpiritus lucis & vitæ in eo dominante producta. Sed nimis longè à mea meta aberravi, idque in ſubjecto (uti metuo) quibuſdam, qui hujus mundi ſapientiâ ducti rem, prout eſt, conſiderare nolunt, haud grato. Volo igitur jam ad plenum hujus diſcurſus mei Argumentum accedere: cùm omnis amicitia & per conſequens ſympathia ab amabili lucis conditione procedit; è regione odium atque ideò Antipathia à tenebris ſeu deformi Chao oritur, cujus proles primogenita erat litigium.

LIBER

LIBER SECVNDVS.

In quo myſticæ illæ eradiationes, quæ more occulto à duobus principijs oppoſitis, Tenebris nimirum & luce, & Sympatheticis & Antipatheticis earum effectibus, pertractantur.

Hujus libri Argumentum.

POſtquam author radices Sympathiæ & Antipathiæ eſſentiales diligenti inquiſitione inveniſſet, eaſque libro præcedenti explicaſſet (quippe in quo probat eas non eſſe, niſi unicam Catholicam ſive univerſalem ſimplicitatem in eſſentia, utcunque illa unitas bina proprietate, natura & conditione oppoſita, haud aliter, quàm voluntas eſt noluntate prædita,) conveniens eſſe non exiſtimavit ſolis circumſtantijs & rationibus ſola probabilitate ſtipatis colligere & concludere ὅτι, nimirum, quòd res ſit. Quare libro iſto præſente ſumma ope nititur, ut διότι, hoc eſt, quare & quomodo actus ille duplex ſit in vaſtam mundi cavitatem diſſeminatus, oſtendat. Et profectò poſtremum hunc ramum adeò invenit à mortalium capacitate inveſtigatu difficilem, ut in operis tanti inquiſitione haud minimum laboris, & profundiſſima Artiſtæ ſpeculatio requiratur: atque ob iſtam rationem contentus eſt in viam tam aſperam & difficilẽ lumine & quaſi ſtella polari, Spirituum illorum ſublimium tam Theologicorum, quàm Cabaliſticorum dirigi & conduci, qui acceperunt iſtius tam magni dubij reſolutionem & enucleationem ab æterno Sapientiæ Spiritu, quippe qui eſt ſolus arcanorum tam profundorum revelator, ut Sapientiſſimus Salomon, Propheta David & Pſaltes regius teſtantur: imòverò ille ipſe, cùm eſt ſolus in Sympathia & Antipathia actor omnino ſufficiens eſt ad iſtud arcanum mortalibus revelandum & in vivis ſuis coloribus depingendum, quòd tantà animi induſtriâ & labore, licét vanè & ſine fructu quærunt & venantur Philoſophi mundani. Ex Canonum ergo & Axiomatum cum ſacrarum literarum, tum doctiſſimorum Rabbinorum, tam Hebræorum, quàm Ægyptiorum obſervatione collegit, quòd mundus æternus Archetypus radicaliter ab unico ſimplici & Catholico luminis fonte procedat, qui emanationem ſeu effluxum decem proprietatibus varijs præditam mundo æviali ſeu Angelico emittit: & mundus pariter ævialis divinas illas luminis effluxiones per vehiculum Angelicum in mundum temporalem transfundit: ita, ut ætherea ſeu cœleſtis mundi temporalis regio divinarum influentiarum ſacrarium efficitur, é qua magis vel minus juxta voluntatem ejus, qui eas emiſit in mundum Elementarẽ ad mandata obeunda ipſius tam ſevera, quàm benigna impluuntur. Iſtiuſmodi ergo degradatione percepit ipſe, quòd Deus unicam ſolam emanationem eſſentialem atque differentem, mediante ſuo verbo mundo univerſo impertiverit, ut omnes in eo res ex unica Catholica eſſentia plus minuſve participantes ab invicem & inter ſe tam ſpecie, quàm individuo diſcreparent, & quod multiformis effluxus illius divini proprietas creaturas Angelicas ſeu organa ſpiritualia differentium conditionum & officiorum inſtituerit atque creaverit, per quas & in quibus virtute varia & multiformi centraliter omni temporis momento operatur, & per conſequens evidenter ei appareret, quod, cùm in effluxu ſeu extenſione divina ſint proprietates contrariæ fortitudinis, neceſſe eſt, ut ſint etiam ſpiritus Angelici naturâ & conditione cuilibet proprietati Divinæ correſpondentes, quibus mediantibus in hoc mundo adminiſtrantur. Etenim in iſtis organis ſpiritualibus ſive Inſtrumentis Angelicis, & per ea radij ſplẽdoris æternæ influentiæ deſcendunt primùm in mundi temporalis ſtellarẽ regionem, & tum poſteà ab ea in ſublunarem ſive Elementarem effundun-

tur, & ad centrum usque terræ ad creatoris placita perficienda penetrant. Denique Author speciale quoddam subjectum & mundo sufficienter notum in suam considerationem capit, ut per experimentalem naturæ ipsius occultæ inquisitionem, possit more magis practico & oculari Sympathiæ & Antipathiæ mysterio mundanis incredulis demonstrare, quod in præcedentibus non nisi Theoricé & per solam speculationem exposuit. Magnes ergo sive Magnesius est meta illa, ad quam collimat, seu subjectum illud, quod pro proposito elegit suo, utpote cujus occultarum proprietatum effectus quàm aptissimé illis naturæ animalis, vegetabilis & mineralis correspondent. Quare in isto libro præsenti per corporis ipsius anatomizationem & naturæ abstrusæ detectionem viam tentat magis planam præparare ad tales conclusiones experimentales explicandas seu comparationes, quas libro sequenti inter uuius atque alterius naturam proponit, quò meliùs natura Animalis atque etiam vegetabilis per illam mineralis detegatur & demonstretur. Et in libri istius conclusione eorum in scitiam & zelum superstitiosum (ut Apostolus ait) sine intellectu denotat, qui aliquam actionem in creatura magneticam essentialiter per singulare Diaboli artificium sive actum patrari posse existimant, ibique Diabolum nihil efficere posse contendit, nisi mediantibus creaturis Dei & virtutibus earum, quæ ad usum potiùs hominum, quàm Diaboli à Deo omnium creatore destinantur.

LIBRI SECVNDI MEMBRVM PRIMVM.

CAPVT. I.

Quòd Sympathia sit lucis Soboles, ut é regione Antipathia suum à tenebris ortum habet. Porro utriusque vocabuli Etymologia sive vera significatio, ut etiam ipsorum naturæ, hoc in capite discutiuntur.

IN portione hujus superiori verbis generalibus detectam habetis unitatem radicalem & essentialem cum duobus suis ramis proprietate oppositis (qui sunt voluntatis & nolun-taris Characteres) nec non duobus Catholicis ejusdem effectibus, nimirum amicitia & odio tam bonis, quàm malis omnibusque illis passionibus, sive sint spirituales, sive corporales, quæ ab ijs derivantur. Restat jam, ut in discursus nostri profunditatem descendamus & ad Sympathiæ Antipathiæque viscera usque penetremus: quæ non modò in rebus mundi temporalis, sed etiam in illis mundi ævialis, ab effectu manifestantur. Nemo enim, in scientia vel mediocriter Versatus, quatenus experiētiâ stultorum matre instructus, tanta involui potest insciti â sive ignorantiâ, ut oculis apertis occultos rerum cœlestium & terrestrium in Sympathia & Antipathia, ijs in creatione insitis effectus non discernat. Sed, priusquam in rei tam profundæ detectionem me immergam, operæ erit pretium, ut vocabulorum Sympathiæ & Antipathiæ significationem seu Etymologiam aperiam primùm, quò meliùs & directiùs naturas sive essentias earum distinctas percipiatis. Sympathia est vocabulum græcum, nempe συμπαθεια, & derivatur à συν, id est cum, unà, cum & πα'θος id est, passio, quòd procedit à verbo πάσχω, id est, patior. Vnde patet, quod passio prior ex actu divino seu unitate lucida positiva, quasi concordiâ & amore procedit & proprié dicitur compassio; passio verò posterior ex potentia divina seu unitate tenebrosa & privativa, quasi discordiâ & odio oritur, quæ sunt duarum naturarum contrariæ fortitudinis in vicem oppugnantium effectus. Possumus ergo Sympathiam haud inepté definire duorum spirituum, vel ab eadem in proprietate emanatione divina, vel à duabus similibus irradianrium, hoc est, qui radicales suas emanationes ab eadem vel similibus duabus divinis proprietatibus emanant: Exempli gratia: omnes creaturæ, quæ participant ex benignis & amabilibus illis radijs seu irradiationibus, quæ à Deo per Angelicum organum in Sphæram Iovis emittuntur ab ejus orbe seu Sphæra deorsum usque ad terram effunduntur, & infinitis creaturis illis inibi communicantur, quæ sub ista Dei proprietate voluntatis

voluntatis divinæ Charactere creantur: omnes hæ, inquam, propter istam homogeneitatis naturalis rationem suos ad invicem ejaculant radios invisibiles amicabiliter & invicem gaudere videntur; ac si earum unica alterius adventum seu præsentiam suo aspectu congratulari velit: juxta illud cujusdam Sapientis: Natura lætatur naturâ; natura suam naturam amplectitur, eamque gaudere facit. Ratio autem istius gaudij est, quoniam isti omnes sunt quasi fratres unius & ejusdem Patris sive radicis, nimirum Iovis, ac proinde fraterno & lætabundo more gestiunt, quando se invicem aspiciunt. Etiam tales planetæ vel stellæ, quæ sunt vel amici vel de conditione propinqua ad illam Iovis: uti sunt Venus, Gemini &c: influentias impluunt in creaturas sibi in nativitate subditas, atque etiam in illas Ioviales, nimirum, quæ complexiones suas à fonte Ioviali accipiunt. Hinc ergo est, quòd creaturæ unius & alterius originis ob suarum naturarum propinquitatem benevolé se invicem aspiciunt & amore satis arcto conjunguntur: Sed contra, ubi duæ concurrunt stellarum influentiæ invicem proprietate & fortitudine contrariæ, hoc est, ab emanationibus divinis conditione oppositis radicaliter procedentes, uti sunt illæ Iovis & Martis: vel Iovis & Saturni, qui invicem sunt inimici, ad ventus & concursus talium creaturarum seu radiorum earundem aspectus erit ad invicem ingratus cum secreta spirituum reluctatione & renitentia: ita, ut unà naturali quodam instinctu omnimodé cupit effugere & evitare aspectum alterius: & spiritus unius conatur radijs alterius emissis resistere, ut clarius in sequentibus exprimetur. Sed, quoniam causa generalis Sympathiæ & Antipathiæ est occulta & secreta quædam emanatio sive irradiatio ab una creatura in aliam, erit necessarium, in negotij tam profundi medullam intueri, quò planiùs & luculentiùs fontem & radicem omnium radiationum & emanationum generalem discernamus: Nam hac ratione abstrusam differentiarum in ijs causam detegemus, & ipsarum extensiones, videlicet ab earum radice ad truncum, & à trunco ad ramos ac tandem à ramis ad surculos & folia infinita quasi individua descendendo prosequamur.

CAPVT. II.

Quomodò & quibus Dei attributis sive proprietatibus Rabbini Hebraici & Cabalistæ peritiores probant naturarum contrarietatem ab unica æterna essentia, quasi omnium rerum radice dependere.

PRo certo statuitur, quòd, ut sunt infinitæ diversarum in machina mundi naturarum creaturæ, ita quidem earum quælibet esset varieformiter in principio creata, & tum posteà ab eo tempore more successivo per vanas cœli influentias & multa millia varietatum radiorum desuper descendentium generata & à generationis momento usque ad illud corruptionis sustentata. Quocirca Rabbinorum Cabalisticorum sapientiores affirmant, quòd non sit ulla planta aut herba inferius, cui non sit stella in firmamento, quæ percutiat eam & dicat ei, cresce. Neque videntur scripturæ hanc eorum opinionem aversari, uti inferius declarabitur. Sed quoniam radicalis istius rei investigatio speculationem adhuc altiorem requirit, opus est inprimis, ut cum diligentia perquiramus, quomodò omnis creatio radiorum divinorum emissione esset effecta, & an illa radiorum emanatio esset in proprietate vel multiformis, vel unius & ejusdem conditionis ordinata. Vobis satis claré in præcedentibus manifestavi, quòd omnia fuissent in rerum primordio ab uno spiritu Sapientiæ æterno creata, qui, quasi nuntius æternus seu Angelus Catholicus ab *Ensoph* (ut ajunt Cabalistæ) hoc est, ab infinitudine seu infinito lucis fonte sub forma emanationis seu effluxus splendidissimi ad omnia complicité in divina potentia reservata, informanda & in actum explicitum reducenda, emittebatur: hocque ex istis scripti sacri testimonijs probare conabor. Salomon vocat istum spiritum disciplinæ sanctum, vaporem virtutis Dei & emanationem quandam claritatis omnipotentis Dei synceram & candorem lucis æternæ, & speculum sine macula Majestatis & imaginem bonitatis ipsius: quæ cùm sit una, omnia potest, & in se permanens omnia innovat &c: Quibus arguit, quòd tametsi sit in sua essentia emanatio non nisi unica, tamen ratione multiplicitatis suæ proprietatis omnia potest, utcunque nobis videantur conditione contraria. Hinc dicit Textus alibi: Est in sapientia spiritus unicus, multiplex &c: id est, effluxus divinus essentiâ seu substantiâ unicus, proprietate multiplex. Porro D. Iohannes fatetur, quòd vita omnium esset in Verbo. Et tamen essentia Verbi, in quo erat vita, est unica, quippe, quæ est lux, in qua non sunt tenebræ ullæ, utcunque vitam seu conditiones creaturarum esse varias & tam Antipatheticas, quàm Sympatheticas animadvertimus. Et Syriachus ait, quòd Spiritus iste ex ore Altissimi prodiret: Et Salomon. Quòd esset cum Iehova in principio viæ suæ in creatione cuncta compo-

Reuclin. de arte Cabal. lib. 3.

Sap. 7. a 25. Ioh. 1. 1. Iohan. 1. 8.

Eccles. 1. 24. Prov. 8.

nens : Vnde liquet, quòd esset per emanationem seu extensionem radiorum Catholicorum ab æterno unico fonte lucido, quòd omnes res essent multiformiter figuratæ & animatæ. Sed illa emanatio juxta varietatem voluntatis & placiti sui fontis in varios se extendit radios dispositione & conditione differentes. Quemadmodum enim ab eadem arboris radice truncus seu corpus, rami, surculi, folia fructusque assurgunt : ita quidem divina emanatio, quasi truncus arboris Sephiroticæ directè à sua radice *Ensoph*, seu fonte infinitudinis, procedit, à qua ejus tum posteà rami & à ramis surculi, & à surculis fructus oriunter. Sequitur ergo, quòd, ut truncus arboris à radice sua exurgit & quasi creari videtur, ita quidē emanatio seu spiritus iste facer procedit ab unitate radicali, & quasi de novo creari videtur. Atque hinc sapiens : Prior omnium creata est sapientia & intellectus prudentiæ ab ævo. ipse creavit illam in spiritu sancto, & effudit ipsam super omnia opera sua : Quo denotat, emanationem istam originem suam habuisse à Deo Patre, sed quòd radios suos particulares undique emittit ad creaturarum omnium existentiam & virtutes. Videtur Psaltes hisce testari : Verbo Domini, inquit, creati sunt cœli, & spiritu ab ore ejus omnis virtus eorum. Hic ergo ortum istius spiritus habetis & ejus in mundo officium, nimirum, ut cuilibet creaturæ suam vim sive virtutem movendi, vivendi, agendi, multiplicandi, atque se invicem amore vel odio prosequendi juxta voluntatem sui Patris attribuat. Quare ex prædictis liquet, quòd spiritus iste respectu essentialis ipsius essentiæ sit æternus, sed ratione emanationis ejus in mundum dicitur ævialis seu naturæ Angelicæ : Vnde Textus præcedens : Et intellectus prudentiæ ab ævo. Procedimus ergo in progressione & multiplicatione illius emanationis in hunc modum : Ab arboris trunco egrediuntur rami, tam generales, quàm speciales & individui, quorum qui sunt fortiores post truncum sunt quasi Brachia ipsius corporis, tum sequuntur rami minores ac denique surculi. Ad quæ referre possumus in mundo æviali seu Angelico diversas Angelorum stationes ijs secundum dignitates eorum assignatas ratione divinarum influentiarum, quas à suo Catholico ramo seu emanatione sancta Iesu Christo ab *Ensoph* radice seu patre suo emissa recipiunt. Hoc confirmat Apostolus in his: Christus est imago Dei invisibilis, primogenitus omnis creaturæ, quoniam in ipso condita sunt universa in cœlo & in terra visibilia & invisibilia, sive Throni, sive Dominationes, sive principatus, sive Potestates, omnia per ipsum & in ipso creata sunt, & ipse est ante omnes, & omnia in ipso constant &c: ita, ut omnes Angeli superiorum sive empyreorum ordinum non aliter in prima serie procedant ab eo, quàm brachia arboris à suo trunco. Et quemadmodum videmus, quòd brachia, utpote trunco propinquiora, sunt robustiora, speciosiora atque firmiora, quàm rami : ita Angeli Empyrei sive super substantiales sunt emanationi Catholicæ propinquiores & conjunctiores ; ac per consequens virtute luceque divina opulētiores atque pulchritudine ornatiores, idque per dignitatis gradus secundum quod magis aut minus immediatam fontis emanationis increatæ sedem appropinquant, hoc est, quò magis accedunt ad faciem essentia lucidæ increatæ, quæ ipsis lucem & gloriam excellentissimam impertit. Haud aliter, quàm videmus in trunci Brachijs, quòd, quò trunco sunt viciniora, eò etiam in eorum existentia sive substantia sunt grandiora. Post hæc videmus, quòd rami minores immediatè ex brachijs istis exurgunt, habentque locum pro consistentia sua à brachijs distinctum seu divisum, utcunque eorum corpulentia à brachijs non dividitur. Pari equidem ratione observamus, quòd intelligentiæ seu Angeli Olympici vel ætherei virtutes & vitam hauriunt immediatè ab illis Empyreis ; idque diversiformiter & in varietate mensuræ excellentiæ, qui istas influentias in corporibus stellaribus, quasi arcis suis Thesaurarijs ad usus inferiorum reservant. Deinde, ut rami à brachijs arboreis procedentes, vitam & esse alijs ramulis ab ipsis exurgentibus attribuunt : ita etiam Angeli Olympici suos influxus illis Elementalibus infundunt, quorum principes sunt in quaterno numero illi, qui quatuor ventis & quatuor mundi cardinibus, ijs vim seu potestatem vitæ, augmenti & generationis atque etiam corruptionis assignando, præsident. Quibus videre licet, quòd Deus per sapientiæ spiritum viâ emanationis emissum, & consequenter Angelum magnum primogenitum, quippe primò omnium creatum & nomen habentem suam virtutem Angelis Empyreis impertit, qui tum posteà multifariam ejusdem naturam effundunt in spiritus Olympicos, à quibus iterum Elementares suas hauriunt facultates seu essentias. Et tamen hæ omnes virtutes essentiales tam in cœlo Empyreo, quàm Æthereo & Elementari sunt continuæ & indivisibiles ab emanatione sancta, quæ est inseparabilis à sua radice : Haud aliter, quàm truncus arboris radici, & brachia trunco, & rami brachijs, & ramuli seu surculi fructui & folijs animadvertuntur esse continui atque indivisibiles. Ecce ergo (lector judicioſe) mundi ævialis dimēsionē juxta Textus præcedentis dictum: Christus est imago Dei invisibilis, primogenitus omnis creaturæ, in quo sunt condita universa in cœlis & in terra, visibilia & invisibilia, sive sint Throni, sive Dominationes &c: Hoc est, creaturæ mundi ævialis tam in cœlis & elementis, quàm in terra conditæ sunt in Christo : Verùm hoc etiam à Patribus

Ecclesiæ

Reuc. in lib. 3. de arte Cabal.

Eccles. 1. 4. 9.

Psal. 33.

Col. 1. 15. 16.

Dionys de divin. Nom. lib. 6.

Ecclesiæ habemus confirmatum. Nam Dionysius ait, quòd Angelus sit imago Dei & occulti ipsius luminis emanatio & speculum splendidissimum sine macula: atque ob istam causam Angelos vocat Algamatha, hoc est, specula purissima, quæ recipiunt lucem Dei. Hinc inde arguendo, quòd sint imagines Catholicæ ejusdem emanationis, à qua procedunt. Nam scripturæ dicunt, quòd spiritus sapientiæ sit splendor æternæ lucis & speculum sine macula Majestatis Dei, & imago bonitatis ipsius. Et Bartholomæus ait: quòd Angeli suscipiant lumen occultum à Deo per influentiam, idque emittant illis, qui sunt inferioris ordinis & conditionis. Et Augustinus & Damascenus dicunt, quòd Angeli sunt lumina intellectualia, quæ suum lumen à primo & summo lumine accipiunt. Iterum Bartholomæus, quòd vocantur aurum respectu radiorum, quos emittunt: atque etiam dicuntur flumina ignea, ratione lucidarum illarum influentiarum, quas à Deo recipiunt, & tum postea ad illos inferioris ordinis emittunt. Etiam Dionysius dicit, quòd ordines superiores copiosé recipiunt lumen Dei, & illud tum postea more influentiæ spiritibus illis impertiunt, qui sunt situ & dignitate inferiores; asseritque hanc legem esse in ordinibus Angelorum observatum, quòd eorum alij sint primarij, alij secundarij, & alij postremi. Atque ob istam rationem Seraphini Angeli sunt dicti, quia ardent & accenduntur ratione præsentiæ eorum immediatæ coram facie Dei. Sed omittendo omnia ista docemur plurimis scripti sacri testimonijs, quòd Angeli sint splendidissima lumina, quæ sunt in tertio cœlo coram Throno Dei: & quòd sint 7. præsidentes in cœlo stellato, atque etiam 7 Candelabra, quæ important 7. Planetas: & quòd sit unus magnus Angelus, qui est caput eorum omnium, qui tenebat septem stellas in manu sua: Et quòd sint 4. Angeli, qui habent Dominium super quatuor ventos, in quorum est potestate nocere mari & terræ & arboribus: & quòd isti quatuor sint sub imperio unius, qui secum portat magnam præservationis sigillum: Et quòd sit princeps tenebrarum, qui est magnus ille spiritus prædicto summo spiritui natura & conditione oppositus, qui habet Dominium in Elementò sublunari; & quòd sint tam malitiosæ & perniciosæ principalitates, potestates & gubernatores in hoc mundo, quæ sunt Creaturis Dei adversissimæ, quàm benignæ & salutares, generique humano propitiæ. Denique semina plantæ multiplicativa stellis cœli, ut & ipsius folia creaturis sub lunaribus comparamus, quæ mutationes suas ab internis seu spiritualibus organicis agẽtibus habent, ita ut discernere possimus, quòd æternitas det vitã ævialitati, & ævialitas temporalitati: & quemadmodum in mundo æterno videmus, quòd prima persona addit principiũ secundæ, & quòd persona tertia ab ambabus præcedentibus procedit: ita quidẽ Angeli æviales seu Empyrei effundunt influentias vitæ & exixistentiæ Olympicis seu sydereis; ac itidẽ illi Elementarij suam vivendi & existendi rationem ab Empyreis per Olympicos hauriunt, atque in fine terra & maria ab istis animantur. Quapropter observandum est, quòd Deus operatur mediantibus suis organis Angelicis omnia in omnibus, & quòd spiritus ipsius incorruptibilis sit in omni re hujus mundi. Quibus rectè loco priori intellectis atque consideratis, audacter etiã concludere possumus, quòd omnes peculiares luces Angelicæ ab una & eadem Catholica emanatione procedant, & consequenter invenimus, quod diversitas & oppositio naturarum ipsarum oriatur à multiplicitate proprietatũ, quæ sunt in generali emanatione ab æterno & ante ullum ævum à Throno unitatis effluenti. Atque hinc est, quòd iste effluxus divinus à Salomone dicitur unicus & multiplex respectu varietatis proprietatum ipsius, quibus varié & more quandoque opposito operatur in mundo. Sed totum hoc luculentissimé à Rabbinis Cabalisticis per viam descriptionis arboris suæ Sephiroticæ sive numericæ explicatur. Quare sciendum est inprimis, quòd, ut Theologi Mystici non nisi decem nomina specialia in tota testamenti veteris Hebraici serie observarunt, quæ Deo à proprietate ascribebantur: ita quidem quodlibet illorum ad operationem variam efficiendam designari animadverterunt. Hinc enim erat, quòd Hebræi hoc vel illud nomen Dei à scripturis recitati secundum conditionẽ necessitatis peculiaris pro divina assistentia invocare solebant. Et tametsi ex verbo scripto colligerent, quòd pura divinitas seu Deitas non sit nisi unica interna & immutabilis essentia; atque propter istam rationem non nisi unico essentiali titulo exprimitur, videlicet Tetragramaton, seu Iehova, quòd est ejus nomen inseparabile, utpote quod ei soli appropriatur: nam illud includit (uti Rabbi Moyses Ægyptiacus ait) & arguit in pura significatione substantiam Creatoris sine ullo cum Creatura respectu seu participatione: ita etiam invenerunt, quòd cætera nomina Deo à Scripturis assignantur, quatenus ipse participat cum Creaturis relatione aliqua, vel eas respiciat: & consequenter talia nomina ei ab effectibus & non ab essentia imponuntur & dicuntur nomina à proprietate. Ad nomen verò ejus essentiale quòd spectat, erat illud inter Hebræos in tanta æstimatione sive veneratione, quod non erat præterquã in solo Sãctuario, idque à consecratis presbiteris pronuntiatũ. Tunc enim erat nomen illud essentiale in illa benedictione editum, quã sacerdos supremus diebus jejunij promulgavit. Hæc causa erat, quòd nomẽ hoc tantò honore celebraretur, ut nunquã esset temerè prolatũ. Ac etiam,

Sap. 7.

Bartholomæus de rerum var. lib. 2.

Sap. 7.

Apocal. 7.

Ephes. 6.

quoniam (ut ait Rabbi Moyses) Deum esse & fuisse super omnem essentiam, quatenus existeret, antequam ulla res esset. Atque hoc erat nomē illud pretiosum, quod Moyses cupivit à Deo cognoscere, quando accipit ab eo hoc responsum יהוה, hoc est nomen meum in æternum: quòd quidē nomen adeò est purum, quia nec articulari nec componi, nec minus humana voce exprimi potest. Ad alia verò Dei nomina seu denominationes, quæ ab effectu ei ascribuntur, quod attinet, illa non Deo secundum suam essentiā, sed secundum opera ab ipso effecta tantummodò attribuuntur, hoc est, quatenus apparet omnia in omnibus, & in omnibus existit & operatur. Oportet igitur, ut pro meliori nostra in hac re institutione intelligamus, quòd cum divina natura sit & operetur in omni re creata atque etiā extra eas existat (est enim centrum cujuslibet rei, cujus circumferentia est nullibi, hoc est, extra omnia) in hoc respectu nomē ejus essentiale Tetragrammaton est commune & Catholicū in omni ramo arboris Sephiroticæ sive Cabalisticæ agēs, quippe quòd Dominium habet in integrū illius arboris truncū sive corpus, & consequenter omnia alia decē Dei nomina à proprietate ei referuntur, ut brachia trunco, quatenus scilicet relationē habent ad varias ejus proprietates seu virtutes in una individua essētia. Quare illa omnia nomina ipsi ab operibus attributa in ipso & sub ipso cōprehunduntur, quippe, quòd proprietates tā noluntatis, negationis & privationis, quā voluntatis, affirmationis & positionis ejus, & per consequens mortis & vitæ, maledictionis & benedictionis mali & boni in respectu creaturarū (tametsi nihil est idealiter in eo malum, qui est summa & sola bonitas) odij & amicitiæ, discordiæ & concordiæ, Antipathiæ & Sympathiæ sub eo cōprehunduntur: Hos inquā, omnes effectus cōditione contrari, ab una radice seu fonte essentiali provenire testantur Biblia sacra; quippe quæ habet solummodò potestatē vitæ & mortis, & deducit ad portas mortis & reducit. Est Iehova, qui est illuminatio & salus & protector vitæ hominis, & est ipse, qui affligit tenebris, morbo & morte. Est Iehova, qui mortificat & vivificat, deducit ad inferos & reducit. Est ipse, cui abundantiæ suavitatis, & misericors, patiens & benignus, & qui in furore suo arguit hominem, & conturbat ossa & animam ejus. Est Iehova, qui vulnerat & mederi facit. Est Iehova, qui mortem, vindictam, & vexationem minatur. Est ipse, qui facit pestem, tabem, febrem urentem, lepram, scabiem, ulcera, hæmorrhoides & ulcera Ægypti: qui dementia & cæcitate percutit, pavore & cordis tremore, curis & vexationibus afficit: ac est ipse, qui benedicit cibo & potui, quem haurit creatura: atque consequenter est ipse, qui Antipathiam parit: E regione est Iehova, qui benedictiones creaturis concedit, ipse beat cibum & potū, quos sumunt, ita, ut nutriant & præservent: & est ipse, qui amovet morbos, tollit sterilitatem, & auget dies hominis: & per consequens est causa Sympathiæ amabilis & concordiæ inter creaturas: Denique est Iehova, qui format lucem & facit pacē & est ipse, qui creat tenebras & malū. Sed, quoniā essentialis hæc unitas hos contrarios effectus per proprietates oppositas in lucē edidit: ideò Theosophi secretiores varia nomina seu potius denominationes generales ei assignarunt, quas à contextu sacro collegerunt, quæ ei ascribuntur ab effectibus, quæ in earum prolatione sequuntur, quorū alij inclinant ad tenebras & privationē, alij ad lucem & positionem, nonnulli ad severitatē, alij arguunt suæ benignitatis fructum, quidam indicant actus sui privationem, qui eveniunt contrahendo radios suos in se ipsum. Nam tali ipsius actu effectus tenebrarum producuntur, nimirū essentialis frigiditas, stupiditas, immobilitas, quies, congelatio, contractio &c. Aliqui efficiuntur per actualem ipsius effluxum seu extensionē à centro ad circumferentiam, nimirum lux, motus, calor, dilatatio, attenuatio &c. Volo igitur divina ista decem Dei attributa numerare, quæ æternæ essentiæ ascribuntur, ut in arbore Sephirotica ordine reperiuntur, à cujus radice radij æterni multiplicis naturæ seu conditionis ad varieformem radicis voluntatem perficiendam descendunt, quibus multiplices in mundo effectus producuntur. Primum ejus attributum seu denominatio à proprietate est *Ehieh*, atque hoc nomen omnium creaturarum fontem seu originem importat, simul atque misericordiæ & clemētiæ fundamentum denotat, quoniam influxus seu irradiatio divina, quæ ab isto canali seu fonte descendit gratia, pietate, consolatione & bonitate Patris æterni est plena, cui nos monet Christus sic orare: Pater noster, qui es in Cœlis &c. Atque hinc alibi dicitur, quòd Pater judicat neminem. Nam est officium Patris, ut parcé & gratiosé cum filijs agat. Ita etiam Deus sub istiusmodi sua denominatione existimatur esse Pater omnium, & per consequens in ista sua voluntate est benignus & gratiosus seu affabilis suis creaturis, juxta illud Salomonis: Quin etiam uno afflatu cadere possunt creaturæ à justitia persequente & ventileatæ à spiritu potentiæ suæ: Verum omnia mensura numeroque & pondere dispositi seu temperasti: nam quod multum potes, hoc tibi semper adest: quandoquidē tanquam momentum è lancibus est totus mundus coram te, & tanquam gutta roris descēdens mané in tetrā: Misereris ante omnia, quia omnia potes, & dissimulas peccata hominū, ut respiscant. Nam diligis omnia, quæ sunt, & nihil abominaris eorum, quæ fecisti. nec enim comparasti quicquam, quod habes odio: Æqui mansurum fuisset aliquid, nisi tu voluisses?

Sap. 16.13. Psalm. 26.1.2. 1. Reg. 2.6. Psal. 146.7.8. Esa. 6.3.4.

Iob 5. Deuter. 27.

Isai. 45.7.

Sap. 11.

luisses? aut conservatum fuisset aliquid, nisi tu voluisses? Sed parcis omnibus, eò quòd tua sunt, ô Domine animarum amans, &c: Ecce hîc denominationis Ehieh fructus seu effectus, nimirum creare & generare omnia, quasi Pater: & ad eorum præservationem & sustentationem paterna quadam effectione curare. Ob istam causam hoc portæ lucidæ, radicali & primariæ in arbore Sephirotica seu numerationi priori arboris præsidet, quæ dicitur Cheter, seu Corona, ex cujus meatu radij Iehovæ in effabili & benigna sua creationis conditione seu voluntate positiva ad omnium rerum creationem descendit. Nam Ehieh significat Patrem & radicem totius creationis.

Secunda emanatio Iehovæ in divinis numerationibus arboris Sephiroticæ habet pro suo fonte nomen divinum *Iah*, quod arguit benedictam & gratiosam radiorum ipsius emissionem ad humidæ naturæ seu aquarum é tenebris seu Tenebrosa abysso extractionem, atque ideò attributum seu porta Cabalistica, per quam radij istius emanationis actuosissimi descendunt, dicitur *Hochma*, hoc est, sapientia, de qua quidem emanatione divina Salomon ista: Sapientiam possidebat Iehova principio viæ suæ, ante opera sua, ante ullum tempus, ante seculum inuncta fuit, cùm nullæ essent abyssi, cùm nulli essent fontes abundantes aquis, antequã montes fundati essent, cùm aptaret cœlos, ibi erat, cùm statueret ambitum in superficie abyssi, cùm fortificaret superiores nubes; quando ponebat fundamenta terræ, erat apud eum cuncta componens &c: Debemus autem notare, quòd hoc nomen *Iah*, cujus influentia est sapientia, versatur quandoque in severitate, licèt rarò: Quoniam præcipua ejus intentio est in creando & præservando. Hinc ergo Iehova dixit Moysi: loquendo de magno illo Angelo, quem misit ante Israëlitas ad eos præservandos in via illa per desertum & mare rubrum: Ne exacerbes eum, quia non feret defectionem vestram, quoniam nomen meum est in eo. Quo evidens est, quòd sapientia ista quandoque punire solet, quoniam ex Syriacho patet, ipsam fuisse angelicam illam emissionem, quæ præibat Israëlitis diurno tempore in columna nubis, & nocturno in columna ignis, ut testatur Syriachus. Denominatio tertia est *Elohim*, & attributum seu porta lucida, per quam radij emanationis ipsius descendunt est *Binah*: seu prudentia: atque istud nomen secundum Cabalisticam interpretationem significat terrorem seu timorem, quoniam observârunt, quòd mediante ista proprietate sive attributo divino mundo evenirent punitiones & strages. Nam sub ista denominatione exercet ipse suam potestatem tam ad subitaneam mundi aquarum & Elementi alterationem, quàm ad punitionem impiorum. Atque ideò spiritus illi, qui divinæ hujus influentiæ radios recipiunt, dicuntur *Benè Elohim*, hoc est, Filij Elohim, qui sunt instrumenta illa in mundo Elementali ad voluntatem divinam in ista sua proprietate efficiendam. Virtute etiã hujus nominis aquarum in prima creatione commotio, earumque é Tenebrosa abysso eductio erat facta: quæ quidem sine extrema oppositione & repugnantia duorum contrariorum, nimirum ignis & aquæ; & consequenter sine horrenda Elementorum dissensione & bello commotiones Tonitruosas in Tenebrosa abysso ad Verbi *Fiat* prolationem causantem minimé fiebat: Erat enim Spagyrica & altitonanti Verbi virtute & veré Chymica Spiritus Elohim operatione, quòd separatio unius Elementi ab alio, atque etiam unius virtutis formalis ab alia distinctio esset perfecta: Vnde Psaltes Regius: Verbo Domini firmati sunt cœli & spiritu ab ore ejus omnis virtus eorum.

Prov. 8. a 22.

Eccles.

Archang. Cab. de Dog. Cab.

1 Psal. 33. 6.

Percipiendem est Igitur, quòd tota arboris Cabalisticæ virtus sub istis tribus membris radicalibus ejusdem complicité comprehenditur: non aliter, quàm mundi Typici essentia, forma & figura, in tribus Archetypi personis divinis triformiter continetur. Porro tria in mundo intellectuali idem prætendunt, quod septem in mundo materiali seu aqueo. Nam 2 sunt radix materiæ, & 3 sunt radix formalis: Vt ergo 1 est formalis radix in Archetypo ad 3 & materialis ad 2: ita quidem 2 sunt materialis radix in mundo Typico ad quadratum 4. Quare sequitur, quòd (4) quaternarius, qui est numerus seu Character Symbolizans cum materia & 3 figura formæ conveniens simul additi producunt universalem mundi substantiam ex materia & forma consistentem. Debemus ergo cum diligentiâ observare, quòd istæ priores denominationes divinæ pertinent ad illas proprietates, quibus Iehova ad imaginem Archetypi tria priorum creationis dierũ opera perfecit, in quibus totus mundus cum suis cœlis ac Elementis esset creatus, & quælibet eorum regio aptè & convenienter dispositа.

Septem sequentia in Arbore Cabalistica Brachia seu rami spectant ad varias illas alterationes tam propitias, quàm adversas, quæ creaturis in hoc mundo eveniunt. Quare quartum membrum illius arboris habet pro suo præsidente benignam & jucundam atque clementem Dei Iehovæ denominationem *El* dictam, cujus attributum seu porta splendida sive numeratio vel canalis, per quem aureos suos effluxus in mundum emittit, vocatur *Chesed*; Latinè, Clementia: quoniã divina influentia, quæ transit per eam, est gratiâ, benignitate, vitâ & bonitate plena, uti infra patebit. Est enim fons, à quo fortunatus ille Planeta Iupiter amabiles & benignos vitæ creaturarum radios recipit: Vnde Iupiter dicitur, quasi Iuvans Pater. Ob istam rationem

Moyſes, orando pro reſtitutione Miriæ ad ſanitatem priſtinam, dixit : *El narapha na a* : Deus gratiæ, quæſo ſana illam.

Quintum nomen quinto arboris brachio aſcriptum eſt *Elohim Gibbor* : atque hoc effectus malevolos & inſalubres influetias creaturis immittere ſolet, facitque perturbationes in Elemento Catholico per Tonitrua, fulgura, Cometas ; imò etiam excitat ſuper terram bella, contentiones lites, peſtem, febres, eſtque ejus Theſauri arca ſeu promptuarium ſtella Martis : Canalis verò ſeu porta, per quam radij ejus deſcendunt, vocatur Hebraicè *Geburah*, quòd arguit poteſtatem, vim & violentiam. Ramus ſeu brachium proximum, id eſt, numeratio ſexta habet pro ſuo Domino nomen Dei ; *Eloah*, cujus effluxus ſeu radij ſunt vita multiplicatione & pulchritudine pleni : & ob iſtam rationem truncus ſeu Canalis, per quem effunduntur in mundum, dicitur *Tiphereth* Hebraicè ; Latinè Gratia, ornamentum, pulchritudo & ſolatium. Hujus radiorum ſacrarium eſt corpus Solare, quod & ſuam formoſam ſpeciem, pulchritudinem & Gloriam coruſcantem ab eo recipit : Atque iſte eſt ille Spiritus, de quo Iob intendit, dicens : Spiritu ſuo ornavit cœlos. Et Syriachus : Sol illuminans per omnia reſpexit, Eccleſ. 42.16. & Gloriâ Domini plenum eſt opus ejus. Septima numeratio Cabaliſtica ſeu arboris Sephiroticæ brachium ſeu ramus habet pro ſuo Domino cognominationem Dei *Iehovæ Sebaoth*, quaſi Deus exercituum, & Deus jubilationis & perfectionis, atque idcò attributum, porta ſeu canalis, per quē ejus radij ſeu fulgor exit, dicitur *Netzeth*, quaſi Triumphus, victoria, atque etiam juſtitia, charitas & amor ; quare influentia generationis, multiplicationis & delectationis ab iſta emanatione procedunt : Arca autem hujus Theſauraria inter cœleſtia eſt Sydus Veneris.

Octavum nomen à proprietate eſt *Elohim Sabaoth*, ſeu Deus exercituum, atque porta, per quam ejus radij tranſeunt vocatur ab Hebræis *Hod*, id eſt, laus, honor, formoſitas. Promptuarium verò cœleſte, quod ad influentias ipſius recipiendas & reſervandas eſt ordinatum eſt ſtella Mercurij.

Nonum, quod nono arboris brachio aſſignatur, eſt *Elchai*, hoc eſt, Deus vivens, ſeu *Sadai*, hoc eſt, omnipotens Deus : atque ejus numeratio ſeu porta eſt *Ieſod*, hoc eſt, baſis, fundatio, quies, redemptio : Hujus autem effluxus recipit Luna Cœleſtis, quæ eſt quaſi parva terra, recipiens omnes prædictas influentias in genere, quæ ab alto deſcendunt : atque hæc eſt ratio, quòd ipſa tot mutationibus ſeu alterationibus ſit obnoxia, cujus effectus tam in generatione & corruptione, quàm in maris exaltatione vel depreſſione cernitur.

Vltimum cognomen, quod portæ decimæ dictæ *Malchut*, id eſt, regnum & imperium, præſidet eſt *Adonai* ſeu Dominus, quod quidem importat ſeveritatem & captivitatem creaturis per Dei iracundiam atque iſtius attributi influentiæ cadunt in regionem Elementarem.

Quibus Sapientiſſimorum Rabbinorum obſervationibus & collectionibus invenimus, quòd in iſtis decem generalibus numinis æterni proprietatibus per decem attributa ſignificatis, omnia in hoc mundo ſive à creatura æſtimantur bona vel mala, poſitiva vel privativa, concordantia & amabilia ſeu diſcordantia & odibilia ; &, ut verbo dicam, ſive ſint occultè vel manifeſtè oppoſita, vel in natura ſeu conditione inter ſe convenientia diſponuntur, & ab unica unitate deſcendunt : Atque hinc liquet, quomodò iſta unitas in eſſentia, ſit multiplex in proprietate & conditione, ſecundum cujus in Velle & Nolle diverſitatem diverſa & planè oppoſita aguntur, & operatur in mundo tam cœleſti, quàm elementali : imò verò eſt in illo Empyreo, idque emanationibus particularibus à Catholica & Archetypa emanatione ſcaturientibus : Atque iterum, quælibet dictarum decem emanationum ſephiroticarum in infinitis quaſi alijs eradiationibus à voluntate ſui fontis haud diſſonantibus diſtinguitur : Vnde etiam ſequitur, quòd quælibet harum proprietatum receptacula habeat in cœlo æthereo ſtellaria tam fixa, quàm erratica, quæ in infinitas creaturas ſublunares, tam animales, quam vegetabiles & minerales ſuas effundunt virtutes, quæ omnes ab invicem juxta influentiarum proprietates, tam formâ, quàm naturâ variari animadvertuntur : Atque ratio, cur divinitas creaverit ſeu emiſerit unum radiorum effluxum alteri contrarium, erat tam ad præſervationem, quàm deſtructionem creaturarum : Nam, ut ultimus harum emanationum effectus erat creatio, generatio & præſervatio creaturarum ſuæ propriæ conditionis & naturæ : ita quidem iſti effectus applicari ſolent aut pro præſervatione & reſtauratione creaturarum deficientium & infirmarum, nimirum, cùm venenoſum aliquod ſimplex ſive animale ſive vegetabile ſive minerale ad morbum periculoſiſſimum propulſandum applicamus ; videlicet in regno animali viperam, Scorpionem, bufonem, araneam, aut Cauthariden veſicantem &c : in vegetabili Papavera ſtupida, ſeu opium Somniferum, Flammulam Canterizantem, Helleborum vomiterium, Aconitum &c : in minerali Arſenicū, argentum vivum, Reſalgar, Antimonium &c : quæ omnia ſimplicia habent proprietatem tam ad auferendos morbos, quàm ad ipſos animalibus inducendos, imò certè & ad ipſa quandoque interficienda conducunt : Et tamen creaturis, quæ radios

ſuarum

ſuarum formarum radicales ab iſta vel illa emanatione acceperunt horum venenatorum influxuum effectus apparent boni & ſalutiferi : utcunque ſunt omnes Deo bonæ, utpote, quæ ab ipſo erant ordinatæ, non modò ad ſanandum in ſua benignitate, ſed etiam ad exterminandum & interficiẽdum in ſua ſeveritate, ac denique ad faciendum placitum ſuum, qui operatur omnia in omnibus, ſive ſit ad creaturæ beneficentiam ſive ad flagellum. Quare Salomon : Ecquid conſervatum fuit aliquid niſi tu voluiſſes ? Vnde liquet, quòd omnia ſunt Deo bona tametſi impijs, qui patiuntur, videntur mala. Opera Dei univerſa (ait Sapiens) ſunt bona valdé : Bona bonis creata ſunt ab initio, ſic nequiſſimis bona & mala : Initium neceſſariæ rei vitæ hominum aqua, ignis, & ferrum, ſal, lac, melo, botrus, uvæ, oleum & veſtimentum. Hæc omnia ſanctis in bona, ſic & impijs & peccatoribus in mala convertentur : ſunt ſpiritus, qui ad vindictam creati ſunt, & in furore ſuo confirmaverunt tormenta ſua : in tempore conſummationis effundunt virtutem & furorem ejus, qui fecit illos, placabunt ; Ignis, grando, fames, & mors : omnia hæc ad vindictam creata ſunt beſtiarum dentes & ſcorpij & ſerpentes &c: in mandatis ejus epulabantur & ſuper terram in neceſſitatem præparabuntur, & in temporibus ſuis non præteribunt verbum. Propter iſtam ergo cauſam, nimirum propter ſecretam naturarum oppoſitionem, à varijs divinitatis emanationibus ortam, amicitia & odium, & conſequenter Antipathia & Sympathia eſſent à Deo creata, ut ſub titulis lucis & tenebrarum ſe invicem oppugnarent in iſto mundo, quæ quidem contentio incepit primùm inter Angelos, deinde inter ſtellas, quæ recipiunt oppoſitas Angelorum influentias, tertiò inter ventos & Elementa, qui venti ſuæ contentionis ſpiritus à ſtellis & ipſarum influẽtijs recipiunt : ac denique inter creaturas compoſitas ſive ſint perfectè ſive imperfectè mixtæ. Sed quoniam inter alias oppoſitas in mundo naturas, Sympathia & Antipathia ſunt omnium magis abſtruſæ & occultæ, de ipſarum myſterio pro captus mei exiguitate ſequentem efficiam ſermonem.

Sap.11.21. Eccleſ.29.21. Eccleſ.39.2 30.

CAPVT. III.

Hîc demonſtratur, quòd occulta tam Sympathiæ, quàm Antipathiæ in creaturis actio radicaliter ab Angelicis irradiationibus ad invicem à creaturis ſibi ſubditis emiſſis producatur.

Reuclin.lib.3. de art Cabal.

QVi bene in Theoſophia ſunt verſati, volunt, quòd omnes Angeli ſint ejuſdẽ generis reſpectu ſuæ creationis, tametſi eorum unus eſt alteri plus minuſve illuminatus ſecundum illud officium, cui à Deo ſunt deſtinati : nam conſiderare debemus, quòd Angeli ſint immediata organa ſeu inſtrumenta, per quæ & in quibus æternitas ſuam voluntatẽ præſtare ſolet, tam in cœlo, quam in terra, utpote, qui ejus Verbum Fiat efficere ſolent. Vnde Rex David: Angeli Dei validiſſimi robore, efficientes verbum ejus, auſcultantes voci ejus, miniſtri ejus, facientes placitum ejus &c. Ita, ut ſit evidens, quòd nihil in mundo temporali ſive in cœlo ſive in terra factum eſt, ſed illud radicaliter à ſpiritibus mundi ævialis derivatur : Atque hac de cauſa Reuclinus ait, quòd omnia corpora, ſive ſint cœleſtia ſive terrena, habeant ſpirituales quoſdam directores & gubernatores, qui ipſorum virtutibus & operationibus præſunt, ſive ſint ſtellæ, ſive vegetabilia, ſive mineralia, ſive animalia, non modò rationalia, qualis eſt homo, ſed etiam irrationalia. Quare Archangelus Cabaliſta multos facit Angelorum gradus, variaque ijs aſſignat officia : Nam alij ait, ſtant coram Tribunali Dei, ipſum laudantes & hymnis celebrantes: alij ſolent ei adminiſtrare atque etiã nobis: alij cuſtodes ſunt vigiliæ nocturnæ : alij præſunt quatuor quartis anni: atque hi ſunt præſidẽtes quatuor Solis ſtationum : alij ſunt ſeptẽ planetarũ gubernatores : alij diſponunt influentias ſtellarũ fixarum & duodecim ſignorum, de quibus intendit ille locus apocalypſeos, dicens: In duodecim portis (hoc eſt 12. ſigna quæ Plato dicit eſſe portas cœli) ſunt 12. Angeli : alij ſunt Tutelares & protuitione & præſervatione creaturarum ordinantur: nonnulli curã beſtiarũ habent, alij Plantarũ : alij lapidum prætioſorum & mineraliũ : Hos omnes ſecretiores Theologi & ſapientes approbare videtur, ſimul atque confirmãt, quòd Deus operetur omnia in hoc mundo inferiori, mediantibus Angelorũ adminiſtrationibus. Vnde D. Paulus ait quòd omnes ſint ſpiritus adminiſtratorij, quia à Deo mittuntur ad iſtud officiũ obeundũ. Hæc Archangelus. Porro etiã Reuclinus aſſerit, quòd influxio radiorũ Angelicorũ à ſtellis debeat eſſe diverſa & naturæ variæ, quoniã Angeli non movent orbes cœleſtes motu ſuo voluntario ſemper uno eodẽque modo, tametſi illi motu violento ſeu diurno aſſiduè ab ortu in occaſum moveantur.

Pſal.104.4.

Archangelus de dogm. Cabal.

Sed quid verbis opus eſt pluribus, cùm operis Cabaliſtici progreſſus hoc totum nimirum myſticam operationem & varietatem actionum in Angelis ad amuſſim enucleare videtur : Nam ſi decem Dei denominationes ſive attributa producant decem emanationes diſtinctas & conditione differentes, quæ deſcendunt per decem portas, ſeu numerationes Cabaliſticas ſupra dictas, contrarios animadvertuntur

tam in cœlo, quàm in terra effectus procreare, sequitur prædicto Psaltis testimonio, quòd sint tot vehicula Angelica, quæ transportant illas decẽ influentias in mundum inferiorem, quot sunt portæ Sephiroticæ: & consequenter, quot sunt proprietates differentes in velle divino, atque itidem varietates, tot sunt vehiculorum, quibus ad inferiora conducuntur. Nam velim, ut quilibet sagax intelligat, quòd Doctores Hebraici de natura & proprietate cujuslibet denominationis seu attributi Deo à sacris literis ascripti, per illum ipsum effectum, quem immediatè post ejus prolationem in lucem edebat, haud aliter judicare solet, quàm Philosophus de natura seu complexione hominis ex ipsius Physiognomiæ intuitu aut ex signis, quæ vidit in cœlo de sequentibus ejusdem effectibus, videlicet de pluvia, ventis, tonitruis &c: præsagire animadvertitur. Iam verò (ut dictum est) si sit divina influentia lucis, quæ animat & informat quemlibet spiritum Angelicum, debet ex necessitate sequi, quòd quilibet istorum Angelicorum conductorum seu vehiculorum influentiarum divinarum sit ab altero differens seu diversus in proprietate: quoniam formales illæ influentiæ, quæ ipsos animant, ab invicem sunt diversæ, & consequenter erunt naturali inclinatione proni atque parati ad voluntatem Creatoris efficiendam secundum illam emanationis seu radiorum influentiæ proprietatem, quàm à porta sua Sephirotica recipiunt. Ad Angelica ergo illa receptacula seu vehicula quod spectat, quæ ad diversas divinarum influentiarum seu irradiationum species recipiendas sunt ordinata, mihi propositum est pro meliori lectoris intellectu in prima serie portas seu Canales Sephiroticos exprimere: Deinde ordines Angelorum recitare, ex quorum numero illa vehicula Angelica existunt, quæ irradiationes illas recipiunt: ac tum posteà stellas cœlestes, quæ sunt cœlestia illarum influentiarum super cœlestium promptuaria sive sacraria nominare; ac in loco postremo aliqua de effectibus, quos influentiæ istæ deorsum à stellis in regionem Elementarem effusæ, tam in aëre, quàm aquis & terrâ producunt, faciam verba. De attributis divinis simul atque emanationibus sanctis cum peculiaribus ipsarum proprietatibus capite præcedenti sumus locuti: ad residuum verò quòd attinet, lectorem scire velim, quòd decem illæ particulares radiorum emissiones ex totidem portis seu canalibus Sephiroticis in vastam mundi cavitatem ad complementum voluntatis Creatoris factas, habent suos peculiares aurigas seu conductores. Nam in hoc Theologiæ peritiores conveniunt, quòd, ut superiores Angelorum ordines recipiunt sua lumina & splendidissimas emanationes immediatè à Deo, ita quidem ea emittunt atque manifestant ordinibus Angelorum inferioribus: atque propter istam rationem dicuntur specula polita, quatenus lumina sua à facie Dei seu æterna ipsius emanatione recipiunt: quæ (uti anteà probavi) est omnium horum luminum Angelicorum caput. Atque iterum, ut Theosophi abstrusiores serijs suis ex pagina sacra collectionibus decem distinctas proprietates, atque etiam totidem varias cognominationes seu nomina Dei ijs appropriata observârunt: ita quidem perceperunt, quòd esset Angelus aliquis singularis, qui cujuslibet eorum irradiationis influentiam reciperet, & naturâ ac proprietate illius esset præditus, ut pote, mediante qua vivunt & animantur, quatenus, ut Angeli externum est spiritualis aër; sic ejus internum est formalis illa emanatio, cujus virtutis est vehiculum: atque hæc est generalis inter Theosophos occultos opinio, quibus Dionysius & Bartholomæus videntur consentire, quòd nimirum unus Angelus se immiscere cum alterius negotio seu officio, aut alterius labores suscipere non debeat, nisi sit talis Angelus ordinis inferioris, qui subijcitur Authoritati & gubernationi Archangeli sui, cujus etiam proprietate & natura insignitur, ut infra dicetur latius.

Oportet igitur, ut sciamus, quòd officium magni & Catholici Angeli Mitattron esset tam universale, & quòd in primis versatus esset circa informationem totius mundi & divisionem lucis à tenebris, atque etiam vivificationem spiritus mundi aquatici & diurnam cœlorum revolutionem: atque ideò dicitur; idque haud inconsultè, quòd esset divina illa Catholica emanatio, quæ dicta est sapiẽtia æterna, quæ ob istam causam dicitur omnium priùs creata, à qua tum posteà omnia sunt creata. Hinc ergo dictum est, quòd Angelus ille contineat in se omnem perfectionem Angelicam, haud aliter, quàm omnes radij Solares comprehunduntur in corpore Solari. Nam, ait Paulus, est imago Dei invisibilis, primogenitus omnis creaturæ, in quo condita sunt omnia visibilia & invisibilia, sive Throni, sive Dominationes, sive Principatus sive Potestates, omnia per ipsum & in ipso creata sunt, & omnia in ipso constant. Quare & Rabbini Hebraici essentiam primæ emanationis ad Angelum Mitattron applicant, quæ dicitur suam viam in mundum per regalem portam Cheter seu Coronam fecisse, vocaturque prima creatura, quatenus denotat spiritum Catholicum mundi, qui prius omnium recepit primogenitum sive imperialem emanationem ab attributo Dei *Ehieh*. quòd est nomen æternitatis, quippe, quod respicit tempus præteritum, præsens & futurum. Ob istam ergo causam Magnus Angelus se nominat *Alpha* & *Omega*, principium & finem. Prima influentia ergo, quæ erat vitæ essentiæ Catholicæ recipitur ab Angelo isto Mitattron, quasi Dono Dei, postquam per portam

Eccles. 1

Coloss. 1 15

tam Cheter in ſupremum Angelorum ordinem, dictum Seraphin, emittitur, qui ratione propinquitatis illius ad Thronum Dei ardere & inflammari amore igneo traditur atque hinc inde eſt, quòd ordo iſte tantâ excellentiâ & pulchritudine ornetur, nimirum ratione iſtius primariæ & effulgentiſſimæ emanationis, quæ tam amabilis & benigni Patris luminis copiâ impletur Ab hinc ergo Angelus iſtè potens lucidos hoſce effluxus in cœli ætherei cavitatem conducit, ac in illo, quaſi Catholico ejus ſacrario, reſervat: Atque ſpiritus lucis iſtius præſentiâ, mox animatur & vivificatur, ita, ut admirabili ipſius actionis ratione dicatur primus cœlorum motor, ut pote, in quo movetur primum mobile, ad cujus motum reliqui cœlorum orbes, mundum naturalem conſtituentes, ab ortu in occaſum ſpacio 24. horarum feruntur.

His ergo liquet, quid ſit anima mundi, nimirum emanatio iſta ſancta ſpiritu cœlorum ſic amicta, Divina itradiatio, penetrans per ſecundam portam *Hochma*, quæ emittitur à divino cognomine *Iah*: tranſit per ordines Cherubinorum, qui ſignificant plenitudinem ſcientiæ, & abundantiam donorum ſapientiæ: atque iſtius irradiationis influentiæ recipi dicuntur ab Archangelo Zophiele (quod nomen denotat pulchritudinem) quatenus infinitis particularibus vitæ radijs impletur. Sunt tamen alij ex Cabaliſtis, qui hunc radiorum iſtorum conductorem Razielem vocant, qui illos immediatè in Firmamentum ſive cœlum ſtellatum dirigit, & præcipué in Zonam illius cœli, qui Zodiacus & ſignifer nuncupatur, arguens per hanc nominis ſui Etymologiam, quòd radij iſtius in eo complicitè reconditi delineant idealiter infinitas creaturarum particularium ſpecies, quas omnes tum poſteà realiter & explicitè in regione Elementari depingit.

Tertia radiorum effluxio fit per portam *Binah*, cui præeſt nomen divinum *Elohim*, & deſcendit immediatè in ordinem Thronorum; inde arguendo ſeveram Dei proprietatem & judicio plenam. Hos radios recipit Archangelus *Zabkiel*, vel, ut alij volunt, *Zaſpiel*, ſignificans Genium Choleræ magnæ. Atque hic ſpiritus conducit hos influxus ad Sphæram Saturni, quam implet Spiritibus ſive Intelligentijs ſuæ naturæ, quas vocant Saturninos, vel *Benè Elohim*, ac tandem hi effundunt in mundum Elementarem, nimirum, aërem, aquam, terram, influentias ſeu ſubtiles ſpiritus ſuæ naturæ.

Quarta emanatio conducitur per Canalem *Cheſed*, cui præſidet nomen ſanctum *El*, recipitur ab Archangelo ordinis dominationum, qui arguit poteſtatem contra malignos ſpiritus, aſſignatque vitam & afflatum creaturis: atque Archangelus iſte dicitur *Zadkiel*, qui ſignificat genium juſtitiæ, atque iſte ſpiritus juxta naturam influentiæ, quam conducit, eſt veræ juſtitiæ in proportione vitæ ac Elementorum amicus: & per conſequens vitæ creaturarum fautor & Patronus. Hos radios deorſum in orbem Iovis vehit, eum infinitis ſpiritibus ſuæ naturæ ac conditionis implet, quæ Intelligentiæ Ioviales dictitantur, quæ in creaturas ſublunares ipſis ſubditas ſuæ influentiæ portionem impluunt, qua vivunt, multiplicantur atque præſervantur.

Quinta radiorum emiſſio fit per portam *Geburah*, cui præſes eſt nomen divinum *Elohim Gibbor*: atque hi radij dicuntur ad ordinem Poteſtatuum deſcendere atque Archangelus, cui radij iſti committuntur, vocatur *Samael*, vel, ut alij volunt, *Hamael*: eſtque Genius, qui importat terrorem: atque iſta Intelligentia radios iſtos conducit in Sphæram ſive orbem Martis, eumque implet ſpiritibus ſive Intelligentijs ſuæ naturæ, igneoque ſuæ conditionis ardore conflat ſtellam Martialem, à qua influentiæ Martiales in Elementarem regionem, & præcipué creaturis ipſi ſubditis effunduntur.

Sexta radiorum divinorum emiſſio fit per Canalem Sephiroticam *Tiphereth*, cujus dominus eſt Cognomen Dei *Eloah*: atque hi immediaté in ordinem virtutum, deſcendunt. Hinc Iſidorus ait, quòd Angeli iſtius ordinis recipiant illuminationem, purgationem & perfectionem à Deo atque Archangelo Michaele duce (qui ſignificat, quis tanquam Deus) in Sphæram Solis conducuntur, & ab eo ad inferiora, ad creaturarum vivificationem, multiplicationem, præſervationem, & ornationem diſtillantur.

Septima radiorum extenſio fit per portam ſeu Canalem *Netzeth*, cui præeſt nomen Iehovæ *Sebaoth*, & ab ea tranſeunt ad ordinem principatuum, à quo per Archangelum Anaëlem ad Sphæram Veneris vehuntur, à qua tum poſteà ad creaturas ei in mundo Elementari ſubjectas deſcendunt.

Octava radiorum emiſſio fit per portam *Hod*, atque huic præſidet nomen *Elohim Zebaoth*: hi deſcendunt in ordinem Archangelorum, ubi ab Archangelo Raphaële in Sphæram Mercurij conducuntur, & ab ea creaturis in mundo Elementali ijs ſubditis immittuntur.

Nona lucis emanatio fit per portam *Ieſod*, cui præeſt nomen *Sadai*, quæ deſcendit ad ordinem Angelorum, & ibi ab Archangelo Gabriele recipiuntur & ad orbem lunæ conducuntur, à quo ad inferiora pro creaturarum ei ſubditarum animatione & vivificatione deſcendunt.

Decima & ultima radiorum extenſio fit per Canalem *Malchut*, cui dominatur nomen *Adonai*, atque iſta deſcendit immediatè (ut Cabaliſtæ volunt) in ordinem beatarum Animarum, à quo in regionem

Elementalem. Hæ sunt Cabalistarum de isto irradiationum Angelicarum mysterio intentiones.

Per continuitatem ergo istarum singularum emanationum oppositarum à Deo ad Angelos principales, & ab ijs ad spiritus Olympicos, atque ab istis ad dæmones sublunares, colligere possumus, primùm, quòd Deus Solus operatur omnia in omnibus: Deinde, quòd secundum varietatem suæ voluntatis varieformiter agat in hoc mundo: & consequenter scire debemus, quòd ejus voluntas sit multiformis in proprietate, quoniam res efficiuntur tam in cœlo, quàm in terra secundũ multiformem operationem, ut ab effectibus colligere fas est. Quare, si Deus operetur omnia in omnibus, necesse est, ut diversitas illius operis à multiplicitate suæ voluntatis procedat: Atque propter hanc causam Hermes ait: Voluntas Dei summa est rerum perfectio, quã necessitas sequitur; necessitatem verò concomitatur effectus: Et per consequens concludit, quòd Deus in momento temporis tam ejus voluntatem, quàm effectum ejusdem complere soleat: At quod non vult, ut existat, illud quidem esse nequit: Quare, quod existit in rerum natura, cujuscunque sit proprietatis, illud efficitur secundum voluntatem unius ex istis divinis attributis: Neque (inquit Hermes) credibile est, Deo displiciturum esse, quod placuit, cùm & futurum id & placiturum multò anté sciverit. Atque ideo Salomon: Ecquid mansurum fuisset aliquid, nisi tu voluisses? Tertiò, quòd secundum varietatem divinæ voluntatis res omnes essent creatæ, quarum una aut spiritualiter Sympathizat in affectione cum alia, aut inter se Antipathizant ambæ, ratione radiorum contrariæ conditionis, juxta vel concordantem vel oppositam naturam irradiationis Angelicæ seu emanationis radiorum unius spiritualis creaturæ ad aliam: quæ contrarietas conditionum procedit à varietate proprietatum, quæ sunt in voluntate unius æternæ essentiæ. In hunc ergo modum fuerunt omnes hujus mundi creaturæ, tam spirituales, quàm corporales compositæ; atque hoc modo erant vivificatæ atque animatæ per radios, quorum unus est alteri conditione contrarius, aut ratione suæ concordantiæ & similitudinis naturæ: Exultant magnoperé, quándo radij unius influentiæ sc invicem respiciant. Scire autem debemus, quòd, quamvis quælibet creatura habuerit radicalem suam informationem ex istis emanationibus: tamen in earum generationibus & multiplicationibus possunt variare & discrepare à conditione creatorum seu generatorum suorum parentum, ratione unionis duarum differentium irradiationum in hora nativitatis. Hinc ergo evenit, quòd filius tum figurâ tum conditione possit dissimilis esse ipis parentibus: Nimirum, equus magis furibundus aut mitis, quàm ejus genitor, planta, aut fructus, magis laxus, aqueus & insalubris, quàm arbor, à qua in forma surculi decerpebatur: & consequenter per applicationem radiorũ Angelicorum contrariæ fortitudinis in nativitate hominis irradiatio seu radiorum ex planta, vel flore vel bestia &c: emissio potest perpetuò Antipathizare cum isto homine: uti ego novi nobilem fœminam, cujus naturæ rosæ irradiatio erat ita contraria, ut solo ejusdem, dum dormiebat, contactu, vesica in facie esset elevata: Porro etiam alius felem, alius anatem tanto odio habebat, ut solo eorum aspectu in lypothymiam quasi incidere solerent. Et cùm oppositio inter Elementa sit manifesta respectu illius contentionis & pugnæ, quæ est inter naturas dissonantes, videlicet frigus & calorem &c: ita, ut in hoc casu radix Sympathiæ & Antipathiæ hujusmodi seu potius oppositionis Elementorum bene cognoscantur ab omnibus, nempe ratio inimicitiæ inter aquam & ignem, atque inter aërem & terram: Intelligendum est tamen ex ijs, quæ superius sunt dicta, quòd sit causa adhuc magis latens & interna veræ Sympathiæ & Antipathiæ in rebus, quæ à quibusdam occultis stellarum naturis ascribitur, cùm rei veritate procedit ab influentijs illis Angelicis contrariæ fortitudinis, quæ invisibiliter & more abstruso à creaturis emanant, quæ sub emanationibus contrarijs & dissonantibus sunt natæ: Quod quidem Reuclinus optimè ex istis describit: Philosophis (ait) Peripateticis probatur id, quòd cœlum quodlibet Sphæricum præter formam suã essentialem habet assistentem intelligentiam orbis sui motricem, quæ vocatur Angelus, eò quòd ad hoc officium missa, intelligens & volens complet jussa Creatoris, tanquam inter Deum & naturam, virtus media, à qua fiunt operationes, in rebus, quas natura eorum vel non fecerat, vel non sic fecerat, quas alij provenire dicunt à proprietate occulta; alij, quia tale. Hæc ille. Quibus patet, quòd occulta Sympathia & Antipathia rerum tam in cœlestibus, quam terrestribus procedant & deriventur à mysticis & arcanis actionibus seu irradiationibus, Spirituum Angelicorum, qui primùm accipiunt illas proprietates à peculiaribus influentijs seu emanationibus, quæ descendunt à portis Sephiroticis, seu à fonte æterno. Sed, quoniam non est officium Astrologi se tam profundé mysterijs illis immergere, quæ ad mundum ævialem spectant; utpote, cujus est stellas cœlestes efficere fontem & originem illorum effectuum, quæ descendunt ad operandum tam per Sympathiam, quàm Antipathiam in rebus inferioribus; volo ego jam more Astrologico indicare, quomodò tam Sympathia, quàm Antipathia à multiplici stellarum influentia insurgant.

Ascle. 4.

Sap. 11.

Reuel. lib. de art. C. 1.

CAPVT. IV.

CAPVT. IV.

Vbi ratio Sympathiæ & Antipathiæ Astrologica enucleatur, ubi etiam probatur, quòd, cùm omnes spiritus inferiores suarum naturarum influentias de desuper accipiant, & cum creaturæ Elementares non sint nisi imagines cœlestium, debet necessariò sequi, quòd, ut sunt tum Sympathetici tum Antipathetici aspectus sive irradiationes inter duo vel plura cœlestium corporum, debet etiam pariter esse emissio radiorum ab uno corpore Elementari ad aliud, qui juxta naturam emanationis sunt vel Sympathetici vel Antipathetici.

FActo radicali cum Hebræis mysticis & Cabalisticis Theologis de Sympathia & Antipathia sermone, restat jam, ut illarum arcana more Astrologico aperiamus, nimirum sumendo organum visibile pro invisibili agente, hoc est, creaturæ externum pro interna ejus virtute Angelica & influentiam stellarem pro occulta & centrali emanatione divinitatis, quæ (ut dictum est) effunditur in spiritus seu intelligentias illas, quæ inhabitant & illuminant stellas, & ab ijs lucis illius influentias in mundum Elementalem ad animandos ventos pro quadruplici communis Elementi Catholici mutatione & Meteororum multiformium procreatione corporumque perfectè mixtorum productione emittunt: Oportet ergo (Astrologicè loquendo,) ut sit manifesta oppositio & convenientia non modò in respectu manifestorũ Elementorũ seu ventorum, qualitatum sive naturarum, quæ dignoscuntur esse tam in stellis fixis, quàm erraticis (nam signa zodiaci aquea contrariantur igneis, & nocturna diurnis, orientalia occidentalibus, masculina fœmininis &c.) Sed etiam respectu magis occulto: nam in Astrologia peritiores notârunt, quòd, ut Iupiter, Sol & Luna sunt amicitiâ cum Saturno conjuncti; ita quidem Mercurius, Mars & Venus sunt ei inimici: Iterum omnes Planetæ excepto Marte sunt amici Iovis. Porro etiam est nullus planetarum, excepta Sola Venere, qui est amicus Marti, sed inter cætera Sol & Mercurius sunt ipsi inimicissimi. Etiam Iupiter & Venus sunt amici Solis: contra verò Mars, Mercurius & Luna sunt Solis inimici. Omnes planetæ dicuntur amare & fovere Venerem excepto Saturno, Iupiter, Venus & Saturnus sunt amici Mercurio; ejus verò inimici sunt Sol, Luna & Mars. Amici Lunæ, sunt Venus, Iupiter & Saturnus, ejus inimici sunt Mars & Mercurius. Amici Capiti Draconis sunt Iupiter & Venus; ejus inimici sunt Saturnus & Mars. Denique inimici caudæ Draconis sunt Iupiter, Luna, Venus; ut è regione amici ejus sunt Saturnus & Mars. Præter ista notandum, quòd sit alia amicitiæ & inimicitiæ species inter planetas, nimirum cum eorum unus est in sua exultatione, in domo alterius, & in hoc res subjecta influentiæ unius, amanter recipiet aspectum alterius. E regione verò Detrimentum unius in domo alterius, faciet spiritum unius creaturæ, quæ nascitur sub illo planeta, qui habet detrimentum & per malum aspectum alterius, qui est in propria domo, in qua est detrimentum, ut Antipatheticè respiciat rem aliquam, quæ subjacitur Dominio alterius. Hoc, inquam, modo rei natæ præsentia sub planeta, illius Domus erit ingrata & odiosa alteri, cujus Domini nativitatis, detrimentum est in eadem domo. E contra verò observandum, quòd duæ creaturæ inter se Sympathizent & cum lætitia & gaudio se invicẽ aspiciant, quando earum nativitatis Domini conveniant in natura, virtute occulta & fortitudine: verbi gratia si Mars sit Dominus nativitatis unius, & Venus alterius: hi duo Planetæ naturali quodam instinctu inter se conveniunt: Atque itidem Venus, Iupiter, Mercurius & Luna concordant inter se. Porro etiam scire debemus, quòd signum illud zodiaci, quod multas unius planetæ dignitates in se habet, ut sunt Domus, Triplicitas, Facies, Exaltatio, Terminus &c: optimè Sympathizabit & concordabit cum genitura illius planetæ: cùm ex altera parte signũ vel fixa aliqua firmamenti impressio, quæ est in conditione planetæ opposita, aut infortunijs plena, exempli gratia, si esset Planeta in suo casu vel detrimento &c: facit mediantibus suis radijs occultum quoddam odium. Præterea modus ejaculationis eorum radiorum ab invicem proferre solet satis mirabilem alterationem inter duas creaturas sive subjecta: Nam, ut radij stellarum se habebant ad invicem in nativitate animalis, ita verus radiorum aspectus permanebit & exprimeter in re nata vel vegetatione producta. Igitur naturam illorum radiorum seu irradiationum secretarum, quæ stellarum influentias concomitantur more adhuc magis amplo & pleniore exprimere intendo, quoniam in ijs consistit Astrologicum Sympathiæ & Antipathiæ in rebus inferioribus secretum.

Primum igitur scire debemus, juxta profundissimorũ Astronomorum & præcipuè Alkindi opinionem, quòd omnis stella habeat propriam naturã & conditionẽ, in qua radiorũ ejectio cum alijs continetur: & sicut unaquæque suã habet propriã naturam, quam

Alkindus libro de radijs.

quam totaliter in nulla alia contingit repetire, in qua radiorum emissio continetur: sic ipsi radij in diversis stellis sunt diversæ naturæ, sicut ipsæ stellæ sunt in natura diversæ: omnis enim stella suum habet situm in mundana machina ab omnibus alijs diversum: Vnde provenit necessariò, quòd omnis stella alium sortitur respectum, quàm alia ad omnes alias, & res omnes & loca in mundo contenta. Aspectus autem varius variat effectum radiorum, sicut & aliæ proprietates ipsarum stellarum variæ. Vnde fit, quòd omnis stella aliud & aliter operatur in locis & rebus diversis: quantumcunque modicis & quàm modicé differentibus, cùm tota stellarum operatio per radios procedit, qui in omni aspectu vario in se ipsis variantur: Nam radius, qui à centro stellæ ad centrum terræ procedit fortissimus esse probatur in operationis suæ specie: qui verò à centro terræ obliquantur secundum proportionem obliquationis in effectu debilitantur; nisi in quantum stellarum aliarum radijs concurrentibus in ijsdem locis confortantur: In omnẽ enim locum omnis stella radios effundit, propter quod radiorum diversitas in unum conflata, variat contenta omnium locorum: cùm in omni loco diverso diversus sit tenor radiorum, qui à totali stellarum harmonia derivatur. Hoc insuper, quia continué mutatur per planetarum & aliarum stellarum motum continuum, secundum locum mundi Elementorum, & eorum contenta omnia continuè movet in diversas conditiones exeuntes in actum, secundum exigentiam ejusdẽ temporis harmoniæ, licét humanis sensibus res aliæ mundi videantur permanere. Liquet igitur, quòd omnia loca & omnia tempora diversa constituunt individua in hoc mundo: quod facit cœlestis Harmonia per radios in mundum projectos sese continuè diversificans. Quibus liquet, quòd irradiationes omnium stellarum diversas operationes in rebus hujus mundi habeant secundum diversitatẽ proprietatum rerum: Quatenus res omnes ab horum radiorum emanatione sive emissione existunt & derivantur. Porro etiam notandum, quòd cœlestis harmoniæ conditio sit talis, quòd cùm omnes stellæ sint diversarum naturarum, atque ob istam rationem omnes earum radij sint effectuum diversorum in mundo Elementari, evenit, quòd radiosæ earum operationes ad juventur in eadem materia seu subjecto, atque iterum in alio inter se impediantur. Observandum est etiam, quòd super rem quamlibet hujus mundi inferioris, stella ordinatur prædominans, atque iterum est quoddam signum cœleste, quòd operi & proprietati ejusdem præsidet. Ex ista ergo radiorum stellarium conditione inter se tam magna oritur rerum differentia & diversitas, ut vix reperiendæ sint in mundo res duæ vel plures, quæ in omni respectu sunt ad invicem similes, tametsi sensus humanus in aliquibus casibus sit sufficiens ad apprehendendam earum differentiam. Concludunt ergo, quòd cœlestis harmonia operetur tam differenter in diversis locis & temporibus, ut quandoque similia & nonnunquam dissimilia tam figurâ, quàm proprietate producat. Etiam nunc temporis similia per motum similem, & quandoque dissimilia per motum dissimilẽ, nimirum per motum tardum & velocem. Quibus bene ponderatis, & cùm sit evidens, quòd mundus Elementaris sit factus ad exemplar cœlestis, ita, ut quicquid continetur in mundo elementali, continet in se imaginem cœlestis, minimé dubitare debemus, quòd omnia in hoc mundo, sive sint substantiæ sive accidentia essentialia, emittant radios suos ad invicem ad imitationem stellarum illarum, sub quarum Dominio sunt orta: Nam aliter foret impossibile, quòd in se comprehenderent figuram mundi stellaris: Sed hoc manifestè & sensibiliter in quibusdam rebus confirmatur: Nam ignis emittit calorem partibus suis vicinioribus, atque itidem terra undique suæ frigiditatis radios expirat: Etiam medicamenta sumpta intrinsecus, vel extra applicata, radios suæ virtutis in corpus ejaculant. Observamus etiam, collisione corporum duorum solidorum, sonum per effusionem radiorum suo modo edi: Iterum res coloratæ suos extendunt radios, quibus mediantibus oculis percipiuntur: odorabilia etiã suæ virtutis radios undique emittunt, ut odore percipiantur. Quod cùm ita sit, audacter asseverare possumus, quòd omnis res hujus mundi, quæ habet actualem existentiam, suos radios undiquaque suo more ejus cavitatem implendo emittat. Et ob istam rationem Alkindus testatur, quòd quilibet hujus mundi inferioris locus continet radios omnium rerum, quæ actualiter existit in eo. Atque ut quælibet res differt ab alia, ita etiam radij cujuslibet subjecti naturâ & effectu à radijs omnium aliorum: Vnde accidit, quòd operatio radiorum omnium rerum in re qualibet diversa, sit varia & distincta. Hucusque explicavi Astronomorum doctissimorũ hac in re, nimirum de irradiatione cœlestium sententias, quibus nobis videntur innotescere, quòd quælibet creatura hujus mundi Elementaris non modò ab istis radijs cœlestibus informatur, sed assidué mediantibus ipsorum influentijs successivis præservatur, & consequenter quòd res omnes, quæ in hujusmodi influxibus cœli existunt, sunt typi seu imagines spirituum eorum cœlestium, quorum radijs sunt informatæ. Quare necesse est, ut per Alkindi regulam sequatur, quòd, si sint typici seu Icones effigierum cœlestium, quæ eas informàrunt, tunc opus est, ut modo simili radios

suos

ſuos, licet inviſibiles emittant: haud aliter, quàm ſtellæ, à quibus ſuæ exiſtentiæ influentiam hauriunt: Nam ſcire debemus (ut in radicali noſtra inquiſitione eſt dictum) quòd radij eſſentiales deſcendentes à Deo in cuſtodiam Angelorum & ab Angelis communicati ſtellis, & à ſtellis deſcendentes in creaturas ſunt continui, quoniam indiviſibiles: Nulla eſt enim formata virtus à Deo ſcaturiens, quæ ullo modo dividi aut in partes diſtingui queat, aut à ſuo fonte ſeparari. Quod, cùm ita ſit, debet neceſſariò ſequi, quòd in corporibus, in quibus ſunt, effulgeant alijs, alioſque aliorum ſubjectorum ſive creaturarum radios aſpiciant: haud aliter, quàm ſtella una cœleſtis in hoc vel illo aſpectu intuetur aliam. Quare obſervetis velim cùm diligentia, & attendatis ſeriò ad ea, quæ à me ſuperius ſunt dicta, nimirum, quòd quælibet in cœlo ſtella habeat ſuum amicum & inimicum: & quòd ratio iſtius oppoſitionis tam inter Angelos, quàm ſtellas cœleſtes eſſet diverſitas proprietatis in voluntate divina: Vnde tot inter Cabaliſtas orta ſunt Dei attributa varia. Procedo igitur in hunc modum, & dico, quòd ſi in harmonia cœleſti eveniat, ut ſit aſpectus aliquis vel radiorum ejaculatio potens, qui concurrit cum radijs ſeu emanatione illius ſtellæ, quæ eſt Dominus vitæ rei genitæ, & quòd ſtella fortiter aſpiciens ſit inimica Domino vitæ, cujus radios intuetur, tunc ſpiritus creaturæ ſic genitæ vel auctæ paſſionibus diſcordantibus, ut ſunt timor, ira, triſtitia, ſuſpicio, erit obnoxius, idque præcipuè ſi inimicus Domino vitæ fortior ſeu potentior exiſtens in Schemate cœleſti applicationem ſuam faciat Domino, valde infortunijs & præcipuè malo aſpectu debilitato: ita, ut hac via contingat ſpiritui rei genitæ quædam inſenſibilis Antipatheticæ perturbationis ſpecies inter genitum & rem, quæ naturaliter ſubijcitur ſtellæ conditione oppoſitæ. Etiãſi res ſeu creatura producta ſuam nativitatem incipiat, cùm inimicus ſui Domini ſit potentiſſimus in cœlo & radios ſuos contingant ſimul: Tunc neceſſe eſt, ut creatura ſub inimici Dominio nata, ſe habeat in Antipathia cum creatura illa, quæ nata eſt ſub priori Domino ſeu ſtella, ratione emiſſionis radiorum contrariæ fortitudinis & naturæ: Quoniam Genius prioris eſt terrefactus & quaſi odio excitatus ad aſpectum alterius, quippe cujus ſtella priori ſtella inimicus erat & in cœlo fortior. Quare neceſſe eſt, ut duæ illæ creaturæ terreſtres prædictis duabus ſtellis ſubjectæ invicem præſentes & aſpicientes emiſſione radiorum ſuorum contrariorum afficiantur Antipatheticè, & earum, cujus Dominus eſt fortior prævalebit: Non aliter, quàm res ſe habebat cum earum ſtellis in cœlo. Sed, obſervare deberis, quòd, tametſi radij fortiores ſunt Antipathetici ad debiliores, non ſequitur, quòd debiliores ſint Antipathetici ad fortiores: cùm ſemper accidat, ut fortior paſſio ſit in debiliori, ut actio fortior reſtat in fortiori: At verò ſi ſubjectum ſeu creatura alicui ſtellæ in cœlo ſubdita ſe offerat coram ſubjecto ſeu creatura, cujus Dominus in cœlo eſt prædictæ ſtellæ inimicus, ſi nullus malevolus eſſet in nativitate prioris inter illas ſtellas aſpectas, non ſequetur evidens inter illa duo objecta ex eorum irradiationibus Antipathia, & tamen earum radij eò magis ad actualem oppoſitionem inclinentur, ſi in tempore ſeu hora concurſûs eorum, hi inimici cœleſtes ſe invicem reſpiciant, ſeu cum radijs ſuis aſpectum malevolum faciant. Verbi gratia, ſi Iupiter ſit Dominus nativitatis, aut productionis rei & Mars ipſum intueatur in quadrili ſeu oppoſito aſpectu & coram iſta creatura (ſitque ſi placet homo) ſe præſentans feles ſive catus Dominus, cujus genituræ erat Mars, plures ſibi in cœlo dignitates vendicans, quàm Iupiter: tunc quidem aſpectus hujus felis erit admodum homini illi ingratus. Præter iſta, poteſt feles à quadam ſtella fixa, cui radicaliter ſubeſt, in aſpectu hoc Antipathetico adverſus tum ſtellam fixam, tum erraticam alterius animari. Sed è regione, ſi radij duorum planetarum, vel ſignorum vel plurium in una & eadem generatione ſeu productione creaturæ concurrant; ubi ſtella, quæ habet majus Dominium eſt Dominus creaturæ ſeu rei, utrum ſit animalis, vegetabilis vel mineralis, & iſti planetæ & ſtellæ fixæ ſunt invicem amici, tunc ſi aliquod ſubjectum ſe præſentet, quòd oritur ſub Dominio & radijs alterius ex illis planetæ: Hæc duo ſubjecta radios ſuos hic in terram emittentia, ſe invicẽ amabunt; & vinculis Sympathiæ & amicitiæ conjungentur: atque eò major erit concordia, quò magis inter ſe conveniunt in natura, proprietate & benevolentiâ aſpectus in inſtanti ſuarum nativitatum ſive productionum. Exempli gratia, ſi Iupiter ſit Dominus nativitatis humanæ & aſpectum habeat cum Venere in ſextili vel trino, atque Venus ſit in cœlo tempore genituræ canis, felis vel ſimilium potentior, hoc eſt, dignitatibus pluribus gaudeat, habetque relationem per radios ſuos ad Iovem in bono aſpectu, tunc dico reciprocum fore inter iſtas duas creaturas in Sympathia affectionem. Etiamſi ſimilis in cœlo amicitia fuerit in momento productionis alicujus vegetabilis, tam homo, quàm beſtia illa delectabitur in præſentia & fruitione ejuſdem ſimplicis vegetabilis, & ſi illud comedat, optimè cum ijs conveniet; & ſi ſit odorabile, ipſius odore afficientur magnoperè. Atque hoc totum eſt intelligendum in rebus, quæ à ſua creatione non erant oppoſito more & conditione contraria creatæ, hoc eſt, inter quas Antipathia non erat ab origine ordinata cujuſmodi ſunt venena & ſimilia, quæ nihilominus ſucceſſivè ex iſtiuſmodi cœli irradiatio-

diationibus amicabiliora & minus damnosa, atque etiam convenientiora redduntur ad salutarem tam hominum, quàm bestiarum usum. Etiam ab Adæ lapsu inimicitia ingens est inter hominẽ & serpentem posita, & tamen ratione hujusmodi Sympatheticæ à cœlo confluentiæ inveniuntur nonnulli inter homines, qui angues & serpentes amore & amicitia habent, & in eorum societate delectantur. E contra alij tam ratione radiorum contrariorum, quàm odij originalis ipsos magnoperè evitant & peste magis effugiunt. Sed, ut ad negocij istius nostri radicem revertamur, causa Antipathiæ & Sympathiæ rerum manifesta, à radicali proprietatum seu attributorum divinorum oppositionis mysterio profluit, quæ proprietates multifariæ à secreta & abdita æternitatis unius voluntate emanant (uti anté luculenter:) Et tamen Astrologi hujus rei causam varijs stellarum irradiationibus attribuunt, ut pote, qui experientia docti solam Sympathiæ & Antipathiæ rationem in ijs consistere credunt: at de radicali istius rei arcano, ne cogitaverunt quidem: Atque hinc erat, quòd omnes Philosophi in genere, inferiora à superioribus regi, mundumque inferiorem esse corporibus superioribus contiguum, concludunt. Et Ptolomæus ait, quòd vultus hujus seculi subjecti sint vultibus cœli: & Aristoteles, quòd mundus iste sit supernis lationibus fere continuus, ut inde vis ejus universa regatur. Et Hippocrates: de cœlestibus autem rebus & sublimibus mihi nihil dicendum videtur, nisi, quatenus homines, animaliaque cætera, quæ in terris degunt & gignuntur natasque sunt, principia & originem inde habere demonstrabo, & quòd anima de cœlo est, quòd dolere, languere, mori, & denique quicquid boni malive est in homine de cœlo proficiscitur &c: Et hanc ab causam Halij ait: Medicus, qui astronomiam ignorat, est tanquam cæcus viam baculo examinans, huc atque illuc miserabiliter cespitans pro qualibet boni malive apparentia. Sed, ut propinquiùs adhuc accedamus ad hujus negotij metam. Cichus Eschulamus ait, quodlibet signorum zodiacalium recipere nomen suum speciale & particulare à natura seu proprietate alicujus animalis terrestris aut aquatici, cui habet Dominium, dicens, quòd unum soleat cum altero Symbolizare: Et Moyses Arabicus affirmat, quodlibet animatum habere stellam peculiarem, cujus influentijs seu irradiationibus nascitur & præservatur: idque mandato divino. Exempli gratia: stellæ, quæ sunt in constellatione arietis, gubernant & Dominium habent super Arietem terrestrem, atque itidem Scorpio cœlestis vim suam exercet super illum terrestrem, cui præest. Et Reuclinus ait: Non est tibi ulla planta aut herba inferius, cui non est stella in Firmamento, quæ non percutiat eam.

Ptol. ser. 9. Centiloq. lib. 1. Meteor.

Hipp. de Carnibus.

Halij in Præmio cuiusdam sui operis.

Eschal. lib. de Signor.

Lib. 3. de arte Cabal.

Concludimus ergo, quòd Astronomorum atque Philosophorum intentio est corporum visibilium actiones intelligere pro illo spiritu seu virtute in illis, qui rei veritate regit & vivificat omnia inferiora & influentias multiformes ab organis suis stellaribus expirat & minimè stellaris sphæræ, ut Ethnici sapientes falsó existimant, qui profundius in mysteria divina, Deique naturam ulterius non penetrarunt, quàm oculi eorum corporei sive experientia ocularis eos gubernavit: At verò ipsi, qui se in arcana Dei & naturæ immerserunt, principium in istis cœli influentijs magis occultum & centrale perceperunt: Vnde Mercurius Trismegistus: Dij in astrorum ideis cum signis eorum conspiciebantur, dinumeratæ sunt stellæ secundum eos, qui inhabitant illos Deos &c: ubi per Deos intelligit emanationum Angelicarum varietates, quæ ab unica divinitate proficiscuntur: aut potest Archangelos seu intelligentias illas principales pro Dijs intelligere, quæ sunt singularum illarum emanationum duces, contra quos Apostolus, idque haud injuriâ excipere videtur, dicendo: Etsi sunt, qui dicuntur Dij sive in cœlo sive in terra (siquidem sunt Dij multi & Domini multi) nobis tamen unus Deus, Patet, ex quo omnia & unus Dominus Iesus Christus, per quem omnia & nos per ipsum: Sed non omnibus est scientia &c: ac si dixisset, Deus Pater sive radicalis unitas est fons, à quo omnia scaturiunt & Catholica ejus emanatio immediatus actus, per quem solum omnes virtutes, actiones & vivificationes sunt diversimodè effectæ, tam in cœlo, quàm in terra, ita, ut non sit Angelus, sed Deus in Angelo, qui operatur. Hinc Picus Mirandulanus: ad cœlum non est referendum, si quid à nobis sit, quòd nostras vires videtur excedere, sed potius vel ad Angelos vel ad Deum: Vnde & Rabbi Moyses. Angeli non semper movent orbes cœlestes eodem modo: quo fit, ut non semper eodem modo fiant mutationes horum inferiorum: Maximam namque vim & potestatem Angelica exercet conditio in res corporeas, quapropter intellectus agens, à quo influunt formæ, nominatur Angelus & appellatur præfectus universitati, ut dixerunt Sapientes nostri, vocaturque Mitattron, à quo quidem gubernantur omnes virtutes singulares, quæ pariter Angeli dicuntur, quorum est multitudo, quo ad nos infinita, sed quo ad Creatorem finita & determinata, hæc ille: Et Rabbi Bresitts: Creator quotidie creat cœtum Angelorum, quos alij vocant formas, quia sunt substantiæ formales, quibus tota sphæra generabilium & corruptibilium est plena. Iam verò per istum intellectum

Tim. 3.

1. Cor. 8. 5.

Lib. 4. a Astrol. 9. 4.

Rabbi Moyses.

Rabbi Bresitts

tellectum agentem seu Mitattron, ut pote, qui est totius mundi præses, quem in prædictis dixi esse mundi animam, quæ animat rem quamlibet particularem, radios suos formales infinitos emittendo, concipere possumus, quòd Hebræi mystici eandem illam potestatem significarint, quàm Apostolus loco præcedenti Domino nostro Iesu Christo assignavit: quatenus, ut ipsi fecerunt suum Mitattron Catholicum Angelum sive præsidentem universitatis procedentem per viam emanationis ab *Ensoph* sive infinitudine, ita Apostolus arguere videtur, quòd omnes formæ & res quælibet alia procedit à Deo Patre, & habet suam existentiam per unicum Dominum Iesum Christum.

Ad propositum ergo: Vt Deus ab infinito suo unitatis fonte duo principia naturis contraria ordinaverit, nimirum lucem & tenebras: ita quidem primo genitum tenebrarum erat litigium, seu princeps tenebrarum, qui vocatus est Satan, cujus Dominium est in tenebris & super omnes res tenebrosas & proprietates privativas: atque iste habet sub se quadriformes Angelos seu Dæmones differentium conditionum, qui habent Dominium super quatuor ventos & Elementum Catholicum, suntque ad mandata sui principis in negotio tenebroso & per consequens discordiæ Antipathiæ & privationis patranda paratissimi: juxta illud Apocalypseos: vidi quatuor Angelos stantes super 4. Angulos terræ, tenentes quatuor ventos terræ, ne flarent super terram & super mare & super ullam arborem, & clamavit Angelus ascendens ab ortu Solis voce magna quatuor Angelis, quibus datum est nocere terræ & mari &c. Iam verò quilibet istorum Angelorum præsidentium multas habent divisiones & subdivisiones legionum Dæmonum sive spirituum sub suo imperio, qui tunc secundum suam voluntatem agunt, quando assignatur ijs spirandi & aëris perturbandi potestas. Omnes autem hi animantur ab influentijs, quæ à spiritibus Olympicis sive cœlestibus effunduntur, ut etiam ipsi suam animationem & dominationis tempora habent ab Archangelo imperiali, qui ab ortu Solis ascendit assignata: Atque hi Angeli ventosi sunt immediati voluntatis æternæ & radicalis in mundo Elementari dispensatores. Ob istam ergo rationem, ut nos videmus, ocularitèr: quòd radij Solares illuminent totaliter objectum illud, quod intuentur, & quòd ista illuminatio fiat ratione multitudinis radiorum, qui in illo uniuntur, ita etiam omnes emanationes, quæ deorsum in corpora stellaria feruntur, ea radiorum in finitudine implent, qui radij ijs loco Angelorum subdivisorum inserviunt eaque reddunt seu convertunt in naturam totius emanationis illius, quæ stellam illam animavit: Atque hac de causa omnes stellæ Olympicæ sunt in proprietate similes: Eadem etiam ratio est in radijs Angelicis, qui à ventorum Thronis ad aërem & omnia inferiora, nempe aquam & terram cum numero infinito spirituum nocentium de natura sua implenda emittuntur. Et tamen hoc est certum, quòd ut Deus omnia, ut existerent & essent (Teste Salomone) creavit, ita ipse ex paterna sua bonitate curavit, ut tot boni Angeli cum spiritibus sibi subditis à radijs suis bonis scaturientes ipsis malis præsiderent, quo malitiam & malevolentiam eorum supprimerent atque obtunderent, qui itidem suas in aëre seu Elemento Catholico mansiones habent: Vnde liquet, quòd quilibet illorum ventorum nocentium præses à meliori & digniori & magis propitia intelligentia gubernetur à sua malitia pro placito suo restringatur. Nam Textus ait: Et vidi Angelum ascendentem ab ortu Solis, habentem signum Dei vivi & clamavit voce magna quatuor Angelis, quibus datum est nocere terræ & mari, dicens: Nolite nocere terræ & mari neque arboribus, quousque signemus servos Dei nostri in frontibus eorum &c: Ita, ut videamus hîc, quòd sit Angelus quidam imperialis, qui est spiritus sive intelligentia bonitatis & præservationis, qui potestatem habet super quatuor Angelos mundi inferioris tam bonos, quàm malos, & per consequens est Dominus & imperator super malignos Angelos non modò quartæ orientalis, sed etiam aliarum trium: atque iste videtur esse magnus ille Michaël, utpote cui Orientalis plagæ gubernatio & ipsius Solis præsidentia assignatur: Atque iste creditur esse ille Catholicus, quem Cabalistæ Mitattron dictitarunt, de quo anteà locutus sum: atque alij illum æstimant pro imagine æternæ sapientiæ, à qua omnia sunt facta: utcunque erat Angelus ille imperialis, qui victoriam super Draconem atque Angelos ipsius triumphavit, & per consequens eos detinet sub suo Dominio: Ita, ut, quemadmodum Satan est princeps tenebrarum & lucis & consequenter Christi & creaturis suis inimicus ita magnus iste Angelus (in quo est nomen Iehovæ, ut testantur scripturæ) in quo est vita & lux sine tenebris ullis, est princeps lucis & potestatem habet super lucem, positionem & viram, atque ideo principi tenebrarum earum & effectibus ab ijs ortis est inimicus: Atque ob hanc causam, ut Satan habet suos exercitus in aëre aperto per quatuor ventos dispersos atque undique disseminatos, ita etiam iste princeps imperialis lucis & vitæ suos conductores Angelicos cum legioni-

Apocalyp.7.1

Apocal.7.3

bus eorum undique in Elemento Catholico, nimirum aëre, aquâ & super faciem terræ expansos habet, ut custodiant & vigilent malignos spiritus in actionibus, & ut eorum violentijs & insultibus invisibilibus resisterent, nisi Deus ipsis potestatem liberam agendi concedat, signatis prius electis in eorum frontibus salutis sigillo, ne ijs pariter noceant: At iste Dei exercitus quatuor pariter duces habet de natura quatuor etiam ventorum, qui duces bonitate, gratiâ, justitiaque abundant: Hinc Theosophi & Cabalistæ mystici: Vt in exercitu Dei duo sunt Antetignani, nempe, Michaël, Gabriel, Vriel & Raphaël: Sic in exercitu pariter Satanæ latissima gerunt signiferi ultores vela Samaël, Azæel, Azael, Mahazael, uti Rabbi *Menahem Racanat* affirmat: quarum priores bellum gerunt in Oriente, secundi in Septentrione, tertij in Meridie, & quarti in Occidente. Hi autem duces Satanæ nocentes & malevoli creduntur esse quatuor illi ventorum præsidentes malevoli, quorum meminit Apocalypsis loco superius citato: Ad quatuor autē Dei duces quod attinet, quòd ipsi sint etiam primarij ventorum custodes & gubernatores ex itto Rabbi Tedaci levi sermone colligimus: Deus, ait, quatuor ventis creavit quatuor Angelos, qui præfecti sunt super eos in die & nocte: Michael, qui est ex parte Clementiæ & miserationis constituitur *Mamona*, id est, præfectus super ventum orientalem usque ad dimidium, diei & usque ad noctem, regitque ventum occidentalem Raphaël, qui similiter est de parte Clementiæ, cum Gabriel in virtute judicij & severitatis præfectus est vento Boreali super dimidium noctis & duas mensuras mundi: Noriel verò vel Vriel præsidet Austro &c: Ita, ut videamus, quòd, ut sunt bonæ irradiationes & spiritus benigniores, qui secreta emanatione se extendunt à ventorum Angulis in aërem apertum, nimirum illi, qui secretò & arcano more à benignis Iehovæ attributis emanant, ut sunt *El* per Iovem, *Eloah* per Solem, *Sadai* per Venerem &c. & tunc Michaël, Raphael, Gabriel & Vriel, mediantibus suis legionibus voluntatem divinam exequuntur. Præter ista sunt mali & corrupti spiritus contrariæ fortitudinis ventis, qui originem suam habent ab Elohim, Elohim Gibbor & *Adonai* quorum promptuaria cœlestia sunt Saturnus, Mars & Luna: Neque velim, ut quis admiratione ducatur, quòd multiplicitatem bonarum & malarum proprietatum, quæ à ventis manifestantur, à divina essentia deducam, quæ voluntatem suam à proprietate varia complendam, potestatem quatuor suis Archangelis prædictis impertit: cum Prophera jussu divino dixerit: Veni, spiritus à quatuor ventis & in suffla interfectos istos, ut reviviscāt &c: Quibus Prophera agnoscit, quòd non esset, nisi unicus in essentia spiritus vivificans, quod totum hoc compleret, & per consequens, quòd quatuor proprietates oppositæ in quatuor Angelis, qui sunt ventorum præsides sint influentiæ sive radij essentiales, non nisi unius & ejusdem Spiritus vitæ in essentia. Ratione horum spirituum contrariæ fortitudinis in aëre quandoque boni & propitij eventus accidunt creaturis mundi inferioris, nimirum, quando boni spiritus habent Dominium, ventique salutares spirant, quòd solet evenire, dum stellæ benignæ Dominium habent in cœlo, & quandoque cùm mali & pernicioſi privativo & destructivo successu observantur flare, cùm à pravis & malevolis spiritibus gubernantur, quippe quorum emanationibus spiritus maligni ubique in aëre volantes & quasi natantes ad facinora erga creaturas patranda animantur & incitantur & in flatibus seu irradiationibus invidis à suis præsidentibus crudelibus emissis, exultant & gaudent abundē, quippe quorum emissionibus spiritus isti contrarijs fortitudinibus olim consopiti jam excitantur ad bellum & furorem: Sed & totum istud à Iosepho Castalienſi optimē explicatur. A terra, ait, usque ad Firmamentum non est locus vacuus, sed omne plenum formis; ex illis puræ; ex illis capaces gratiæ ac miserationum, & sunt inferius multæ effigies fœdæ, noxiæ, tentatrices, & omnes commorantes & volantes in aëre: & non à terra ad cœlum locus vacuus, quin totum sint species: Ex illis ad pacem, ex illis ad bellum, ex illis ad bonum, ex illis ad malum, ex ijs ad vitam, ex ijs ad mortem, & omne id in inhabitatione inferiori, in qua nos sumus &c. Quibus arguit, quòd Elementum totū sublunare spiritibus tam bonis, quàm malis impleantur. Quare citra omnem controversiam est inter hos spiritus contrariæ fortitudinis assiduum bellum & conflictus interesse in regione hac elementari, quorum Agonistarum alij sub velo principis lucis & vitæ seu positionis ordinantur, & alij sub alis illius tenebrarum, privationis & mortis, quorum hi sunt ad placitum sui principis tenebrosi obeundum paratissimi. & admodùm familiares sunt cum natura humida sive aqua, quæ est mundi materia, & tenebrosi Chaos sive abyssi soboles. Atque ideò instinctu naturali magnum super ipsam Dominium habent: Vnde ratione inclinationes ipsius ad tenebras facillimè à societate lucis seducitur: Hinc à Scripturis intelligimus, quòd mundus materialis, caro & Diabolus sunt vinculis arctissimis ad invicem conjuncti: unde, ut à tribus istis præcaveat quilibet pius Christianus admonetur: Hinc etiam Satan nomine principis aëris, qui est aquarum inferiorum pars spiritualior, à quibus materialis mundi subitantia est orta: illi verò boni attendunt principem lucis & vitæ suum Dominum, qui est Sapientiæ Spiritus à lucidissimo æternitatis sermone procedens.

Lev. M. Rac. lib. 1.

Tedec. lib. de 1. Mund. rat.

Ezekiel. 37.

Ioseph. Castal. lib. de porta lucis

Atque

Atque isti præcipué in mundi & creaturarum ejusdem vivificatione, præservatione & adornatione versantur. Hac ergo ratione, nimirum oppositione horum spirituum contrariæ fortitudinis omnes passiones in spiritu & per consequens animâ mundi tam majori cum creaturis ejusdem, quàm minori immediatè derivantur, nimirum bonæ, ut sunt lætitia, charitas, spes, confidentia, misericordia, magnanimitas, amor seu amicitia & concordia in microcosmo à cordis dilatatione, & in Macrocosmo appetitus, concupiscentia, delectatio, audacia seu magnanimitas, vegetatio & omnes beneficæ in eo actiones ex gratiosa spiritus ejusdem per animam mundanam, rarefactionem & dilatationem: Atque iterum pravæ in spiritu microcosmi passiones, quales sunt: Tristitia, odium, desperatio, Timor, Ira, furor, verecundia & discordia à cordis contractione procedunt: & in mundi majoris spiritu & creaturis ipsius stupor, congelatio, discordia, irascibilitas, timor, odium, ac denique Antipathia à contractiva animæ mundanæ dispositione sortiuntur: Quæ omnes passiones vel bene afficiunt creaturas & ad vitalium spirituum Solatium & felicitatem conducunt, vel earum spiritus aggravant, & infelices ratione nebularum tenebrosarum & contrahentium reddunt.

CAPVT. V.

Quæ nam in spiritu seu anima actiones in genere producant Sympathiam & quæ Antipathiam, & quomodò Sympathia sive compassio à quadam spirituum in uno vel duobus particularibus dilatatione seu radiorum vitæ seu essentiæ positivæ & benignæ à centre emissione versus circumferentiam procedant: At é contra Antipathia per radiorum à circumferentia ad centrum contractionem contingit.

NOtum feci vobis in præcedentibus, quòd duæ proprietates essent more Archetypico seu ideali & complicito in una radicali unitate seu essentia æterna comprehensæ: quarum una ab ejus Noluntate, & altera ab ejus Voluntate est producta. Ecce hic radicem, ex qua originaliter cum Sympathia, tum Antipathia est orta, quarum hæc à proprietate privativa, seu Noluntate divina; illa à positiva seu voluntate ejus initium ducit. Tum posteà vobis recitavi, quòd ab ista radice seu unitate in essentia geminus ramus sive duplex membrum esset derivatum: exprimens Typicé & explicité effectus & naturas illarum proprietatum contrarias, quæ complicité in radice Ideali comprehendebantur, videlicet tenebras, quæ sunt fructus privativæ suæ noluntatis; & Lucem, quæ est Character verus seu signum indubitatum voluntatis illius: & deinde probavi, quòd istæ duæ fuerint omniù rerum principia. Ecce ergo hic principia duo immediata Sympathiæ & Antipathiæ, ab una stirpe seu radice derivata: In loco tertio demonstravi vobis, quòd separatione puri Chaos Tenebrosi ab impuro (quæ virtute Spagyrica lucidissimæ emanationis seu verbi æternæ unitatis efficiebatur) humida sive aquea mundi natura essentialis spiritus omnia informantis esset creata seu essentialiter informata; ita, ut in unione istarum duarum naturarum contrariarum, nimirum essentiæ informantis seu naturæ naturantis & naturæ naturatæ sive informatæ substantiæ in unum spiritus mundi erat animatus: & tum posteà secundum Sapientes Philosophos anima mundi vocatus, quæ erat illa compositio Angelica Duorum, quæ hac de causa est alteritas nuncupata: uti Deus in simplici & æterna sua natura consideratus dicitur Identitas. Iam verò passiva portio, ex qua Alteritas erat facta, dicitur humida creata natura, seu materia mundi naturata, cujus activa sive interna essentia est & vivax & agilis ab æternitate emanatio, quæ (ut nos Apostolus docet) vivificat omnia & implet omnia, & est omnia in omnibus: Horum duorum uni constituit animam mundi Catholicam, quæ vocatur respectu simplicis creationis & emanationis vivificantis Mens, & ratione spiritus ab ea creati spiritus, & considerationе utriusque simul in unum uniti, anima: Ecce hic tertium progressionis Antipatheticæ & Sympatheticæ à simplici æternitatis radice gradum, nimirum creatum materiam seu spiritum, in anima mundi existentem, tenebrosæ Chaos sobolem; & ob istam causam naturaliter ad privativos & negativos tenebrarum effectus inclinatur, & per consequens est aptissima ad impressiones Antipatheticas seu discordantes recipiendas, quas Angelici tenebrarum spiritus ei imprimere solent: Nam, ut sacra lux, quæ humidum mundi spiritum & per consequens integram aquarum massam animat, ex quibus cœlum & terra erat facta, uti asserit D. Petrus, est magis nobilis, activus & agilis omnium rerum, teste Salomone, ita etiam in parte oppositа materia, quæ informatur (atque ideò creatum corpus & spiritus admodum est degenerans à luce) & minimè propriâ suâ naturâ admo-

Sap. 7.

ad motum vitamque inclinatur: Nam Philosophorum verba sunt, quòd materia sit per se ad motum inefficax, ab ipsa anima lucidé degenerans. Quare libenter & ex gemina sua dispositione induit matris suæ Chaos, seu tenebrosæ hylæ conditionem, quæ proclivis est ad requiem, immobilitatem, tenebrositatem, frigiditatem, spissitudinem & congelationem: Propter hanc ergo causam patitur materia aquea utriusque oppositi impressiones, videlicet, quandoque inclinat ad tenebras, & tunc inspissatur & opaca, frigida, fixa, ponderosa redditur, in qua ejus proprietate tendit deorsum & ad frigidum centrum seu sedem tenebrarum, quæ sunt ei loco matris & in hoc statu redditur rebellis & oppositissima luci & motioni ac calori: atque ita actionibus lucis & vitæ redditur Antipathetica: quemadmodum videmus in aëre & spiritu mundano, qui est clarus, Diaphanus, tenuis, mobilis & sursum tendens, quod totum habet à luce cœlesti descendenti, tamen é regione, appropinquatione seu accessione septentrionalis frigoris, quod est tenebrosæ Chaos soboles: ille spiritus subitò mutatur, nam congelatur atque opacus, spissus immobilis fixusque redditur, quatenus in nives, pruinas, glacies, grandines & consimilia condensatur: ita, ut Antipathetica istiusmodi frigoris tenebrarum accessione discordans factus sit & aversetur ab amabili illa unione & Sympathetico accessu, quem habet cum regione lucis. Ex altera verò parte lucida animæ forma, quæ est æternæ illius emanationis essentia, dat aëri spiritum, vitam, actionem, motum, calorem, levitatem seu tenuitatem & transparentiam: vel, ut Apostolus habet, vitam, inspirationem & omnia. Et notare debemus, quò propinquius accedit spiritus ad naturam lucis, eò firmiora esse vincula seu nexus concordiæ Sympatheticæ ipsius: Nam, ut Sympathia consistit ex rebus similis naturæ, ita, quò magis spiritus appropinquat ad formam, eò firmior est ejus Sympathiæ seu concordiæ nexus, fortiorque & efficacior ejus virtus: Nam quò magis spiritus creatus illuminatur, eò minus illius naturalis inclinationis & amoris meminit, quem ad obscuram & deformem suam originem habuit, ita, ut mediante exaltatione tam depurata sua, ad ipsius divinitatis naturam appropinquare videatur: Atque ideò Platonis est opinio, quòd, si medius hominis interni spiritus nimirum ille, qui est inter radium mentalem & obscurum corporis spiritum, adhæreat magis menti, quàm spiritui Elementali corporis, tunc in boni Dæmonis naturam migrabit: Sed si deorsum ad obscurum corporis spiritum Elementalem respiciat, tunc convertetur in conditionem Cacodæmonis, eritque obscuræ suæ parentis naturæ quàm proximus: Etiam à Scripturis docemur, quòd adhærendo huic luci divinæ, nimirum Christo Spirituali, tandem in eandem imaginem transformabimur, nimirum, si spiritus nostri interni intermedius inferiora negligendo, hoc est, carnis concupiscentias respuendo ad gaudia & mundities superiorum se erigat: Sed, ut ad animam mundi majoris revertamur; Si spiritus aëreus in potestatem tenebrarum & principis earum tradatur, fit corporeus, & in corporis opaci imaginem convertitur, nimirum in gelu, nivem, grandinem &c: Verùm si effectus caloris & formalis lucis actus prævalet super stupidum tenebrarum frigus, tunc corpus prædictum, vel niviale vel glaciale &c: opacitatem suam exuet, & reddetur Diaphanum & transparens, hoc est, à terrestrinatura fixa & opaca in aqueam, lympidam & fluentem reducetur: atque iterum per alium gradum accessus ad lucis Dominium magis adhuc dilatabitur, ita, ut à statu aqueo visibili in statum invisibilem & aëreum redigetur. Porro etiam gradu tertio appropinquationis ad lucem in statum & conditionem ignis depurabitur: Denique gradu quarto in naturam substantiæ æthereæ sive cœlestis transmigrabit, in quo statu amittit omnem ad mutationem appetitum, & jam omninò est oblitus privativæ stirpis, à qua est originaliter ortus: in quo etiam statu transgreditur corruptionis limites, & conditionem induit incorruptibilem, utpote mutationibus minimé jam obnoxius: Ac tandem per quintum gradum transcendit in mundum temporalem, migratque in statum ævialem seu Angelicum: Se enim jam habet in pari cum substantia Empyrea conditione: Atque ita plus minusve exaltatur in dignitate, quò magis vel minus actui æternæ seu Catholicæ influentiæ formali est obediens: Nam debemus intelligere, quòd tota inclinatio æternæ emanationis sit, ut istam tenebrarum sobolem à confusa mundana multitudine ad æternæ lucis unitatem & vitam reducat, ut é regione tenebrarum potentialium conatus in contrarium vergat. Finis lucis creantis actionis integer tendit, ut ligamentis amicitiæ & unitatis Symphoniacis omnia in mundo divisa & ad invicem contraria in unitatem connectat, hoc est, ut Catholicum tenebrarum filium similem ei reddat, quo tandem in exilium sempiternum relegata Antipathia, mundus & suprema ejusdem mens æterno amore & amicitia inter se Sympathizent. Sed tamen huic optimæ lucis intentioni summoperé resistunt tenebræ, ut unitatis dualitas perpetuò remaneret in mundo, qua concordiæ vincula, discordiæ odio violarentur, & Antipathiæ leges in amicitiæ & pacis detrimentum inter mundana continerentur. Quibus liquet, quòd subjectum illud ab obscuri & deformis Chaos visceribus mediante lucis emanatione redimitum jam manet, quasi media substantia inter ista duo extrema, nimirum,

lucem

lucem & tenebras, atque ideò est subjectum passivum à Creatore ordinatum ad utriusque extremi impressiones seu Characteres sustinendos. Vnde fit, ut sit quandoque subjectum Sympathiæ, nimirum quando est obediens ad unionem & lucem, & quandoque Antipathiæ, nimirum, quando est rebelle lumini. Atque ita patefractum jam habemus omnis in anima mundana passionis subjectum. Hæc itaque erat sola ratio, cur Philosophus Heraclitus tantâ confidentiâ asseverarit, omnia ex lite & amicitia fuisse conflata: Empedocles, animam esse ex amicitia & inimicitia compositam. Enarrabo ergo vobis jam ordinem illum concordiæ, quem æternus amor (qui à Patre luminis & amoris emanavit) in qualibet mundi regione ad binas illas naturas differentes ab invicem distinguendas posuit, collocando inter eas subjectum seu sphæram intermediam cum utroque extremo naturâ opposito conveniens. Et in primo loco ordines in universo spiritu mundano describam, ac postremò de quolibet spiritu particulari vivificato seu in actuato, tam intellectuali, seu Empyreo, quàm vitali seu Æthereo & naturali sive Elementali efficiam mentionem.

Oportet, ut duo principia opposita in duobus unius semidiametri mundi rotundi extremis, collocemus: & inprimis imaginabimur, quòd sedes Dei lucis sive actus divini sit in summa cœli ævialis seu Angelici vel Empyrei convexitate, vulgari more loquendo, hoc est, in circumferentia mundi sit ordinata: Et tunc æstimabimus Thronum tenebrarum seu divinæ potentiæ situm suum habere in mundi centro, nimirum terra, quasi loco à lucis præsentia remotiori & magis opposito. Hic intueri potestis duo concordiæ & discordiæ, amoris, inquam, & odij, & consequenter Sympathiæ & Antipathiæ principia, quorum effectibus scripturæ sacræ atque etiam Philosophorum scripta & gesta sunt plena. Materia Catholica, videlicet aqua, quæ erat originaliter ex abyssо tenebrosa abstracta (de qua cœli erant prius & terra extracta & virtute verbi divini ædificata) totum illud spatium inter utraque extrema occupat, & virtute spagyrica emanationis illius sanctæ in regiones ita numero, pondere & mensura erat in aquas superiores & inferiores dispositа atque divisa, quarum illæ superiores fuerunt bonæ & lucidæ divinitati obedientes, ac in naturam igneam conversi, unde cœlum Empyreum erant dictæ: Nam propter earum ad lucidam Dei naturam emissam obedientiam igne intellectuali & luce Angelica abundabunt: atque ideò ista aquarum portio erat pro sede Angelorum bonorum & animarum beatarum ordinata. Aquæ inferiores é regione, quatenus erant fæcales, grossæ, impuræ & consequenter magis erga lucis principem inobedientes, quoniã de tenebrosa sua matre, terra præcipué participarunt, locum & sedem prope radicem suam acceperunt, totumque illud spatium implebant, quod est inter cœlum & terram, quod cœlum Elementare dictitabatur: quòd ob istam causam omnibus generationis & corruptionis mutationibus subijcitur: Vnde propter varias in eo passiones & perturbationes cognoscitur esse Satanæ atque Angelorum ipsius pravorum sedes: Quare ipse à scripturis princeps hujus mundi, & alibi princeps aëris dicitur, & primarij ipsius subditi nuncupãtur Principalitates, Potentatus & gubernatores istius mundi, ut testatur Apostolus: Ecce hic duo illa naturæ creatæ extrema, à cujus superiori generalis Sympathia & amor sive Symphoniacus in rebus consensus procedit & efficitur in hoc mundo: ab ejus inferiori universalis Antipathia, odium & dissensio rerum in hoc mundo inferiori tunc nimirum contingunt, quando severa Dei attributa in mundum stellarum influẽtias contrariæ naturæ effundunt, quæ postmodùm per earum in mundum inferiorem emissiones animat & libertatem dæmonibus Elementaribus seu ventosis ad vires suas destructivas & Antipatheticas in mundo isto exercendas concedunt: Exempli gratia; attributum Elohim deorsum in globum Saturni fructus suæ gelidæ & glacialis facultatis destillat, quibus spiritus illius orbis animantur & corroborantur, qui tum posteà virium suarum portionem spiritibus ventorum Septentrionalium & terrenis, qui sunt ijs substituti, impluunt: Vnde Archangelus Cabalista ait: Hoc nomen *El*, quod nos Deum habemus interpretatum, omnia fovet, & omnibus succurrit, summa pietate & clementia, id quod est illi proprium, & ideò illi gratia attribuitur. At per ipsum nomen *Elohim* veniunt severæ punitiones & stragcs & Angeli ei inservientes dicuntur *Ben Elohim*, id est, filij *Elohim*. *Elohim* ergo terrorem significat & pavorem. Hinc locus Aquilonaris ei assignatur, à quo procedit omne malum. Hæc ille: Quibus discernere possumus, quomodò spiritus, qui sunt dispensatores salutarium & bonarum, quàm malevolarum seu destructivarum influentiarum, sunt atque comprehenduntur in aquarum inferiorum abyssо seu congerie: Denique medius mundi spiritus dicitur firmamentum, cujus est officium dividere duo extrema ab invicem: atque iste spiritus intermedius talis est conditionis, ut æqualiter de utroque extremo participet, in cujus centro situm est emanationis æternæ tabernaculum, à quo lucis suæ radios deorsum ad centrum usque tenebrarum ex una parte emittit, & ex alia parte suam radicem ab *Eloah* respicit sursum per gloriosam sive ornatissimam portam

Ephes. 2. Ephes. 6.

Comm. in Cab. dogm.

ſive attributum Tiphereth aſcendendo, à quo tantam accipit gratiam, pulchritudinem & virtutem vivificam; ita, ut lux Solaris ſua emanatione penetret omnia, omniaque ſuâ præſentiâ impleat & vivificet: eſtque Pater non modò vitæ, ſed & vegetationis, multiplicationis & præſervationis: atque hic ſpiritus ſuum in cœli centro ideò poſuit Tabernaculum, ut una perfectiſſima conſonantia ſpirituali, nimirum Diapaſon poſſit Angelos ſuperiores illuminare & corroborare, atque etiam ſtellas circum circa eum diſpoſitas radijs ſuis illuſtrare, aliaque materialia ad mundi Elementaris & creaturarum illius centrum uſque penetret, ut pariter radiorum ipſius virtute animentur & vivificentur: & conſequenter, ut ſpiritus tenebrarum ad glorioſum faciei illius conſpectum debilitarentur: ac ſi chorda extenderetur à fonte lucido in cœlorum cacumine regnante, ad centrum tenebroſæ abyſſi ſeu globi terreſtris, iſta chorda percuſſa reddet unisonum: at ſi in medio prematur, quælibet pars dimidia reſonabit diapaſon ad illum unisonum, arguens duplicem perfectionem à lucida emanatione Catholica procedentem, quarum unius eſt vitam, vegetationem & quamlibet virtutem aliam aquis inferioribus impertire: atque altera concordiam Sympatheticam facit in ſuperioribus: Iam verò, ut corpus Solare & ſubſtantia Ætheris eſt ſpiritualis materia conſiſtentiæ aquarum mediæ, manifeſtum eſt, quòd ſit ſubjectum facillimè paſſionibus tam Sympatheticis quàm Antipatheticis alterabile: nam aliter non foret receptaculum immediatum iſtarum oppoſitarum & contrariarum emanationum, quæ deſcendunt ab attributis Dei differentibus: Sed ab effectu invenimus contrarium: nam aliquæ ſtellæ ſunt amicæ & Sympathizant in natura cum quibuſdam creaturis ſublunaribus, atque iterum aliæ odio ſe invicem proſequuntur, & per conſequens in mundum inferiorem contrarios effectus emittunt, qui contrarias paſſiones ſeu impreſſiones in ſpiritibus vitalibus ſeu animabus quarundam creaturarum Elementarium excitant. Porro etiam invenimus, quòd vita animalis conſiſtat in oppoſitis actionibus, videlicet in Syſtole & Diaſtole, hoc eſt, contractione, quæ fit à materia ſpirituali; & dilatatione, quæ fit per actum formalis lucis, ita, ut natura materiæ operetur per contractionem à circumferentia verſus centrum: at conditio eſſentiæ formalis eſt dilatare, radioſque ſuos emittere à centro ad circumferentiam: Etiam Philoſophi & medici teſtantur, in ſomno & quiete ſpiritus vitales ſolere à circumferentia ad centrum ſe contrahere ſecundum tenebroſæ chaos atque venti Borealis conditionem, quæ attractiva ſua facultate efficit, ut agilis & volatilis mundi inferioris ſpiritus ſive aër reddatur quietus, fixus, & condenſatus: ſic etiam contractione radiorum ſpirituum reconciliatur ſomnus: at é regione in vigilijs concludunt: quòd illæ fiant per radiorum ſeu ſpirituum à centro ad circumferentiam emiſſionem: quod quidem eſt duorum effectuum contrariorum verificantis firmamenti operationis in animabus ſive ſpiritibus creaturarum ſublunarium argumentum: & tamen ratione æqualitatis cujuſlibet actionis & paſſionis ad invicem habent diſpoſitionem compoſitam, ſecundum quod in naturali vitæ operatione, quæ deſcendit de deſuper, inter ſe conveniunt: Hinc ergo evidens eſt, quòd à cœlo ſtellato radicaliter deſcendat Sympathia & Antipathia.

Ad mundum Elementalem quod ſpectat, certum eſt, ipſum effectibus manifeſtis duarum iſtarum contrarietatum abundare, atque ideò ne aliqua continua præternaturalis ſequeretur perturbatio, quæ magnum iſtum formalem opificem de ſuo eventu expectato depravaret, qui erat, ut pacem & concordiam in machina ab ipſo formata poneret, quamlibet hujus cœli ſublunaris regionem proportionaliter, hoc eſt, numero, menſurâ & pondere diſtinguebat, ut hac ratione orbis amicabilis, quaſi indifferens amicus inter duos extremos inimicos poneretur; ita, ut portioni Graviori aquarum inferiorum minimam formæ menſuram aſſignaret, ut ratione ſui ponderis ad centrum totius fabricæ caderet, & in eo fixe permaneret, & vocabatur terra: tunc ſecundæ aquarum inferiorum portioni duplicem lucis formalis proportionem impertivit, ut mediante ea per unicum graduum altiùs elevaretur: Vnde factum eſt, ut ſphæra aquarum terræ proxima, facta ſit tenuior, leviot & mobilior, quàm terra: Nam duplex lucis proportio efficeret, ut aqua congelata & fixa parumper liquefieret & fluxibilis atque tranſparens redderetur; ita, ut partim propter continuitatem ſubſtantiæ ipſius cum illa terræ, & partim reſpectu ſuæ frigiditatis eſt amicus temperatus & indifferens ad terram, & amicabilis intermediator inter terram & aërem, qui ſunt ſibi invicem inimiciſſimi: Non eſt enim ita frigida ac tetra, nec ita humida ac aër: Deinde lucidum mundi agens, aſſignavit alteri aquarum inferiorum ſive Elementi Catholici portioni tres partes ſuæ lucis; ita, ut illa in exiſtentiam tenuiorem & magis levem, quam erat ſphæra aquæ viſibilis converteretur, & vocatur iſte orbis aër, qui ratione triplicis ſuæ in formali luce proportionis, erat calidior & magis dilatatus, quàm aqua: Quare, ut aqua erat frigida; & tamen non ita fri-

ita frigida, ac est terra & humida; sed non ita humida ac aër: ita quidem aër est calidus, sed non ita calidus ac ignis, & humidior aquâ. Ratione ergo suæ humiditatis, ista proportio Catholici Elementi est ex una parte amicus aquæ & respectu suæ caliditatis est ex altera parte amicus igni: Denique spiritus vitæ increatus aquarum inferiorum portionem altius adhuc per gradum unicum subtiliavit & depuravit, eamque in summam cœli Elementalis sphæram redegit per additionem gradus suæ caliditatis alterius, atque hac ratione in dispositionem calidam & siccam est redacta. Vnde fit, quòd respectu suæ siccitatis convenit cum terra, & ratione suæ caliditatis cum aëre, sed ipsa est calidior aëre, & non ita ficca, ut terra. Ecce hîc manifestus est Sympathiæ & Antipathiæ Elementalis effectus, quem pacificus Dei amor inter Elementa discordantia posuit: Nam ejus actione aqua, quatenus amica ambobus, interponitur, quasi mediator pacificans inter duos inimicos, terram & aërem: & aër quasi amicus aquæ & igni, qui sunt invicē oppositissimi loco mediatoris & moderatoris amicabilis interponitur inter eos, & ipsos in pace præsetvat: Denique ignis est mediator inter duos inimicos aërem & terram, & eos in pace conservat: Vnde liquet, quòd Christus iste Spiritualis (ut ait Apostolus) portat & sustinet omnia ex massa aquea existentia, virtute verbi sui: &, ut Hermes ait: Humida natura virtute verbi more Harmonico in Elementa disponitur; ita, ut virtute ista omnis effectus manifestus seu Elementaris Sympatheticus efficiatur in Elemento Catholico, de quo sapiens ista: in se Elementa duo convertebantur, sicut in organo qualitatis sonus immutatur, & omnia suum locum custodiunt: Sed, quando ordo iste Harmonicus seu proportio Symphoniaca est violata, tunc inimici inter se concurrunt & contra se ipsos ad perturbationem totius fabricæ sublunaris sæviunt: Nam aër cum terra sine ullo obstaculo aqueo contendit, & aqua violenter invadit Dominium ignis sine medio aëreo, ita, ut bellum gerunt inimici ad invicem crudele, nisi amicus utriusque extremi concordiam & amicitiam inter ipsos ponat. Hic videre potestis, quomodò Sympathia & Antipathia suas habeant in regno Elementali vicissitudines, & qua ratione per nodi amicabilis Elementorum solutionem, eorum amicitia in odium convertatur: nimirum, quando in mente Iehovæ est ventos & influentias ejus alterantes emittere, ut, mediantibus ijs, corroboret & excitet suæ iræ & vindictæ ministros sublunares adversus creaturas tertæ.

Heb. 1. Tim. 1.

Sap. 19.

Iam verò probare aggrediar, quòd omnes effectus Sympathetici & Antipathetici ab actu spirituum hujus mundi administrantium secretò procedant. Quod sit magna inter Angelos discrepantia inter mente sanos non ambigitur: nam, tametsi omnes Angeli essent originaliter divinæ unitati annexæ; tamen ratione rebellionis & ambitionis Luciferi illud unionis vinculum erat corruptum & violatum, & tunc facta est aquarum in inferiores & superiores divisio, ut ista ratione boni, pacifici & obedientes Angeli à malis, contentiosis & rebellibus per Firmamenti, quasi Diaphragmatis sive septi transversi interpositionem separarentur; ita, ut Angeli tenebrosi essent aquis inferioribus & fæculentis inclusi: illi verò lucidi suam sedem in aquis superioribus haberent, quæ luce æterna essent undique illuminatæ.

Ita videre potestis, quòd Angeli cœli (ut pote, qui ex aëre puriori seu subtiliori humidæ naturæ spiritu, quasi eorū externo creātur, atque lucida unitatis emanatione, quæ est eorum internum) sint respectu materialis eorum substantiæ, quæ participat de utroque extremo, affectionibus sive passionibus tam Sympatheticis, quàm Antipatheticis, atque etiam accidentibus in creaturarum Elementarium spiritibus subjecti: & per consequēs ratione varietatis & contrarietatis suarum proprietatum, in eorum potestate est effectus tam Sympatheticos, quàm Antipatheticos proferre. Exempli causa comparabimus Sympathiam & Antipathiam Catholicam animæ mundi majoris cum illis particularibus spiritus sive animæ, quæ est in homine, cùm scilicet quodlibet particulare esset formatum ex universali; debemus igitur intelligere, integram essentiam animæ vel spiritus humani, utcunque est invisibilis, se ipsum extendere & manifestare per virtutes & facultates suas: Nam per virtutem suam irascibilem contemnit & odit, per concupiscibilem appetit & desiderat; & per rationabilem distinguit & discernit inter utramque. Et profectò integer essentiæ animæ effectus in prædictis tribus potestatibus consistit, ut pote, quarum prior refertur ad actionem aquarum inferiorum, quæ sunt aptæ discordare & commotionibus perturbari, quatenus sunt litigij seu principis tenebrarum sedes sive mansio: secunda comparetur naturæ firmamenti, quod est regio vitæ & amoris salutaris: atque ultimo relationē habet ad cœlum Angelorum bonorum seu aquas superiores, quas vocant cœlum intellectuale, cujus est inter res sibi subditas seu objectas discernere. Vnde patet, omnem sensum ab anima humana dependentem à proprietate sua rationali procedere, ut ab alijs duabus omnis effectio, motus sive passio animæ oriuntur. Iam verò quatuor sunt animæ satis notæ affectiones, quarum duæ à potestate ejus concupiscibili emanant, nimirum lætitia & spes (nam in eo, quòd amamus lætitiâ afficimur, aut spem & expectationem illius rei habemus, quæ gaudere nos faciet) duæ verò aliæ ab ejus irascibili facultate derivantur, nimirum

dolor & timor : nam ſolemus jam dolere in eo, quòd odimus, aut ſolemus timere illud, quod nos dolere faceret: Et revera debitâ inquiſitione facta, inveniemus, iſtas quatuor animæ microcoſmicæ affectiones non eſſe ſolummodò principia & communia ſubjecta omnium vitiorum & virtutum moralium, ſed etiam tam abſtruſæ ſeu arcanæ, quàm manifeſtæ & apparentes Sympathiæ & Antipathiæ in mundo cum majori, & creaturarum ejuſdem, tum minori, origines. Nolim enim, ut ſitis ignorantes, quòd, cum anima hominis ab emanatione æterna in tabernaculo mundano habitante, oriatur, neceſſariò debeat ſequi, ut anima in magno mundo omnes eaſdem in ſe habeat facultates, quibus illa microcoſmi ſive humana eſt prædita: Nam tritum illud Philoſophorum eſt axioma: Quod facit tale, eſt magis tale: at omnes prædictæ in anima humana virtutes ſeu proprietates ab anima macrocoſmi, & mente divina, quæ eam animavit, procedunt: Vnde ſequitur, eſſe tam rationabilitatem, quàm concupiſcibilitatem & iraſcibilitatem in anima majoris mundi, tametſi nobis non manifeſtentur: idque probamus primùm, quia Deus attributa Iraſcibilitatis & ſeveritatis habet in ſe: Nam ab attributo nominis divini *Elohim Gibbor*, nimirum porta *Geburah* emittuntur ignes & flammivomi iracundiæ divinæ radij, Samaele Archangelo duce in ſphæram Martis, qui ſunt Iræ & Bilis in creaturis authores, & per conſequens facultatis iraſcibilis in mundo majori origo: Vnde fit, ut hujuſmodi influentijs, iraſcentes & ignei producantur in mundo Elementali effectus, cujuſmodi ſunt tonitrua, fulgura, cometæ, accidentia omnia irabunda. Quare teſte ſcriptura ſacra ſunt ira & vindictæ divinæ argumenta: Quippe quorum effectus frequenter ſunt bellum, peſtis, fames &c: Nec enim ſolum convertunt ſpiritus in naturam iracundam, ſed etiam in eo diſſeminant effectus & imaginationes ſanguinolentas & truculentas, malitiam, ambitionem, violentiam, diffidentiam, traditionem, rapinam & id genus alia. Porro etiam nomen Dei *Elohim* influentias ſuas per portam *Binah* in Sphæram Saturni, ex eaque in regionem ſublunarem impluens, eſt timoris, odij, ſuſpicionis, triſtitiæ & malevolentiæ tam in magno, quàm in minori mundo cauſa. Ecce hic facultatis iraſcibilis geminarum ipſius affectionum, videlicet doloris & timoris radices. E regione verò nomen Dei Iehova *Sabaoth* per portam ſuam *Netzeth* effundit radios concupiſcibiles, Archangelo Anaele duce in globum Veneris, atque ob iſtam rationem Philoſophi & Aſtronomi experientiâ & obſervatione docti, ſtellam iſtam, facultatis concupiſcibilis rectricem fecerunt: quemadmodum etiam Dei denominatio *El* effundit radios rationis, juſtitiæ & religionis atque etiam naturalis vegetationis in ſphæram Iovis: Sed præter cætera illud *Iah* facultatem naturalem per portam ſapientiæ effundit liberaliter. Secundum, quoniam magnus mundus habet intellectuale ſeu rationale cœlum & concupiſcibilem proprietatem in qualibet creatura tam animali & vegetabili, quàm minerali patefactam, atque iraſcibilem, quæ ratione odij & horroris inter res apparet. Etiam, quòd ſit iraſcibilis proprietas in regione Elementari, teſtatur inimicitia illa, quæ eſt inter aquam & ignem, atque aërem & terram. Quòd etiam ſit amor & concupiſcentia inter res in eo evidens redditur, quia ſimile gaudet in ſuo ſimili, & natura naturâ lætatur: atque ideò res quælibet per naturalem quandam inclinationem pro poſſibili movetur & ſe convertit ad ſuum ſimile. Sic videmus, quòd ignis afficiatur ad ignem movere, aqua ad aquam, terra ad terram tendat: Sed ſuper omnia ſpiritus vivificans cujuſlibet rei viventis, qui eſt cœleſtis, atque ideò locum & ſedem Elementorum excedit, ardenter afficit & inhiat ſuo ſimili ac in ipſius præſentia ac ſocietate delectatur, ut propter iſtam cauſam paſſio cujuſlibet creaturæ ſit futura eò magis Sympathetica, & Sympathia inter res majoris virtutis quò propinquiores in natura & conſanguinitate ſunt rebus vel præſentibus vel abſentibus ſeu diſtantibus. Exempli gratia, ſi ambæ ſunt ejuſdem mineræ aut ſubſtantiæ numero, vel ſi ſint individua ſpecifica numero differentia, ut *Vſnea*, pinguedo ſive ſanguis humanus unius hominis poteſt Sympathizare cum alio ad diſtans. Magnes unius mineræ poteſt more Sympathetico affectare ferrum alterius ad diſtans: Et hujus rei rationem tam radicalem, quam immediatam in præcedentibus recitavi, nempe, quia ambæ naturæ ad unicam divinam influentiam pertinent, hoc eſt, à radijs Angelicis, ſeu irradiatione ab una eademque ſtella tam fixa, quàm erratica emiſſa procedunt: Nam dictum eſt: non eſſe animal, vegetabile aut minerale ſuper terram aut in mari, quòd non habeat in cœlo ſuam ſtellam peculiarem, à qua ſuam vitæ, vegetationis, præſervationis & multiplicationis virtutem & influentiam non hauriat. Iam verò quælibet natura Angelica habet radios ſuos appropriatos ab aliqua ex divinorum attributorum emanatione, quæ in ſacrarium aliquod ſtellare transfertur; à quo actu ſpirituum Olympicorum effunditur & miniſtris in regione elementari ſpiritualibus ijs ſubditis impertitur: quæ quidem emanatio ſtellaris operatur tum poſteà in quolibet individuo ſpecificato ſecun-

secundum naturam suam, uti anteà est narratum. Exempli gratia stellæ in Ariete cœlesti, influentiam præcipuam & connaturalem habent super animalia ejusdem speciei in terra: & stellæ Scorpionis super Scorpiones & similes bestias terrestres. Cancer cœlestis supra cancrum, locustam & similia animalia marina: Nam invenimus experientiâ docti, quòd, si cancer marinus capiatur, dum Sol & Luna reperiuntur in magna illa stella, quæ invenitur in pede cancri cœlestis, eximiæ erunt pedis illius in arte medicandi virtutes, adversus venena & humores malignos: At si ullo alio tempore capiatur, cancer, erit haud magni momenti vel operationis ad dictos effectus. Iterum notandum, quamlibet stellam fixam seu constellationem zodiaci suo proprio frui planeta, cujus dicitur domicilium, qui concurrit ad fortificationem vel alterationem illius influentiæ: Nam diversitas applicationis aliarum planetarum ad illud facit diversitatem operationis, etiam in ejusdem animalis spermate vel plantæ semine vel secreto mineralis spiritu: & tamen nihilominus magis minusve inter se convenient & in natura Sympathizabunt, secundum quod radij cujuslibet planetæ se invicem ita aspicientes concedent eis licentiam: Nam, si concursus sive aspectus sit duorum planetarum amicabilium unius & ejusdem Triplicitatis, nimirum ubi domus eorum sunt Elementorum concordantium, tunc Sympathia erit fortior. Quod etiam Agrippa haud inconsulté sic confirmat. In rebus proprietates occultæ, non ab Elementali natura, sed cœlitus insitæ, sensibus nostris occultæ, rationi vix Denique notæ: quæ quidem à vita spirituque mundi per ipsos stellarum radios proficiscuntur, quæ à nobis non aliter, quàm experientiâ & conjecturis indagari possunt. Scire ergo debes, quòd unaquæque res movet ad suum simile & inclinat ad ipsam secundum totum posse suum. Hæc ille: quo arguere videtur, quòd Catholicus Angelicus spiritus, qui vivificat mundum, in cujus parte diviniori virtus sive potestas attributorum omnium divinorum Sephirotica consistit: in qua etiam (ut testatur Ezekiel) continentur quatuor ventorum vires; est præcipuus & maximé eminens ille actor, qui diversis suis subdivisis varieformium radiorum emissionibus in & per organa sua stellaria omnes illos occultos effectus inferiores operatur, qui in communium sive vulgarium hominum capacitatis seu intellectus sphæram cadere nequeunt, utcunque eos hoc vel illo modo sese habere confirmat experientia: ita, ut non sit particularis radius ab illo emissus, qui suum secretum actum seu proprietatem non habeat, haud aliter ab alio variantem, quàm oculari experientia effectus eorum inter se discrepare docemur: Nam, quicquid erat originaliter in secreto Archetypi consilio decretum, illud à generalitate in multas specialitates & à qualibet specialitate in infinita individua seu particularitates fuit effectum seu dispositum; ita, ut ævialis effectus sit imago ideæ æternæ, & mundus temporalis sit ævialis similitudo, atque iterum in mundo temporali seu typico omnis stellaris affigies est exemplar ideæ Angelicæ, atque iterum res elementares sunt umbræ Iconum spiritualium in cœlo. Quare, ut Deus emittit emanationem suam, cujus imago est mundus Angelicus in modorum diversitate, atque respectuum multiplicitate: ita spiritus Angelici sua lumina differentia & distincta ordinibus inferioribus, & quælibet sphæra superior inferioribus effundit, atque ita à stellis, quæ etiam sua lumina sibi invicem per varios aspectus applicant, ea in & supra creaturas gradatim deorsum ad terræ meditullium usque impluuntur: quæ creaturæ ad exemplaria suarum stellarum, sibi invicem, licèt invisibiliter, radios tam Sympatheticos quàm Antipatheticos ejaculant: Nec revera dubitare debemus, quòd radij tales sint concordantes & discordantes in inferioribus, cùm in ipso unitatis fonte, à quo omnia emanant, oppositionem proprietatum, videlicet Noluntatem privativam & voluntatem positivam observamus: atque haud aliter credendum est, quàm quòd materia passiva spiritualis animæ mundi sit subjectum illud, mediante quo & in quo divina illa unitas amantes & positivas, hoc est, Sympatheticas passiones & vivificantes vitæ radios exuberanter effundendo, gaudia & jucunditates cum appetitus materiæ spiritualis complemento excitare solet: ita, ut in radicem suam naturalem, nimirum matrem, Chaos seu tenebrosam abyssum in oblivione jam habeat & in sobolem seu filium lucis per adoptionem convertitur: atque ideò in hoc statu videtur participare atque Sympathizare cum aureis illis almæ & vivificantis lucis imbribus, qui à benefici Dei attributis impluuntur & jam omnes illas influentias privativas odio habere & cum pavore evitare incipit, quæ ab attributis Dei severis, insalutiferis & destructivis effunduntur: haud aliter, quàm lucem videmus à tenebrarum aspectu abhorrere & sui similis præsentiâ delectari, aut ut vitam mortis & bonum mali sibi contrarij terrore concuti. Hinc ergo provenit, quòd filij lucis, qui super spiritum Catholicum illuminatum fundantur sive inferuntur, fugiant & quasi pestem evitent filios tenebrarum, eorumque opera habent in horrore

grip. Phil. c. lib. 1.

Ezekiel. 3. 7.

& odio: Atque hujus rei ratio est, quoniam humidus iste creatus spiritus jucunditatem, voluptatem & felicitatem status istius illuminati jam persentiens, timet magnoperé, ne privativæ tenebrarum emissiones, aut infelix iracundiæ divinæ emanatio, suum lumen acquisitum obfuscarent, vitæque splendorem obtenebrarent, hoc est, ne passiones suas Sympathizantes, gaudia nimirum seu lætitiam in tempestates Antipathizantes tristitiæ & mœroris, videlicet contrahendo pulchras amoris jucundi emanationes à circumferentia ad ejus centrum, atque ita illum de salutari & vivifico illo vitæ & concordiæ irradiatione privando, nimirum occultatione faciei seu lucidi Dei actus, quem emisit à centro creaturæ ad ejus circumferentiam ad ipsam recreandam & exhilarandam secundũ istud Moysis in persona Iehovæ: abscondam faciem meam ab eis, & evenient eis mala & angustiæ multæ: & dicet in illo tempore, verè quia Deus non est mecum, invenerunt me hæc mala. Et David: Deus abscondens faciem suam à malis, perturbantur, si recipiat in se spiritum suum expirant; emittente verò spiritum suum recreantur bono & vita &c: Atque hoc idem potest tam de Catholico macrocosmico spiritu intelligi, quàm de illo microcosmi, atque etiam aliarum creaturarum, quæ omnes habent suas à spiritu macrocosmico origines: Nam quando natura illa divina, quæ Solem cœlestem animat, esset irata pro morte Salvatoris mundi, in momento passionis illius radios suos à circumferentia creaturæ illius nobilissimæ ad ejus centrum contraxit: Vnde factum erat, quòd suum lumen & pulchritudinem immediate perdiderit & contra communem naturæ consuetudinem & leges instar picis niger & tenebrosus redderetur: ita, ut jucunda illa Sympathia, quam creaturis inferioribus atque etiam illis cœlestibus suâ præsentia impertivit, istiusmodi accidente pro aliquo temporis spatio esset in Antipathiam mutata: Hæc ergo erat privativa in corde macrocosmi passio; & quasi ejusdem syncope, cùm attributum illud Dei pulcherrimum *Eloah* ab effusione suarum effluentiarum lucidarum per portam pulchram *Tiph.reth* pro tempore abstineret. Etiam palpabiles tenebræ, quæ accidebant in Ægypto fuerunt passio in aëre privativa, quæ contrahendo lucis divinæ à circumferentia ad centrum evenicbat. Istiusmodi etiam passiones imitantur Soli, Lunæ & Stellis versus finem mundi: Nam, si mundus esset factus emissione divinæ emanationis (Spiritu enim Dei cœli sunt luce ornati) sequitur, illius ablatione omnia iterum in statum suum primordialem, hoc est, in tenebras privativas seu planè nihilum & deformitatem conversum iri: Sed productio istiusmodi bonarum & Sympathericarum passionum à centro ad circumferentiam, atque iterum

Deuter. 31. 17

Psal. 104.

malarum & Antipatheticarum passionum & effectuum, qui vitæ Sympathiæ repugnant optimè vitalium in homine actionum examinatione detegitur atque explicatur: Nam duæ observantur esse in spiritu humano virtutes activæ, quarum una est voluntaria. Quæ instar principis cujusdam imperatorij videtur actionibus alijs præesse & dominari: haud aliter, quàm divinus ille Angelus Mitattron. Primò in mundo majori mobili (quod ad voluntatem refertur) præsidere dicitur; & per illud seu mediante illo orbes cœli inferiores illos Elementares circumvolvit. Eodem inquam, modo, primus in fabrica microcosmica motor est mens seu radius divinus seu Verbum, quod (teste Mercurio Trismegisto) est caput animæ humanæ; alia virtus in spiritu vitali est involuntaria, quippe quæ imperatur & gubernatur ad placitum radij intellectualis seu rationalis: Haud aliter, quàm sphæræ inferiores ad voluntatem primi motoris in primo mobili movere coguntur: ita, ut vitalis in homine actio sit unicus illorum ramorum, qui est involuntarius & haud secus voluntati mentali est subjectus, quàm cœlum stellatum, quod est vitæ sedes, utpote in quo Sol, qui est cor mundi suam habet residentiam) cœli empyrei mandatis obedit. Iam verò, ut invenimus, quòd secundum voluntatem divinæ essentiæ in regionem cœlestem, & consequenter inferioribus infusam, effluxus seu effectus tam amabiles & delectabiles ad voluptates & jucunditates in creatura excitandas à positiva seu dilatativa unitatis proprietate procedit, quam tristes odibilesque à virtute ejusdem privativa & contractiva, in qua Deus faciem benignitatis suæ avertit à creatura (atque hinc inde cum concupiscibiles seu Sympatheticæ passiones, tum odibiles & irascibiles seu Antipatheticæ efficiuntur in hoc mundo) ita quidem tam experientiâ, quàm observatione Philosophorum & medicorum doctissimorum docemur, actionem vitalem, quæ gubernatur juxta mentem voluntatis superioris, aut dilatatur à dilatativa primi motoris voluntate, cordisque sacrarium aperit ad producendos in spiritu vitali passiones illas bonas, quæ Sympathizant cum vita & luce, videlicet spem, confidentiam, Amorem, misericordiam & mansuetudinem, aut contrahitur & cordis thalamos claudendo, spiritus in eo in unum congregat, unde in spiritu vitali generantur passiones malæ ac privativæ, qua solent cum bonis illis vitæ lætitiam afficientibus Antipathizare: Ex cordis enim contractione tristitia, curæ, desperatio, timor, odium, ira, furor, verecundia &c: adeò, ut quemadmodum ex passionibus bonis spiritus mediante dilatatione sursum ad fontem lucidum usque respiciebat, & voluptatum ac jucunditatum ejusdem intuitu, mirabili afficiebatur gaudio: ita quidem ex malis, spiritus mediante

contra-

contractione, visione lucida privari cogitur, & per consequens aspectum suum solummodo ad terra inferiora & miseriarum vallem habet. Vnde factus est passionum ejusdem tenebrosarum vitæ atque saluti contrariarum particeps. Ex istiusmodi autem harum duarum in microcosmo passionum enucleatione, possumus facillimé colligere rationem earum in mundo majori, cum eadem sit ratio partis & totius: ita etiam passiones mundi majoris, & cæterà ab his dependentia possunt facillimè intelligi & discerni ab illis minoris: Exempli gratia: Magnes lapis se habet respectu matris suæ, terræ, ac homo ad Patrem suum mundum integrum: Nam ab Hermete vocatur homo filius mundi: ut ex parte Magnetis Cardanus, Baptista porta, D. Gilbertus cum alijs vocarunt illum terræ filium & Terrellam: Invenimus (inquam) in Magnete omnes passiones tam Sympatheticas, quàm Antipatheticas, quæ matrem suam terram afficiunt: Nam habet in se suos polos cum terra: omnesque inconformitates in natura evitat, effugitque ab illo, quòd est suæ naturæ contrarium, ut Terra: atque iterum Sympathizat cum eo, quod est sibi in natura simile: Æquinoctium, Coluros, Meridianos ac Tropicos haud aliter, quàm terra sibi vendicat, ac denique non modò sensum in suo motu arguit sed etiam quandam in sua actione rationem manifestat: nimirum, in recusando illud, quod est naturæ suæ contrarium & amplectendo atque desiderando id, quod est conditioni atque harmoniæ suæ magis conveniens, uti infra parte istius libri sequenti atque lib. hujus 3. ostendetur clarius. Denique quomodò radius iste mentalis mandata seu influxiones benignitatis & severitatis ab alto emittat, in discursu meo præcedenti explicatur, nimirum, permittendo malos tenebrarum Spiritus Dominari in inferiora, aut adjuvando bonos spiritus ad officia gaudij, voluptatis seu jucunditatis perficienda. Ecce hic totius Sympathiæ & Antipathiæ mysticæ summa & complementum continetur, quæ aliqui ratione profunditatis seu difficultatis in illius inquisitione, solent, idque haud injuriâ, secretò alicui potestatis Angelicæ actui attribuere, quæ est media quædam inter Deum & creaturam virtus. Atque ob istam causam Angelica existentia definitur esse tanquam virtus inter Deum & Naturam media, à qua fiunt operationes in rebus, quas vel natura eorum non faceret, vel sic faceret, quas alij dicunt provenire à potestate occulta, & alij, quia tale. Reuclin. lib. 3. de art. Cab.

CAPVT. VI.

Quomodo Harmoniæ proportionibus probetur, quid sit Sympathia & quid Antipathia.

DIximus in præcedentibus, omnem in Catholico aquæ Elemento alterationem fieri à spiritu illo omnia operante, qui implet cœlum & terram, ut pote sine quo exister neqeunt, unde D. Petrus: Cœli erant prius & terra ex aqua & per aquam consistens Verbo Dei. Probavimus etiam, omnes illas in aquis universalibus alterationes & diversitates ortas esse mediantibus rarefactione & condensatione actu & virtute prædicti spiritus effectis: asseruimus etiam, omnia ista numero, mensurâ & pondere varieformiter; imò verò ratione contraria (sic volente Creatore) fuisse peracta, ut exinde res ab invicem variarent & distinguerentur: Vnde Textus: Gemina fecit Deus omnia, quorum alterum est contrarium alteri, nec quicquam factum est, quod mancum est: Hinc ergo concordia & discordia; hinc Sympathia & Antipathia: Quod omne demonstratione ista musica exactè & ad amussim indicare possumus. Videmus in macrocosmo, universum soni medium esse aërē, ex cujus mensura & proportione varia, varij eduntur toni seu voces ad invicem vel consonantes vel dissonantes. Quid, obsecro, auribus exquisiti musici discordi in Symphonia tono magis ingratum? Quidve consonantiâ magis acceptum? Videmus profecto, tonos à fistula editos secundum proportionem spiritus sive aëris mundani differe solere; ita, ut ab eodem Musici afflatu proferat sonos admodum ab invicem differentes; imò verò & discordantes: Nam si duas fistulas ejusdem dimensionis sonare simul efficiamus, quandoque earum voces in debita proportione convenire, & animum audientis delectare, & nonnunquam more odioso dissentire, denteque audientium quasi stridere facient. Pariformiter omnes spiritus in creaturis majori vel minori aëre proportionantur, uno semper eodemque vitæ spiritu agente atque operante, haud aliter, quàm in fistulæ activitate videmus: atque ita juxta eorum concordiam vel discordiam, vel conveniunt vel dissentiunt ab invicem: haud aliter, ac marculi Pythagorici in substantijs suis corporeis fuerunt proportionati vel disproportionati: Etiam chorda super duo monochorda æqualis magnitudinis extensa, facit sonos vel concordantes vel discordantes, secundum majores vel minores sectiones illius: Exempli gratia.

1. Pet. 3.



Vbi chorda A.⁺. unius monochordi percussa discordiâ producet ad sonum chordæ B.⁺. vel D.⁺. vel F.⁺. alterius monochordi: at si A.⁺. percutiatur in uno, conveniet cũ chordæ portione C.⁺. vel E.⁺. alterius. Vnde liquet, quòd, quamvis ambæ chordæ sint unius latitudinis, tamen semper respectu illarum vel brevitatis vel longitudinis aër tam proportione, quàm dispositione in rarefactione & condensatione varias observantur super eas edere voces, tam dissonantes, quàm consonantes: nam chorda curtior ejusdem extensionis majori & fortiori sua vibratione attenuat aërem magis & consequenter acutiorem reddit vocem: é regione longior chorda ejusdem extensionis ut ⁺. A graviorem facit tonum acbreviorem, quoniam aër est in tali molli motu minus ratefactus, & per consequens vox est magis gravis, profunda & quasi suffocata ratione densitatis aëris: Denique sive in gravibus sonis sive in acutis vel mixtis, aëris proportio & pondus est in causa Symphoniæ vel antiphoniæ mediante actus spiritus in ipso Catholici, quem vel sufflanti fistulam vel pulsanti chordam comparamus, quippe sine quibus vox nec concordans nec discordans redditur in dictis organis. Quibus concludimus, quod medium in quo & per quod spiritus divinus tam Sympatheticé, quàm Antipatheticé agit in hoc mundo est aër seu spiritus, qui haud aliter in creaturis agit, quàm aër in fistula vel aliquo alio organo Musico.

LIBRI SECVNDI Membrum ij.

In quo natura Magnetica veré & ad amussim anatomizatur, rationesque actionum Symphoniæ & Antipathiæ enucleantur.

CAPVT. I.

Author proœmium adistum suum discursum Magneticum in hoc capite facit, & tum postea ad Chaos opinionem de attractiva corporum magneticorum origine & virtute procedit.

VObis in membro hujus libri præcedẽte Sympathiæ & Antipathiæ principia enucleaté explicui: sed, quoniam non omnibus datum est virtute Theoriæ seu speculationis sola in Thesaurum seu sacrarium Dei abstrusum penetrare, quòd in creaturæ profundo centro continetur; melioris vestrum instructionis & informationis gratia, descendam parumper, & secretum hoc subjectum, quod præ manibus habeo, vulgaribus & ocularibus quibusdam demonstrationibus vobis explanabo: ut ergo magis Methodicé procedere possim, in isto hujus libri membro fundamentum tantummodò præcipuum exponam, super quod conclusiones nonnullas experimentales ædificabo, quibus incredulos, qui huc usque ratione eorum ignorantiæ rebelles & obstinati in sua infidelitate erronea extiterunt, ad certiorem & securiorem fidei portum dirigere atque introducere possim. Et quoniam Sympathiæ gesta, atque etiam illa Antipathiæ in omni re efficiantur virtute & potestate Magnetiva (cujus est tam cibili & irascibili expulsione resistere) quàm sibi attractione concupiscibili allicere (uti infra dicetur) necessarium & conveniens existimo, ut cum diligentia, idque oculis Argoicis inquiramus, & intuitu nostri intellectus etiam lynceo in obscurum lapidis Magnetici mysterium introspiciamus, quo securius cum judicio & certiori ingressione nostra in demonstrationem tam arcanæ contemplationis, practicã faciamus: Nam cùm secreta operatio tam unguenti armarij, quod ignorantes mundani tanto odio & vituperatione sunt prosecuti, quam Mummiæ tam corporalis, quàm spiritualis ex hominibus & bestijs extractionis ratio, atque etiam vitalis, infirmæ atque insalubris animalis naturæ in aliquam vegetabilem vel alterius animalis sani naturã transplantatio, cum modo susceptionis, virtutis & roboris unius animalis & ejusdem in aliud infusionis: Secreta Spiritus plantæ alicujus cum illo hominis aut alterius animalis alligatio: ita, ut quicquid uni evenit, nimirum aut humidum aut siccum aut calidum aut frigidum, de illo etiam participabit & alter: Cùm, inquam, istiusmodi

istiusmodi operationes dicantur Magneticæ, quatenus virtutes actuosas Magnetis imitantur; summa ope ac conamine nitar, ut viam in omnium mysteriorum istorum anatomizatione atque revelatione apertam, videlicet Spiritualis Thesauri Magnetis dissectione faciam, ut hac ratione in formalis interioris aut centralis & essentialis actionis seu virtutis fontem atque fundamenta tam ipsius irascibilis, quàm concupiscibilis passionis introspiciam: Nã si subtili rationis nostræ intuitu meatus invisibiles & antra arcana ejusdem invenire, ac tum postèà punctum seu essentiam earum essentiarum centralem observare ac denique internum cujuslibet actionis causam detegere queamus, facillimum erat cætera superare, cùm, quæ externo effectu apparent, similia debent necessariò esse homogenea, hoc est, unius ejusdemque conditionis respectu naturarum suarum internarum, uti infra latiùs explicabitur: Sed proh dolor! cur præsumo ego, qui sum Apostolorum minimus, aut saltem exmille minimus viam sive iter tam periculosum ad insulam illam incognitam, inqua abstrusa magnetis natura in medio scopulorum in accessibilium & periculo plenorum inhabitat, cùm tot Philosophi sapientes super incerta & tempestuosa maria opinionum navi gaverint & erraverint, ac tandem domum revertentes nova de istius rei mysterio tantummodò illa, nimirum de Magnetis existentia & essentia virtutum activarum, quæ ab alijs sunt prædicta, retulerunt atque ita de proprijs nihil omnino habent, præterquam quòd vel externa operatione vel ab aliorum relatione intellexerunt. Deus bone! Quot sunt in isto mundo puppes stultorum plenæ, qui, postquam in eorum studijs & scientijs operam per multos annos, maria imaginationis vanæ ac vix probabilis sulcantes navarunt & in senectate sua ad portum pueritiæ sunt reversi; habentes sua ingenia & intellectum pauperibus fragmentis sive mercantia, de ipse dixit, sive opinionibus aliorum onustum: Sed de centrali istius arcani scientia, nihil habent de proprio, quod dicant Ita, ut nos Christiani, post peregrinationem vitæ & studiorum nostrorum in hoc studiorum nostrorum in hoc mundo, existimemus tandem esse sufficiens asseverare, quòd Aristoteles, Plato, Galenus, Hippocrates vel saltem iste vel ille hoc dixerit, & per consequens, quod sit ita certum & in infallibile. Cùm è regione percipimus, scripturas Philosophiam veriorem & certiorem nos docere, quæ illi Ethnicorum est oppositissima. Istiusmodi ergo studentes mundani optimè hisce verbis ab Apostolo indigitantur, quippe, quos narrat esse semper discentes, sed ad scientiam veritatis nunquam pervenientes: Nã, quomodò obsecro est possibile, ut cæci possint cæcos directé ducere? Alij diu navem suam huc atque illuc gubernantes atque ad sedem habitationis virtutum istius lapidis dirigentes, ad insulæ ejus petrosæ limites vix ac ne vix quidem attigerunt; & tamen non sine admirandis historijs seu relationibus ex tali itinere collectis redierunt: Ac in fine inventiones eorum novæ repertæ sunt adeò superficiales, ac effectus scrutationis sive inquisitionis eorum frivoli: & tandem totum non nisi conjecturale est probatum. Alij tam longé in eorum inquisitione per stellæ polaris allectamẽta fuerunt ducti, ut mari glaciali firmiter cum sua puppe in hæserint, nec ulterius progredi potuerint, sed in glaciei resolutione reversi sunt admirandis imaginationibus de montibus Magneticis & castellis ferreis, etiam per octo supra lunam gradus usque ad sphæram octavam referti: Imò verò & sunt alij, qui super stellatum illum locũ volant. Quibus concipere licet, quomodò Philosophorum quilibet secundum Phantasiæ suæ Chimereæ leges varia non in aëre, sed etiam supra stellas ipsas ad animam magneticam inveniendam imaginẽtur phantasmata: Sunt nonnulli, qui in ejusdem investigatione à terræ continente non recedunt, sed ipsã inter stellas cœli numerari existimant, quæ solem pro fixo suo centro habent, ut pote, circa quem perpetuò observantur peripherice: Ita, ut ipsam terram habere formam stellarem à forma illa Peripatetica longè discrepantim effingant. Denique quilibet istorum habet suam opinionem ab altero differentem. Vt autem intelligatis, hoc totum esse verum, vobis aliquid novorum ad inquisitionem istiusmodi Magneticam pertinentium, post longam in mari fluctuoso serioſæ contemplationis eorum viam, paucis recitabo. Inter eos aliqui in tali conamine magis alte sapiunt & cœlos videntur pro testibus ad suam assertionem confirmandam invocare; aliqui vela dant usque ad montes Hyperboreos; alij ad Insulas alienas Septentrionales ad fundamentum tanti miraculi detegendum tendunt. Alij spiritus suæ inquisitionis in terræ viscera immergentes, inveniunt, eam esse universam formam stellarem ejusdem. Quidam volunt, more atomicæ emissionis ex corpore lapidis & rei attractabilis virtutem talem fieri. Sed inter omnes alios ratione præditos, qui in puppi stultorum navigarunt, vix annumerare audeo unum, quippe, qui videtur alteri Grillo esse simillimus, quatenus opinatus est, virtutem Magneticam esse Cacomagicam sive actum Diaboli. Iamque ex illorum, qui spiritu suo ad mysterium illud inveniendum viam fecerunt in cœlum, unus vult, quòd ratio directionis Magnetis ex cauda constellationis ursæ sit colligenda, affirmando, quòd istius stella in ursa prævalet & dominium possidet super istum lapidem & ab eo transfertur ad ferrum. Hæc est Marsilij Ficini opi-

* Tim. 3.

nio. At ego reſpondeo, rem ita ſe habere haud poſſe, quoniam teſtatur experientia, ferrum ex ſeipſo ſuis proprijs frui polis æque ac magnetem, & quod vult, debita adaptatione perquirere & ſuo naturali inſtinctu ſe ipſum convertere & dirigere in propriam polorum ſuorum ſtationem: In hanc etiam Marſilij ficini opinionem cadit Petrus Peregrinus, qui ſequendo regulas fratris Baconis, inquiſivit directionem Magneticam ex polis cœli. Etiam Cardanus vult, quod cauſa inmediata variationis virtutum hujus lapidis ex ſtella in cauda Vrſæ exiſtente exurgat. Lucas Gauricus etiam ipſis videtur hac in re aſtipulari, ſed ipſe ſimul addit huie negotio virtutem Saturni & Martis, atque etiam dicit præcipuam in Zodiaco conſtellationem ad hoc conferentem, & cujus influentijs lapis iſte ſubijcitur, eſſe virginem. Albertus Magnus concludit, ipſum Magnetem atque etiam ipſum ferrum dirigi ad ſtellam Polarem, dicitque ipſa haud aliter eam ſequi, quàm Herba Heliotropium ſolem. Beſſardus fecit ſuam de hoc lapride ſententiam ab alijs diſcrepare, quippe exiſtimans, polum Zodiaci eſſe virtutis Magneticæ fontem. Iterum collegium Conimbricenſe cauſam iſtuis rei à parte aliqua cœli non longè à Polo diſtante. At verò Martinus Corteſius putat, attractivam iſtam virtutem à loco ultra polos ſeu cœlos mobiles deſcendere: Ex alia parte, Gaudentius Merula aſſeverare videtur Magnetem ferrum ad ſe trahere ea intentione, ut illud dirigat ad polum Borealem, quoniam ipſe eſt ſuperior ad ferrum ordo, cum conſtellatione urſæ. Fateor ergo, radios qui dilatantur ad fratres ſuos captivos redimendos & libertatem ijs reddendam, eoſque ad patriam ſuam dirigendos eſſe paratiſſimos & fraterna pietate inclinatos. Sed non poſſum ego intelligere dicta Merulæ in hoc ſenſu. Alij putant cœlos in genere eſſe virtutis iſtius lapidis originem: Nam Paracelſus ait, eſſe ſtellas, quæ exiſtentes plenæ poteſtatis Magneticæ, ferrum ad ſe attrahant &c. Atque iſta opinio videretur probabilis, quoniam ferrum movet ad ſuos polos, etiam abſente Magnete (ut dictum eſt) Fernelius videtur hæſitare, cùm modò fateatur, cauſam iſtius actionis eſſe abditam, & modò, nempe alibi, facit cœlos iſtius actionis cauſas. Scaliger propinquius ad punctum veritatis accedens huic actioni ſeu virtuti aſſignat cauſam quandam cœleſtem ei penitus ignotam, aſſeuerando, quòd Magnes terreſtris non ſit derivatus à globis ſeu montibus ſtellaribus, ſed ab eſſentiali potentia ſeu eſſentia illa, quæ erat ipſorum fabricatrix, qui gubernat in ea cœli portione, quæ pendet in puncto ſeptentrionali.. Atque huic opinioni adhærere videtur Plato, ut pote, qui agnoſcere videtur, eſſentiam Magneticam eſſe poteſtatem divinam. Et profecto bene in hac re loquuntur, ſed in ſenſu tam largo, ut iſta eorum aſſertio bene in ſe conſiderata appareat diſcipulis eorum, quaſi ignotum per ignotius: Nam, ita terminis generalibus affirmare poſſumus, omnia eſſe à Deo: Sed deſcendemus jam à cœleſti eorum ſpeculatione, atque ad humilitatem eorum reſpiciemus, qui magis cauti videntes, & ad proverbiũ illud vetus Noli altum ſapere attendentes, magis proné intuentur, quoniam ad terram ſolummodo & ipſius effectus reſpiciunt: Atque iſtius ſeriei ſunt Fracaſtorius, qui rationem & cauſam originalem virtutis Magneticæ attractivæ inquirens, imaginatur, montes Hyperboreos, qui ſcopulis iſtius lapidis abundãt, ferrea iſtiuſmodi ſubjecta ad ſe attrahere. Et hoc iſtius figmentum videtur quibuſdam doctis adeò plauſibile & rationi congruum, ut illud tam in eorum ſcriptis Aſtronomicis, quam tabulis Geographicis, & mundi deſcriptionibus & cartis marinis ſequantur. Quod quidem nihilominus ſi eſſet verum, faciliori attractu naves in mari Boreali tranſeuntes ad ſe allicerent. Olaus Magnus, & nonnulli alij, qui ejus ſuſtinent traditionem, volunt vim hujuſmodi attractivam provenire ab inſulis nonnullis ſeptentrionalibus, quæ tali ſubjecto magnetico abundent. Sed has eorum Phantaſias vento inani committendo ad aliorum procedo hac in re ſententias. Lucretius Carus, quidam ſectæ Epicureicæ Poëta, videtur ſomniare, ferri attractionem procedere ab atomorum ex ſubjecto effluxione: Nam, quemadmodum (inquit ille) juxta Epicureorum opinionem, atomi ſubtiles ex re qualibet emanant, ita pariter atomi, quaſi ſemina Magnetica à ferro per quandam coitionem ipſius cum Magnete in locum ſive ſpatium interpoſitum, quod eſt inter eos, emittuntur, & per unionem aut complicationem corporis utriuſque, ferrum attrahitur &c. Huic etiam ſententiæ Aphrodiſeus, Iohannes Coſteus, Plutarchus atque etiam Thomas Aquinas inclinare animadvertuntur: Cùm in rei veritate deberent ſcire, quòd nulla attractio ſit facta per emiſſionem à centro ad circumferentiam, hoc eſt, per dilatationem & diſſipationem; ſed è regione per attractionem & intraductionem à circumferentia ad centrum, quemadmodũ in ſyringa videmus, cujus attractione aqua in ejus concavitatem allicitur per ejus linguæ emiſſionẽ, à manu movente aqua emittitur, quaſi à centro &c. Quare ſequitur, emiſſionem radiorum ſeu ſeminũ atomicorum ferro non poſſe eſſe cauſam unionis ſive motionis ipſius ad lapidẽ: Sed debet neceſſariò eſſe magnes, qui facultatem habet ſibi attrahendi radios ſeu ſpiritus ex ferro: Nam apparet evidenter, ferrum non attrahere ſe ipſum ad lapidem, ſed

ab ip-

tinet & ligat; Quid ni ergo pariter non agat cum corpore terreno suis influentijs subjecto? At cæteræ constellationes hoc idem præstare nequeunt, quia earum qualitas propinquiori solis præsentia moderatur, atque etiam contractiva earum virtus à planetarum & signorum humidorum intuitu relaxatur. Et tamen consensus Saturni cum ista stella in eo evidenter declaratur; Quia dum ipse in cœlo Dominium habet, existente ipso in Capricorno, vel virgine, stella ista polaris suos effectus gelidos potenter (idque præcipuè Hyemali tempore) declarabit: Nam rebellior erit glacies, frigidior reddetur aër, & cum mundanis, arboribus nempe & animalibus inclementer aget. Vnde evidens est, Saturnum commercium quàm propinquum cum stella ista habere. Procedo igitur de desuper ad terræ centrum in hunc modum, stella Polaris emittit in partibus Polaribus vehementer suas influentias, ac præcipuè corporibus ei subjectis, & Saturnus atque triplicitas Zodiaci terrea, communiter in inferiora influentias effundit suas cum stella polari convenientes; sed cum majori moderatione respectu propinquitatis aliorum planetarum eorum virtutibus oppugnantium, quas omnes à Binah seu Elohim radicaliter acceperunt. Hæ omnes stellæ intermediæ huic extremæ nimirum polari in facultatis suæ Borealis & attractivæ executione assistunt, eamque ad illud opus peragendum fortificant: Nam assistentiâ eorum, venti Boreales redduntur robustiores & magis violenti, quibus spiritus mundi vehementiùs contrahitur in nives, glacies, pruinas &c. Rerum calores à circumferentia ad centrum alliciuntur & res anteà vivæ, jam quasi mortuæ sunt. Quibus addiscere possumus terram non fuisse prius, nisi aquam tenuem, quæ tam postea spiritu Elohim in substantiam densam & terream per contractionem & coagulationem convertebatur. Vnde fit, ut tam diu, quàm sit terra, sit habitura in se dispositionem spiritus Elohim, mediante quo in terream effigiem per viam congelationis erat facta: Nam virtute Elohim Ruach terra arida apparebat extra aquas tam bene, quàm cœlum, ut testantur Moyses & D. Petrus: Imò verò mediante spiritu ipsius, omne cœlum & quælibet sphæra elementalis ad invicem vinculis quasi firmis colligantur: Ita, ut quemadmodùm proprietate nominis Iah (benignitatem Ehieh quasi omnium rerum patrem significantis) per attributum Hochma descendente, aquæ generales sive spiritus mundanus erat illuminatus atque animatus: Ita etiam illæ aquæ sic animatæ, erant in regiones seu sphæras distinctas divisæ & ad invicem more pacifico ligatæ per virtutem Binah seu emanationem vel propritatem retentivam Elohim: Vnde David: Verbo Domini firmati sunt cœli & spiritu ab ore ejus omnis virtus. Propter hunc respectum in omni separativo opere creationis & informationis, non modò simplicium cœlorum & Elementorum, verùm etiam creaturarum ex ambobus compositarum, nomen Elohim erat semper à Moyse pronuntiatum, nimirum, quando tenebræ essent absorptæ & contractione separatæ ab aquis lympidis: cùm grossæ & inferiores aquæ essent distractæ contractione à superioribus, cùm tenuiores cœli per inspissationem distinguerentur à spissioribus Elementis, quando terra arida esset per frigoris coagulationem in centrum totius fabricæ contracta, quando densior Ætheris portio in globum seu corpus stellæ coagulabatur, cum elementa essent in corpus compositum coagulatione compacta: Totum, inquam, hoc erat opus divini Elohim, qui, ut sacraria condensatione conderet, ad aliorum attributorum Dei influentias seu Thesauros recondendos, ita quidem orbem Saturni erraticum

Fet. 3.

d. 33. 6.

STELLA POLARIS.

Virgo Zodiaci

atque illas fixas Aluckabæ & virginus & aliorum fixorum syderum ordinavit ad suos proprios Thesauros reservandos: Et quoniam constellatio Virginis est ita disposita in Zodiaco, ut omnis ipsius virtus quasi à pyramidis basi in stellam Polarem quasi ejus conum contrahatur, Ideò apparet, vim virginis multum conferre ad gelidos & contractivos stellæ polaris effectus producendos. Atque hæ duæ fixæ constellationes à Deo constituuntur principales, ad Saturno in suis negotijs inserviendum ministri, qui simul atque strictum cum venere commercium habent: Vnde tanto desiderio concupiscibili in attractivis suis facultatibus sunt prædituæ, uti in Magnete & ferro videre licet. Atque hinc est, quòd Astrologi hisce duabus unam eandemque naturam mixtam, nimirum Saturni & veneris assignârunt: Quoniam experientiâ perceperunt, ipsas eundem in proprietate actum præstare: Verùm illa polaris, est Virgine longè in sua activitate efficacior, majusque in inferiora dominium habet & præcipuè in eas creaturas, quæ ejus dominio, ab origine, Deo sic volente, sunt subditi, cujusmodi præcipuè sunt Magnes & ferrum. Quare, ut sit certum (juxta Philosophorum

& Cabaliſtarum ſententiam) ſuperiora regere inferiora, adeò, ut ſicut fit inferius, ſic prius factum erat ſuperius: Ita quidem neceſſariò ſequitur, quòd polus Borealis in aëre ſeu ſublunari elemento aſſignetur ſeptentrioni, conſequenter operetur per ventum Borealem, & in aqua effectus ipſius character eſt mare glaciale, & in terra expreſſè explicatur & manifeſtatur per punctum Borealem Magnetis ſeu Terrellæ, quæ omnia per contractivas, retentivas, frigidas & ſiccas iſtiuſmodi conſtillationum naturas animantur & ad effectus tales producendos exagitantur: Quemadmodum iterum hæ habent illam poteſtatem, quam in aërem, in aquas, & in terram exercen, à Thronis Angelicis, qui radicaliter eam à fonte Elohim Ruach per attributum Binah, qui ſolet coagulare & inſpiſſare mediante contractione & centrali attractione effectuum rarefactorum à rarefacta, & tranſparente, rara & lucida forma in ſpiſſam, opacam & ponderoſam exiſtentiam: Quemadmodum in pruina, nive, glacie & grandine, operante actu ſeptentrionali ſeu proprietate verbi Elohim manifeſtatur. Vnde Pſalmiſta regius: Emittit nives ſicut lanam & pruinas ſicut cineres diſpergit, deſicit gelu tanquam fruſta, coram frigore & ejus quis conſiſtet? Liquet igitur, eſſe contractivum & coagulantem Iehovæ actum in proprietate ſui nominis Elohim, qui immediatè res iſtas, mediantibus organis ſuis Borealibus, primùm Angelicis, deinde ſtellaribus per angelica, utpote Angelicis animatis, ac denique ventoſis & Elementalibus, qui animantur ab influentijs ſtellaribus, & angelis inferioribus ducuntur; adeo, ut eſſentia omnium centraliter agens, non ſit niſi unica in Deo Iehova, & ab eo, qui eſt in eſſentia unicus & exprimitur ſolummodò per eſſentiale nomen Iehovæ, at reſpectu varietatis proprietatum in plurimos diſtribuitur ramos, juxta voluntatem variam unius eſſentiæ divinæ: Atque quilibet ramus illuminans ſe ipſum in plurimos ſurculos formales ſive radios varios dividit, atque hi in infinitas actiones non differentes à capitalis ſive radicalis emanationis proprietate: Exempli gratia: Influentia ab Elohim deſcendens in ſphæram Saturni cadit, ſub cujus dominio ſunt infinitæ creaturæ: Nimirum illæ, quæ à prima earum creatione ſubijciuntur ipſius influentijs, quemadmodùm ſunt res omnes, quæ terreſtri imbuuntur conditione, videlicet frigida, ſicca, ſtiptica, attractiva, retentiva &c. Sed iſtam Cabaliſticam & Aſtrologicam probationis ſemitam relinquendo, deſcendam jam ad talia teſtimonia, quæ ſacra Philoſophia mihi conceſſit.

Pſal. 147.

In præcedentibus retuli, æternam unitatem, in eſſentia ſempiternè una ſe ipſam per proprietatem in Triunitatem dividentem ſive transformantem idealiter effor-

maſſe ſeu deſcripſiſſe mundum Archetypum ſeu internum, ſecundum cujus exemplar tum poſteà mundum typicum ſive externum explicitè delineavit atque fabricavit: Vnde neceſſe eſt ſequatur, quòd, ſi mundus typicus ſive naturalis eſſet ad imaginem Ideæ mundi interni ſive mentalis; tunc quæ partes & proprietates in hoc mundo capacitati noſtræ manifeſtantur, fuerunt etiam eædem in Archetypo: Nam, quod facit tale, eſt magis tale. Non erat domus aliqua, quam prætendit Architector fabricare, quæ non erat prius idealiter in animo conditoris delineata, ac tum poſtea ſuper chartam depicta, ac demum realiter ex lapidibus ſeu lateribus & ligno ædificata. Ita etiam fatetur David, ſe habuiſſe templum, quod tum poſteà Salomon conſtruxit, idealiter digito Dei depictum: Iam verò cum Deus in ſecreto ſuo conſilio in hunc modum delineaſſet & ordinaſſet mundum Idealem in ſe ipſo, ut iſtum mundū ſpiritualem explicitè & realiter ſenſui humano compararet, emiſit ſe ipſum ex ſe ipſo, nullâ interim diviſione eſſentiæ ipſius factâ in forma æternæ emanationis, (quæ dicta erat ipſius imago & ſapientia) qua mediante mundus iſte generalis cum qualibet ipſius particula ad effigiem, ſeu exemplar ideale, quod erat in ipſo, eſt fabricatus: quod cùm ita ſit, & cùm divina eſſentia non poſſit ullo reſpectu in partes dividi, utcunque in proprietate videtur variare, ſequitur, quòd quilibet radius particularis, qui varieformiter à Catholica iſta emanatione ad rerum variarum creationem emittitur, ſit unica, indiviſibilis cum emanatione radicali eſſentiæ. Atque hinc dicitur ab Apoſtolo & Salomone, implere omnia, & eſſe omnia in omnibus & exiſtere incorruptibiliter in omni re, & implere orbem terrarum. Progredior itaque hoc modo: Si mundus creatus habeat ſuam effigiem & ſua membra ac omnes particulares ſuas proprietates à formali & vivificante mundo, qui erat idealiter delineatus ſeu deſcriptus in iſta divina & omnia informante & creante emanatione ſeu ſpiritu ſapientiæ; tunc conſequenter omnia membra, proprietates & naturas iſtius mundi eſſe graphicè & admirabiliter deſcriptas in mundo ſupernaturali, eo nihilominus manente uno & eadem in eſſentia: Atque ideò, ut in eo Catholica imago mundi æterni continetur, ita quilibet radius ſive irradiatio, quæ exit indiviſibiliter ab eo, continet in ſe figuram hujuſmundi. Atque ob iſtam cauſam Philoſophi ſapientes dixerunt, quamlibet creaturam proportionem quandam mundi majoris poſſidere, per quam facta eſt in ſe parvulus mundus, quemadmodum infra clariùs ab exemplo Magnetis demonſtrabitur. Atque iterum homo dicitur omnis creatura, quatenus participat de omnibus, ita ut anima ejus traditur eſſe ad imaginem ſapientiæ facta, omnium-

Sap. 12. Sap. 1.

ab ipso è centro attrahitur. Thales atque Anaxagoras credunt, Magnetem habere suam in se vitam, quoniam observatur substantiam sibi similem ad se attrahere, haud aliter, quàm creaturæ viventes faciunt. Lucretius & Orpheus existimant, sympathiam illam esse inter Magnetem & ferrum, quæ apparet inter marem & fœminam, atque in ista eorum opinione haud plurimum videntur aberrare. Averroës, Scaliger, & Cardinalis Cusanus putant ferrum movere ad magnetem, tanquam ad suam originalem matricem. Galenus est opinatus, magnetem propria sua forma substantiali ad se attrahere. At jam opus est, ut accedam ad opinionem socij sive collegæ mei admodùm docti D. Gilberti, & pro profunda ejus in naturam magnetis inquisitione famigerabilis. Ipsius est animus, quòd vis Magnetica ista sive attractiva in Magnete procedat ab actionibus formalibus, hoc est, ab originalibus & primarijs virtutibus seu vigoribus: concludit enim, magneticam virtutem derivari à peculiari seu singulari forma, ab illa forma seu causa specifica in corporibus mixtis differente, cujus meminerunt Peripatetici: Dicitque, esse quandam formam, quæ est propria globorum stellarium & partium eorum homogenearum sive incorruptarum essentia sive entitas, quam ipse vocat primariam, radicalem & astralem formam, videlicet talem, quæ est in sole, Luna & alijs stellis cœlestibus: Atque etiam dicit, more simili esse stellam in terra, quæ est illa vera magnetica potentia, quæ vocatur actus seu vigor primus, concluditque istam formam non derivari à toto cœlo, affirmatque, influentiâ aut qualitatibus occultis procreari; nec etiam à stella aliqua particulari: Nam virtutes suas Magneticus habet à terra &c. Hæc erat doctissimi mei quondam collegæ de actu magnetico sententia, cujus labores & industriam in diligenti naturæ Magneticæ investigatione, ut non possum haud parum commendare, ita è diverso ratio mihi non permittit, ut speculativæ ipsius hac in re fundationi seu radici penitus consentiam. Quis enim credere potest, terram; multò magis ipsius particularia posse virtutem aliquam radicalem ex se ipsis habere, cùm sit evidens, quòd tam terra, quam cœlum ex aquis sint prius orta, atque ideò, ut cœlum erat ante terram, necessariò sequi debet, formalem terræ virtutem totaliter à cœlo descendere, & per consequens terra non habuit talem proprietatem à se ipsa, sed ab illo spiritu, qui eam creavit, ut infra clarius explicabitur: Inter Philosophos Ethnicos Plato, & ex Christianis Scaliger & Fernelius credunt, causam illius attractionis esse divinam & de desuper, sed quomodò, aut qua ratione descendat, ne exprimunt quidem: Atque ideò, tametsi in generalitate nihil nisi veritatem sint locuti, tamen in verbis taliter expansis nihil in specie videntur exprimere. Concludam jam cum ultima opinione, quæ est omnium maximè inanis & ridiculosa: Franciscus Rucus videtur dubitare de magnetis virtute: Non enim hæsitat existimare, omnes istiusmodi effectus ut pote ultra captum ipsius esse cacomagicos, hoc est, ex impostura & subtili delusione Cacodæmonis sive Diaboli derivatos. Et tamen vir iste est magis tolerabilis, quàm istiusmodi homines scrupulosi, qui audacter asseverare haud erubescunt, actum illum admirabilem in unguento armario esse absolutè Diabolicum & cacomagicum: Nam vir iste non loquitur, ut ipsi determinatè, & sine ultiori dubitationis alea, ut ipsi, sed dubitativè solummodò.

CAPVT. II.

In hoc capite opinio authoris de originali & immediata operatione & virtute primùm more Astrologico, & deinde ratione ex Philosophia sacra deprompta declaratur.

CErtus sum vos recordari, quòd in præcedentis mei discursus filo inprimis declaraverim, ipsum Deum in genere operari omnia in omnibus: Ac tum posteà modum explicui, quo illa ipsa unitas in divina essentia sit multiplex in proprietate, secundum multiplicitatem voluntatis ipsius sacræ. Atque in eo probatur, ipsam esse in proprietate multiplicem, quoniam effectus actionis cujuslibet particularis, qui non sine voluntate ejus in actum reducuntur, sunt in finiti in varietate. Atque ob istam rationem vobis indicavi, quòd uni eidemque essentiæ sacræ decem diversæ in scripturis assignantur denominationes, ac attributa totidem ijs appertinentia; quorum alia emittunt emanationes vivificas, quibus aquæ subtiliatione seu rarefactione erant expansæ, & in cœlos lympidos & perspicuos formatæ: Atque istiusmodi influentiæ sunt illæ, quæ virtute Dei Iah per attributum Hochma impluuntur, atque etiam, quæ ab Eloah per portam Tiphereth, pulchritudinem & clatitatem importantem in globum solis descendunt: Quarum est spiritum mundi dila-

dilatatione & rarefactione clarificare, atque de tenebris emundare: & istiusmodi influentiæ officium est procedere in evocando spiritus à centro ad circumferentiam. Ac è contrario sunt quædam alia Dei attributa, quæ radios attractionis & contractionis emittunt, cujusmodi sunt Binah, seu prudentia, quæ effundit influentias suas in sphæram Saturni: Mediantibus ergo istis, spiritus Dei in sua prudentia ligavit & suspendit cœlos, quasi annulos catenæ aureæ ad invicem, & sustinuit Elementi Catholici orbes in suis destinatis locis, & contraxit grossiorem aquarum portionem à circumferentia centrum versus, atque eam more grosso & tenebroso ibidem confirmavit & fixit: Ita, ut proprietatis attractivæ, contractivæ & retentivæ fons sit Binah, cujus præsidens est nomen Dei Elohim, quod propter rationes vobis in superioribus relatas, est proprietatis septentrionalis caput, ac per consequens frigoris, siccitatis, opacitatis, congelationis, incrassationis & requietis, quæ in centro versatur, ut pote, quod est terminus ad quem motus à circumferentia fit, quas omnes proprietates à sphæra Saturni præcipuè recipiunt. Et propter istam rationem virtus centralis, quæ est in visceribus terræ, attrahit & allicit ad punctum istud naturaliter omnia gravia, quæ, quando ad centrum terræ usque pertingunt, ulterius penetrare nequeunt: Nam est ad centralem istam meram, quod attributum Binah à nomine Dei Elohim animatum collimat, & divinitas illa, quæ terræ centrum inhabitat, est sacra illa essentia, quæ sub nomine & proprietate Elohim existit receptaculum immediatum, cujus emanationis est ordo Angelicus Thronorum, cujus est (testibus Rabbinis Cabalisticis) spectare ad terram & aquas grossas atque compactas, & arca hujusmodi effluxiorum Thesauraria in cœlo stellato est globus Saturni, cujus ob istam rationem proprietas est frigida & sicca, contractiva, astrictiva & retentiva: Quippe cujus radij in effectu est contrahere ad centrum. Atque ista influentia est præcipua in ventis Borealibus dominatrix, qui venti sunt frigidi, sicci, contractivi, congelativi, estque planeta iste, qui administrare solet virtutem stellæ Polari, ab Ægyptijs Alrucakba dictæ, ut pote, cui assignantur ab Astrologis naturæ Saturni & veneris: Ac propter hanc causam, est principalis adjutrix & assistens in executione non modò effectuum attractivorum Elohim, & per consequens induit naturam Saturni, qui influentijs & effectibus Borealibus Elohim seu Binah abundat, sed etiam participat de natura veneris, quæ est facultatis concupiscibilis domina: Atque ista de causa facit naturalem coitionem, hoc est, appetit & attrahit ad se seu in centrum Saturninum suum simile, voluptuoso quodam desiderio & delectatione: Haud aliter, quàm fœmina appetit virum, seu materia fœminina formæ masculinæ avidé inhiat. Hæc ergo est ratio, quòd terra ad se attrahit effigies illas formales, quæ de cœlo descendunt, quas tanquam spermata desiderabilia non sine magna voluptate absondit in sua matrice seu visceribus. Nam cœlum à veris Cabalistis & Philosophis dicitur masculus, ad terram, quam pro cœli fœmina habent. Quàre non possum non consentire cum Lucæ Gaurici opinione, quæ est, quòd stella in cauda ursæ majoris sit præses & Dominus ac vivificator Magnetis: Atque etiam, quòd Saturnus sit Planeta, qui ei in hoc negotio adjungitur: Ac denique quòd habeat præcipuam relationem ad constellationem Virginis in Zodiaco, quippe, quod signum eandem habet cum stella Polari longitudinem: Atque etiam, quoniam ipsa est pariter cum stella illa naturæ terrestris, stipticæ, attractivæ & retentivæ, atque etiam de conditione Saturni & veneris: Omnes hæ, inquam, rationes fortissimæ fuerunt motrices, quòd hæ sint præcipué cœlestes in dispositione Boreali in mundo inferiori agentes, & per consequens in attractivo Borealis terræ & Terrellæ poli motu & cujuslibet particularis ejusdem. Attamen hoc ego addo, quòd, cùm influentia à Binah emittitur per Thronos, necesse habemus credere, prius per cœlum octavum transire, atque ibi vasa nonnulla eligere magis apta ad portionem Thesauri sui recondendam: Cujusmodi in Zodiaco sunt Virgo, Capricornus, Taurus, uti ab eorum effectibus comprobatum est ab Astrologis: Vnde signa dicuntur terrestria, quippe conditione frigida sicca, stiptica, attractiva, coagulantia & incrassantia: Verùm extra Zodiaci margines elegit pro summo sacrario influentiarum suarum in hoc cœlo constellationem ursæ majoris, cujus maxima virtus & potestas est stella illa eminens in ejus cauda, quæ ideò pollet & excellit omnes alias constellationes in effectuum & mandatorum frigidorum, contrahentium & congelantium proprietatis Elohim executione, quoniam à calore & præsentia solari est remotior; & per consequens in facultate & vigore suo naturali efficacior & robustior. Hinc ergo est, ut ventus Borealis influentijs istius stellæ animatus, mundum Borealem frigore, gelu, glacie, nivibus & grandine afficiat: Quod autem facit tale, est magis tale: At stella ista suo influxu & spiraculo contrahit, congelat, coagulat, in spissat, re-

tinet

omniumque in se gerere similitudinem ac ideò alibi vocatur omnium similitudo. Atque ratio est, quoniam mens in homine non est nisi una unitas, atque hinc alibi definitur esse quædam divina atque individua substantia. Alkindus more Astrologico sic discurrit: Si alicui datum esse totam conditionem cœlestis harmoniæ comprehendere, mundum elementorum cum singulis suis contentis in quocunque loco & quocunque tempore plene cognosceret, tanquam causatum per causas: Si etiam aliquam rem hujus mundi in tota sua conditione cognosceret, cœlestis harmoniæ conditio ipsum non lateret, sed etiam causam tanquam per effectum suum comprehenderet: Omnis enim res, quantumcunque modica in mundo elementorum agens, totius cœlestis Harmoniæ est effectus: Hæc ille. Quibus verbis vir iste profundè in mysterijs naturæ versatus videtur asseverare, quòd, ut est ab unitate in multitudinem descensus, ita quidem illa multitudo explicita est complicitè in unitate radicali, ut etiam unitas ista omnem multitudinem implet. Hac ratione unitas seu 1. est in 2. & 2. in 3. & 3. in 4. & 4. in 5. &c. & tamen illa unitas, quæ est principium, est etiã & finis & medium & omne in omni cujuslibet numeri. Ad hunc modum lux informat Angelicam creaturam, Angelica stellarem & stellaris Elementalem, & Elementalis compositam: At semper non est nisi unica & indivisibilis lux, quæ centraliter agit & operatur in his omnibus: Quare aperiatur creatura composita & inspiciantur Elementa, dividantur ea à puro, & inveniemus naturam stellarem sive quintam essentiam: Ac si ista substantia stellaris aperiatur, concipiemus subtilem illam alteritatem naturæ Angelicæ, in qua consistit divinus actus aut radius immediatus à Deo. In hoc ergo opere concurrit separatio prioris aspectus sensibilis à posteriori intuitu intellectuali: Ita, ut observare queatis, quomodò omnia sint in re qualiber, & res quælibet in re omni. Atque hinc Hermes Mysticè non secundum sensum communem loquendo, ait: Qui fornacena cum vase nostro construit, novum mundum conflat. Sed quid pluribus opus est verbis, cùm hoc totum demonstratione oculari verum reperiamus: Scimus enim Magnetem non esse, nisi terræ generalis portiunculam, & tamen in se comprehendit omnes cœli & telluris circulos cum utrisque polis eorum; imo verò & illam ipsissimam naturam in omni respectu inter ambos polos & circulos, quos terra generalis habet, unde à quibusdam Terella, quasi minima terra dictatur: atque ita etiam tota terra potest nuncupari parvus mundus, quatenus in se habet duos polos, circulos atque etiam astrales & elementares naturas magni mundi non aliter, quàm magnus mundus in his omnibus respectibus repræsentat Archetypum, qui delineatur intellectualiter, in omnia operante spiritu sapientiæ seu sacra emanatione: Imò certè, ut nos adhuc profundius in nostra diminutiva inquisitione immergamus, si portio ex virga ferrea, quæ naturaliter respicit septentrionem & Meridiem rumpatur, illa parvula portio habebit pariter respectum ad septentrionem & Meridiem cum suo integro, & per consequens, ejus circulos non aliter, quàm ejus totum possidebit: & nihilominus ipsa virga observabit Septentrionem & Meridiem, ut anteà. Hoc idem invenietur in Magnete, uti inferius declarabitur.

Sed, ut propinquiùs adhuc ad istius Mysterij explicationem accedatis, intelligendum est, æternam istam irradiationem esse essentialem & spiritualem radicem, ex qua mundus magnus in genere, ac tum posteà omnis res particularis in eo fuit in suo genere formata ac figurata; primùm, secundum generales decem emanationes divinas & eorum proprietates, quas Philosophi Ethnici quodammodo referre videntur ad decem sua prædicamenta: Deinde secundum species suas subalternas multorum graduum, & ordinum dignitatis, quæ omnia tum posteà erant factæ manifestæ, per infinita individua, quæ juxta diversos illos multiplicis voluntatis Dei radios, quos ista æterna & radicalis emanatio ijs effundebat, ex suis generibus producebant; qui omnes radij particulares, sive majores sive minores, cùm non essent separati in essentia ab universali emanatione seu spiritu sapientiæ, qui omnia fecit & qui est radix eorum, sunt virtus lapidis illius Angularis spiritualis, super quem omnis creatura tam generalis, quàm particularis formaliter ac essentialiter consistit & superædificatur. Atque iste lapis Angularis est illa maximè interna & centralis essentia in omni re, quæ, ut vitam ei impertit, ita quidem est omne in omni illius rei, quam in actuat & vivere facit: Atque ideò anima, cujus centrum est iste lapis Angularis, dicitur esse in toto & in qualibet parte. Sed desinam jam loqui de activitate istius essentiæ in alijs creaturis, ut solummodò in subjecto nostro, quod est terra & progenies ipsius, inter quas Magnes Fœmininus & ferrum masculinum præcipuè numeramus. Philosophia vera & sacra nos docet, quòd globus seu massa ponderosa telluris ab isto lapide angulari sustineatur, & per consequens in se habet multiformes suas virtutes ab ipso. Vbinam eras (ait Iehova) quando fundebam terram? Quis disposuit mensuras ejus, aut quis extendit super eam lineam? Super quo bases ejus sunt defixæ? Aut quis jecit lapidem ejus Angularem? Ecce hic divinæ Philosophiæ axioma ab ipso creatore propositum Proh Deum! Quàm indignæ sunt Peripateticorum de admirabili terræ structura opiniones re-

Iob. 38.

ſpectu rudimentorum & doctrinæ divini iſtius oraculi, quæ fundatur ſuper lapidem Coloſ. 2. 8. Angularem Ieſum Chriſtum : Et propter iſtam rationem meritò nos monet Apoſtolus, ut caveamus, ne à Philoſophia & vana fallacia decipiamur, quæ eſt ſecundum traditionem hominum & juxta Elementa iſtius mundi & non ſecundum Chriſtum, in quo habitat plenitudo divinitatis corporaliter, qui eſt caput omnium principalitatum & poteſtatum &c. Vbi innuere videtur, Chriſtū, qui eſt verbū & æterna & omnia creans Dei ſapientia, eſſe emanationem illam Catholicam, quæ erat radix inprimis naturæ Angelicæ, quam organum primarium fecit: Ac tum poſteà omnia inferiora mediantibus organis ſuis Angelicis fecit per communicationem radiorum vitæ cū Hebr. 1. ijs, qui non differunt ab ea eſſentia, nec dividi poſſunt ab ejus fonte, qui ideò dicitur implere omnia: Chriſtus (ait Textus) implet omnia; atque alibi: Eſſe omnia in omnibus: & quòd portat omnia verbo virtutis ſuæ: Ipſe fundavit terram, & opera manuum ſuarum erant cœli &c. Hic ergo erat, ſpiritus ille Ruach Elohim, qui in creatione coagulando ſeparavit ſubtile à ſpiſſo, fecitque, ut maſſa urida compareret ex aquis, eamque in altum vexit, & virtute ſuæ eſſentiæ vivifica ſuper nihilum ſuſtinuit. Quare evidens eſt, iſtum ſapientiæ æternæ ſpiritum fuiſſe lapidem illum Angularem ſpiritualem, ſuper quem terræ moles, & quælibet ejuſdem particula diverſa ab initio ſtatuminaretur & in hunc uſque diem fixa & ſtrabilis permaneret: Quippe, ſuper quem, quaſi ſecuriſſimam Sap. 1. ſuam fundationem reſidet: Vnde ſat liquidò declaratur, quòd, cùm ſpiritus iſte impleat orbem terrarum, ipſe quamlibet ejuſdem particulam plus minuſve virtute diverſa & diſtincta, quaſi dono ijs ab ipſo diſtributo induit. Quam ob rem, ut nulla virtus eſſentialis, quæ ab eo derivatur poteſt ab illo ſeparari, ita quælibet terræ particula magis vel minus proprietate totius imbui debet, cùm ejus totum movetur ſuper unam lineam ſive axin ſpiritualem: Vt verba prædicta Iehovæ important, quæ biformi proprietate ſecundum naturam duorum contrariorum principiorum, anteà deſcriptorum, ab una unitate divina procedentium differt, nimirum ab ejus Noluntate ſeu privativa & contractiva natura: Nam operatur per privativam, contractivam, frigidam & congelantem ſuam diſpoſitionem, quæ magis vel minus augetur aut diminuitur ſecundum quod vel propinquior vel remotior eſt à polis, videlicet Boreali & Meridionali; & ab ejus voluntate ſeu poſitiva, dilatativa & diſſolvente natura, ut pote, qui quaſi ſol centralis, ſpiritualis à medio puncto ſuæ axis emittit radios ſuos ad circumferentiam: Haud aliter, ac ſol cœleſtis & æternus ejus agens, qui idem eſt cum illo terreno, radios ſuos ab Æquinoctio ejaculat, quod eſt circumferentia ad medium & centralem punctum in axe terreſtri ad polos ejuſdem; ſed propinquiùs ad polos, quàm ad Tropicorum cujus libet hæmiſphærij limites non accedit. Atque hæc eſt ratio illius Antipathiæ, quæ obſervatur eſſe tam in ferro, quàm in magnete: Nam, ſi in primo ordine Magnetem exactè in medio ſeu loco æquinoctialis inter duos ejus polos, nimirum punctum lineæ æquinoctialis ſic diviſeris,

Vide lib. I. cap. 5. Gilberti de Magnete pro hoc experimento.



Ac tum poſteà partem mediam Hæmiſphærij Borealis C. A. ad polum auſtralem B, applicueris in hunc modum.



Partes iſtæ ita conjunctæ à ſe abhorrebunt, & quaſi ſenſu naturali præditæ ab invicem effugient, & à tali conjunctione declinabunt: Quippe, quarum medietatum in tali poſitione naturæ ſunt admodum adverſæ: Quoniā A. eſt ſedes Æquinoctialis lineæ & per conſequens proprietatis rarefactivæ & dilatantis, & alterius Hæmiſphærij B. eſt locus Poli, qui eſt ſedes naturalis contractionis & attractionis: Quorum locorum ille, eſt ſedes naturalis caloris, & hic frigoris: Vnde ille dilatatione ſui ſolis rarefaciendo expellit à centro ad circumferentiam; hic contractione radiorum

rum ſui ſolis inſpiſſando attrahit & contrahit à circumferentia ad centrum, ibique attractum retinet & quieſcere facit. E regione ſympathia in Magnete & ferro apparet, quando ſimile tam ordine, quàm conditione naturali applicatur ſuo ſimili: Nam ſi offeratur pars Hæmiſphærij Magnetis unius, ad illam alterius, mirificé videbunt ambo gaudere: Nam ſubitò ſe mutuò amplectentur: & ad invicem unientur. Porro continuatione axis ſpiritualis alis, unus polus applicatus ad alium, attrahet ad ſe hæmiſphærium alterius, atque ita ambo poli unionem facient hoc modo.



Vbi Polus Borealis C. naturali amore videtur oſculari B. & B. pari lætitia & amore recipere C. Quibus quilibet ſibi conſtans ſpeculator diſcernere poteſt, rationem ſympathiæ & Antipathiæ atque etiam attractionis & dilatationis in qualibet creatura, & quomodò res quælibet naturali quodam inſtinctu iuclinet, ad ſuum in proprietate & ordine ſimile; atque è diverſo naturaliter declinat & fugit à ſuo contrario: Cùm contrariæ iſtæ proprietates ab oppoſitis actibus in una radicali eſſentia procedant, quemadmodùm immediatè experimento magis particulari & familiari explicabo.

Ex inſtrumento meo experimentali, quod Philoſophici iſtius mei diſcurſus ſectionis primæ libro primo deſcripſi, obſervare poteſtis, duos punctos duobus mundi polis correſpondentes, videlicet matratij ſeu vitri caput, quod repræſentat polum Borealem, & aqua in parte ejuſdem inferiori, quam ad polum Meridionalem refero: Aër inter hæc duo extrema interpoſitus ſpatioſo mundi cœlo ſeu ſpiritui ſublunari comparo, in cujus medietate videlicet 1. linea æquinoctialis ſecat vel tranſit; ut pote, quæ exactum ſuum ſitum habet inter duos polos. Invenimus ſemper, quòd, quando aër in ſummitate ſeu capite vitri incluſus ſit magis frigidus, nempe, cum flatus Boreales in mundũ emittuntur, ipſe erit magis contractus atque in ſpiſſatus, ac conſequenter ad motum ſuæ contractionis exuget ad ſe vel elevabit in altum aquam inferiorem. Quo quidem concipere fas erit, rationem attractivæ naturæ non modò in ventis Septentrionalibus, verùm etiam in Magnete & omnibus alijs rebus quæ per contractionem aëris ſeu ſpiritus attrahunt & ſugunt ad ſe; & conſequenter, quòd habeant illam proprietatem à poteſtate ſpiritus divini, qui mediantibus organis ſuis Angelicis ſpirat à ſeptentrione. His etiam manifeſtatur ratio, cur unus polus alliciat ad ſe & attrahatur ab altero in Magnete, nimirum, propter continuationem axis ſpiritualis, qui efficitur & conſtatur ab uno lapide Angulari ſive eſſentiali & centrali ſpiritu, uti dictum eſt, tametſi ex duplici conditione oppoſita diſpoſito, qui etiam ſecundum multiformem graduum diuerſitatem operatur: Vnde dixit Salomon, ſpiritum illum eſſe ſimplicem ſeu unicum, hoc eſt, reſpectu divinæ ſuæ naturæ, & multiplicem, hoc eſt, quatenus operatur juxta modum multiplicem: Nam, ut operatur circa axis polos, ſibi virtute frigoris loci atque ſiccitatis attrahendo & affugendo, ita juxta Æquinoctium & movendo gradatim à polis ad illud millies in proportione, plus minuſve in dilatatione variatur, ratione multiplicium graduum caloris, quem ſol iſte centralis aëri impertit: Atque hoc non ſolummodò in vitro ſeu inſtrumento noſtro experimentali demonſtratur, quatenus in venimus, quò magis ſol cœleſtis cum divino iſto agente centrali nobis appropinquat, eò magis aërẽ extranum, eorum calore dilatatum, dilatare etiam aërem, in collo & capite inſtrumenti contentum: Cujus dilatatione & rarefactione aqua frigore anteà elevata jam præcipitatur; ac ſi quis diceret, calorem repellere jam frigus hyemis, quæ introivit per imbres & pluvias à meridie in proprium ſuum hæmiſphærium miſſas. Quare ut natura poli frigidi eſt attrahere & allicere ſibi per condenſationem (quod quidem mediante condenſatione ſive facultate Saturnina perficitur) ita quidem naturæ calidæ æquinoctij cum partibus ei adjacentibus eſt, ſuum oppoſitum expellere per dilatationem, quæ efficitur mediante calore rarefaciente. Atque iſta eſt cauſa (ut in prædictis eſt demonſtratũ) quòd lapidis Magnetici æquinoctium ſit in inclinatione ſua naturali, ut cum polis conjungatur, tam adverſum, atque é diverſo poli abhorrent ab Æquinoctijs. Etiam hæc eſt ratio, quod in polo dicti lapidis ſit tanta attrahendi & ad ſe alliciendi poteſtas, & quod ſtylum ferri more perpendiculari hoc eſt ad angulos rectos ad ſe attrahat: At quò propinquiùs acus, ferrum ſeu filum ferreum erit ad locum Æquatoris applicatum, eò obliquior erit ejus coitio ſeu conjunctio cum lapide: Ita, ut quando applicetur directé ſuper

Sap. 7.

æquinoctium lapidis, omni angulari contactu privabitur; nam pronus & super ventrem quasi jacebit in loco illo: Vti videre licet in sequenti ista demonstratione.

Pro descriptione & explicatione hujus V. Gilbertum. 2. cap. 6. de Magnete.



Sed, quoniam demonstrationes istiusmodi videntur vulgaribus nimis intricatæ & obscuræ: Quippe, qui sunt Solis centralis, quem Philosophi vocant Archæum, naturæ ignari: Ac etiam difficile erit ipsis, quid sit terræ axis, quidve poli concipere: Atque iterum, quia Magnetis usus & speculi instrumenti praxis pluribus est penitus incognita: Procedam ego ad quandam probationis atque hujus rei applicationis speciem, quæ cujuslibet hominum conditionis familiaris est.

Non potest negari, quin homo atque etiam omnes aliæ creaturæ tam vegetabiles, quàm animales sint compositæ ex anima vivente, quæ est earum internũ, & corpore, quod est eis externũ, hoc idem est de terra etiam judicandũ: Quoniam ipsa spiritum internum haber, mediante quo operatur diversé. Atque iterum, ut nullum est animal vel vegetabile, quod sine aëre existere potest, ut pote quo mediante res quælibet existit, & per inspirationem vivit: nã istius medij vehiculo influentia cœlestis ipsis introducitur: Ita quidem Elementum aëreum mediantibus suis influentijs nutrit spiritum internum terræ. Nam aër de desuper conducit, influxus cœlestes in corpus terrestre, quod est mineralium atque vegetabilium matrix. Vobis in præcedentibus recitavi, omnia inferiora cum suis operationibus, esse typos & similitudines rerum superiorum, & Deum animare Angelos, & Angelos informare stellas, & dæmones seu Intelligentias stellares seu Olympicas influentias suas emittere in ventos, & ventos animare Elementum aëris Catholicũ quadriformiter, hoc est, secundum naturã quatuor ventorum, quæ quidem quadriformis informatio, dat sive assignat nomẽ quatuor Elementis: Et quamvis in aëre Catholico non sit nisi unica substantia in essentia, tamen illa variatur in natura sua, secundum quadriformem conditionem juxta voluntatem & proprietatem spiritus illius unici, qui est solus actor seu agens sufficiens in istiusmodi metamorphosi seu Proteotica transformatione ab una natura seu forma in aliam: Vtcunque in isto negocio organis sive vehiculis tam Angelicis, quàm stellaribus utitur, sic enim dicitur vehi & quasi æquitare super Cherubin & volęre super alas venti: Ob istam rationem Propheta dixit. Ezeç. 36. Veni, ô spiritus, à quatuor ventis & inspira super interfectos istos, ut vivant: non dixit, venite, sed veni spiritus. Quibus arguere videbatur, esse unicum & non plures spiritus, qui fiat essentialiter à quatuor ventis, & per consequens, istum spiritum in essentia esse tantùm unicã rem, tametsi sit quadriformis respectu suæ proprietatis; & quòd, ut in isto spiritu Archetypico, totus mundus erat Idealiter in polos & alias portiones natura differentes circulis spiritualibus divisus. Ita quidem in omnibus regionibus mundi observat constanter unũ eundemque positionis characterem, nimirum eundem in mundo stellari ac in aëreo: & in aëre ac in aqua & terra: Nam polus Borealis cœli assignatur stellæ polari, atque indicatur per characterem astrillius, qui invenitur in extremo caudæ ursæ majoris: In aëre, manifestatur in illo puncto, à quo Boreas flat, qui exactè natiuo, si tu & positione stellæ polari correspondeat. Iterum, quòd terra observet eundem ordinem in directione sui poli, evidenter ex Magnetis & ferri conversione ad stellam polarem apparet. His igitur constat esse non nisi unicum spiritum, qui operatur omnia in omnibus. Procedo ergo in demonstratione mea, quæ est tam familiaris cuilibet creaturæ, ut neminem, nisi mentis inopem latere possit. Quis enim ignorare potest, aërem, cùm spirat á Borea, esse in conditionem frigidam & siccam, & per consequens in conditionem & consistentiã terræ mutatum, nimirum á clara, lympida, transparente, dissoluta & delata in perturbatam, opacam & obscuram, grossam, ponderosam atque contractam aëris substantiam. Nam experientia docet, aërẽ, flante Borea, in nives, grandines, pruinas & glacies converti, hoc est, ab aërco spiritu in corpus terreum seu solidum à statu invisibili & mobili in statum visibilem & fixum: Ac denique integer aër mutaturin spiritualem & croporalem terram: Atque istam transmutationẽ accipit ab illa frigida & contractiva facultate, quã accepit à vẽto Boreali seu proprietate Septentrionali spiritus divini, qui ordinat & disponit omnia, eaque ab una forma

forma in aliam per ſpiritū ſuarum narium alterat (ut ſcripturæ more Allegorico loquendo, dicunt) ſive per ventoſas illas emiſſiones ſeu Angelicas emanationes, quas emittit à quatuor terræ Angulis: Ita, ut mediante ſpiritu ſuo à plaga ſeu Angulo Septentrionali proprietatem ſuam attractivam atque contractivam & retentivam ac aggregativam exercet, qua ſugit & contrahit à circumferentia ad centrum, atque ita congelat, coagulat, inſpiſſat, indurat & fixat ſpiritus molles per contractionem illarum partium, quæ erant anteà poroſæ ac dilatatæ. Sed aliqui fortaſſe replicabunt & dicent, Quomodò probabile eſt, illam emanationem aut emiſſionem ſpirituum à porta Binah ſub nomine Elohim, aut irradiationem ſeu emiſſionem ſpiritus à Borea & duobus ſuis ventis collateralibus poſſe mollia indurare per contractionem, aut fugere ad ſe & introducere ſpiritus à circumferentia ad centrum, cùm eorum emiſſiones ſint directæ à Septentrione verſus Meridiem, & nullam faciant reflexionem, qua ulla talis à circumferentia ad centrū contractio fiat. Reſpondeo, hoc more mirabili & ab ingenijs electioribus obſervando effici. Debemus igitur ordine priori conſiderare, proptictatem attributi Binah, cui præeſt nomen Elohim eſſe ante omne principium ordinatam, ut negativam ſeu contractivam Noluntatis ſeu tenebrarum æternæ unitatis naturā indueret: Nam, quando Deus non vult emittere vultus ſui lucem, ardorem & virtutem lucis ſuæ in ſe reflectit (ut Mercurij Triſmegiſti verbis à ſacris ſcripturis hac in re nō diſſentientibus utar) hoc eſt, contrahit à circumferentia in centrum, atque hac ratione creatura eſt luce & vita deprivata. Iſta Dei proprietas eſt Antipathetica illis mundi partibus, atque etiā creaturis, quæ vitā habent à naturali calore, qui initium ſuum ab actu & emanatione Dei benevola ducit, in qua à ſe, hoc eſt, ab unitate ad multitudinem, quaſi centro verſus circumferentiā, ſeu creaturas ſuum velle ſeu virtutem poſitivam emiſit: Sequitur ergo, quòd, quamvis emiſſio venrorū à ſeptentrione ſit directa, tamen proprietas eorū eſſentialis immediatè ab organis Dei Angelicis procedens, eſt contractiva & attractiva à circumferentia ad centrum, quatenus eſt emiſſio, quæ per animationem divini ſpiritus & actionem in natura Elohim, redditur frigida ſicca, coagulativa, congelativa & ad quietem diſpoſita, atque ideò eſt Antipathetica & diſpoſitioni aëris oppugnans, quippe qui eſt calidus humidus, & conſequenter ab actu illo dilatativo animatur, quē ſpiritus Catholicus expirat ſeu emittit ex ſole ſuo cœleſti aliiſque ſtellis vivificantibus, ut ſunt Iupiter, Venus: Atque ob hanc cauſam evenit, quòd, cùm ſpiritus Boreales emittantur in aërem, neceſſariò ſequi debet, ut ad contractum Antipatheticum illorum ſpirituum frigidorum, naturale calidum ſeu vita aëris fugiat & ſe ipſum contrahat à ſua circumferentia centrum verſus, atque ita aër partim per motionem illam contractivam in ſe ab antiperiſtaſi ſeu concurſu ſui contrarij factā, & partim per mixtionem formæ terreſtris cum eo congelatur, & ad tetrā quaſi mortuus & immobilis in forma nivis, grandinis, pruinæ vel glaciei præcipitatur. Vitæ aëris calidæ motus retrogradus à circumferentia ad centrum per contactum frigoris Borealis vehementem iſtiuſmodi experimento luculenter declaratur: Nam, ſi optimum vini ſpiritum ſine igne extractum deſideretis, exponatur dolium vino plenum aëri aperto, dum maxima frigoris & ventorum Borealium inclementia in cœlo urgeat, pruinaque & glacies vix tolerabiles in terra & aquis ſeveré graſſentur, atque intra paucos dies vini exterum glacie coarctatum invenietis, quòd ſi in centro perforare velitis ſpiritum vini optimum effluere videbitis. Quibus evidens eſt, vitam vini ad contactum vehementiſſimi frigoris effugere à circumferentia ad centrū ſui corporis, quaſi ad locum remotiorem à ſede actus & dominationis frigoris. Pariformiter etiam videre licet, vitam aëream in alijs creaturis, cujus formalis exiſtentia conſiſtit in dilatativa Dei proprietate cogi frigoris inclementiā volare á circumferentia ad centrum, relinquendo partes exteriores gelidas & rigidas atque congelationi mortali & Lethali quieti obnoxias: Quod quidem obſervamus non modò in creaturis animalibus, ſed etiā in vegetabilibus, cùm ſanguis eorum (ut ita dicam) ſive ſuccus hyemali tempore á frigore Septentrionali ſe inclinans in eorum centro congelatur; ita, ut quaſi mortua videātur, quouſque Sol vernalis eorum ſpiritus in centro conſopitos, quieſcentes & quaſi mortuos (nodum Borealem reſolvendo) vivificet & ad circumferentiam evocet, quo functionē eorum vitalem & vegetativam iterum exerceant. Propter iſtam ergo rationē liquet, non eſſe rei veritate, niſi unum Elementum Catholicum, quod partim privativæ & tenebroſæ, & conſequenter contractivæ Dei proprietati ſubijcitur, partimque capax eſt ad poſitivam, lucidam & dilatativam ejus diſpoſitionem induendum. Et commune hoc ſubjectū eſſe ſpiritū ſive aërem mundi ſublunaris in eo patet, quippe qui minori inſpiſſatione ſeu contractione à ventis Occidentalibus factâ in aquam; majori verò compreſſione & conſtrictione á vētis Septentrionalibus factâ, in naturam terream reducitur: è contra, minori dilatatione & rarefactione à ventis meridionalibus factâ, efficitur vapor ſeu fumoſus aër, & majori adhuc rarefactione & ſubtiliatione á ventorū Orientalium dominio, idque præcipuè æſtivo tēpore factâ producitur ignis ſive coruſcatio, ut anteá eſt relatū. Et ambæ hæ varieformes proprietates ad unum e-

undemque ſpiritum attinent, uti diximus. Certè iſta demonſtratio neminem decipere poteſt, quatenus creaturæ etiam irrationales naturali quodam inſtinctu moventur vel ad ſympathizandum & gaudendum clementiâ & conſolatione unius proprietatis, aut ad fugiendos & evitandos ſeveros alterius inſultus, quippe, qui antipathizant cum eorum naturis. Sed, ut ad propoſiti noſtri medullam revertamus, Manifeſtum eſt ex eo, quod eſt dictum, ſpiritum Borealem eſſe contractivum, attractivum, inſpiſſativum, atque ad tenebras, immobilitatem & quietem pronum, & Meridionalem ſeu potius ventum ſpirantem ab æquinoctio eſſe ei in natura contrarium, quatenus eſt paratus ad effectus illos deſtruendos, quos venti Boreales produxerunt, videlicet aërem congelatum, & in nives, pruinas, grandines, & glacies, in aquam reſolvere & aquam in aërem ſubtiliare, & opacum reddere tranſparens, & denſum efficere ſubtile, atque ideò inter has oppoſitas proprietates non magis reperitur Sympathia, quàm in prædictis demonſtravi eſſe inter æquatorem Magnetis atque ejus Polum, qui inter ſe convenire nequeunt. Atque iterum, ambas has naturas oppoſitas procedere ab una eademque divinitate ſeu ſpiritu eſſentiali Catholico, cujus eſt operari omnia in omnibus ubique, & conſequenter tam in terra, quàm in cœlis teſtimonium iſtud veræ Philoſophiæ confirmare videtur. Deo emittente (ait Textus) ſermonem ſuum in terram, quàm celerrimè excurrit, qui nives emittit, ſicut lanam, & pruinam, quaſi cineres diſpergit, deijcit gelu, tanquam fruſta, coram frigore ejus quis conſiſtit? Emittit verbum ſuum & liquefacit iſta, ſimul ac efflat ventum ſuum effluunt aquæ &c. Quibus manifeſtum eſt, idem verbum ſeu ſpiritum Dei congelare per unam proprietatem & diſſolvere per aliam, & conſequenter, ut Deus eſt unicus eſſentiâ, ita quidem eſſe eundem ſpiritum, qui efficit quadriformes iſtas in unico ſpiritu mundano alterationes, quas antiqui diſtincta dixerunt Elementa, quoniam ad hunc uſque diē determinare haud potuerunt, quænam eſſet eſſentialis Elementorum forma. Sed, ſi bene quatuor Elementa conſideraſſent, de quibus tot fecerunt verba; at (ut videtur) parùm eſſentialiter ea intelligebant, aut ſi rectè percepiſſent, cœlum & terram prius fuiſſe ex aqua & per aquam creatam conſiſtentem verbo Dei, uti Philoſophia ſacra nos docet; tunc procul dubio communem eorum ſubſtantiam fuiſſe non niſi ſpiritum unicum creatum & in lucem mediante ſpiritu divino productum: Atque etiam, quòd quadriformis illius informatio eſſet ab unica increata eſſentia effecta, ut pote, quæ Elementum hoc Catholicum quadruplici emanatione multipliciter informat (ut ſæpius probavimus, ita, ut voluntas unius ſpiritus creantis effecta per, & operante in quatuor Angelos naturatum oppoſitarum, faciat, diſponat & quotidie alteret ſpirituale hoc ſubjectum aqueum, hunc vel illum ſtatum, in quo ſecundum ſubjecti maturam illud hujus vel illius elementi nomine inſignire videntur, quod totum ex inſtrumenti noſtri experimentalis demonſtratione evidenter comprobatur. Nam, aër in eo incluſus vel per contractionem vel per dilatationem convertit ſe in formam cujuſlibet Elementi, atque in ejus carcere ſeu receptaculo alteratur ſecundum naturas ventorum varijs temporibus in aëre Macrocoſmico regnantium. Iam verò, quemadmodum quæri poteſt, unde terra & aquæ, quæ hic inferius perpetuò reſident & loco elementorum ſe habent, ſuum ducant ortum: Reſpondeo eſſe effectus, quos venti originaliter Deo ſeu Ruach-Elohim ſic volente, ex aquis produxerunt, atque hi effectus primitus ab aëre ſeu aquis inviſibilibus, eos in aquam viſibilem per unum gradum inſpiſſando, illamque per aliud in ſubſtantiam magis groſſam, ſolidam & fixam, nimirum terram aridam inſpiſſando ſunt derivati, uti ex doctrina Moyſis declaratur. Nam Apoſtolus & Philoſophus ſacer hoc verificare videtur, ubi ait: Credendum eſt per fidem, ea, quæ ſunt viſibilia, fuiſſe prius ex rebus inviſibilibus. Atque iterum, ſi duo corpora inferiora ſe ipſa in aërem paulatim & gradatim, licèt inſenſibiliter non reſolverent, foret impoſſibile, ut terra aut aqua tantam aquæ pluvialis, lapidum, ſulphuris, & hujuſmodi aliorum ſolidorum & ſenſibilium copiam daret, quæ quotidie à cœlo vel aëre cadunt, idque ſine augmentatione vel aquæ ſeu maris & terræ vel diminutiones aëris, imò verò in eadē naturali ſemper magnitudinis proportione invenirentur: Vnde dixit ſapiens; omnia flumina intrant in mare, & mare non redundat &c. Hiſce ergo ſatis (ut opinor) luculenter declaravi vobis proprietatis contractivæ & attractivæ poli Borealis rationem: Quatenus contrahunt à circumferentia ad centrum, quod eſt actui vitæ humanæ contrarium: Ideò res omnes, ſive ſint aëreæ, aqueæ vel terreæ, quæ reducuntur ad rigidam & frigidam Proprietatis Borealij conditionem, attrahunt fortiter ad ſe; quemad modum per inſtrumentum noſtrum experimentale probatur, quippe, in quo aër incluſus radijs & frigida & ſicca virtute robuſti venti Borealis animatus, fugit ſeu attrahit in altum aquas inferiores, nimirum a 7. Hæmiſphærij æſtivalis ad 1. qui eſt ſedes Æquinoctij, & ab 1. ſedes Æquinoctij ad ſummitatem ſeu extremitatem 7. Hæmiſphærij hyemalis, videlicet uſque ad matracij caput. Atque propter hanc etiam cauſam ſpiritus cujuſlibet terreæ ſubſtantiæ, frigore & ſicco congelati, attrahunt & allicit ad ſe illos alterius terræ, fortiter ab extra ad intus, uti in bolo armenico videre licet: Sed hoc fit ratione

Pſal. 147.

2. Pet. 3.

Eccleſ.

ſuæ

ſuæ ſiccitatis, unde ipſe gaudet, ſuum contrarium ſibi attrahere : At verò attractio in Magnete fit longé aliter : Nam ipſe virtute naturali matris ſuæ terræ indutus & eſſentiam ſtellæ Borealis in ſe habens, quæ eſt de natura Saturni & veneris : Avidé & cum concupiſcentia & deſiderio haud minimo, maſculinos ſulphuris ſpiritus ex ferro ad ſe attrahit & fortiter retinet, quæ quidem attractio non fit tali modo, ac eſt illa Antipathetica, quæ eſt abſoluté à circumferentia ad centrum; nimirum, quando res aliqua timore quaſi perculſa, radios ſuæ vitæ contrahit in centrum, ut ab illis adverſarijs in ejus circumferentia verſantibus declinaret & ſe ipſum abſconderet, hoc eſt, non ut conjungeretur cum ſuo ſimili, ſed ut ſepararetur à ſuo contrario : Attractio, inquam, Magnetica aliter ſe habet : Nam, ut in Antipathetica attractione fit ſeparatio iraſcibilis à radijs inimici intuentis, & exacta contractio ab extra ad intus ſine ulla attractione ſeu potius cum quadam expulſione perſequentis ſeu intuentis : Ita è regione in ejuſmodi attractione Magnetis ſit radiorum à centro extra ipſius circumferentiam emiſſio, ut amici adventum congratuletur : Vnde ſibi ſimile etiam ultra ſui corporis dimenſionem amplectitur, & à ſuo ſimili comiter more reciproco recipitur, ac tandem ad ſuum hoſpitium illud attrahit, non ut eum odio proſequatur, ſed, ut ipſum amicitia & gaudio naturali afficiat, & lætum reddat juxta illud Philoſophi: Natura naturâ gaudet & lætatur: Vnde fit, ut in iſtiuſmodi motu ſpiritus ipſius non recedant aut contrahantur à circumferentia in centrum, ſed maneant hilariter ſine timore cum ſuo amico & circa circumferentiam verſantur : Non poſſum equidem congreſſum ſeu amplexum horum duorum melius deſcribere, quàm per amicum quendam ſingularem, diu ab amico abſentem, quem, ut primùm dominus palatij à porta reſpiciens é longinquo venientem percipit, ſubitò exit, eumque amicè excipit ac manu ad ædes ſuas conducit; vel, ſi fœmina viro ſuo diu abſenti pariter in via, occurrat, & pluribus amplexibus præeuntibus recipiat ad ſe. At ſi amor ille Magnetis ſit ſui nutrimenti cauſa (nam ajunt Magnetem limaturâ ferri nutriri, roborari & animari) tum quidem ſpiritus in Magnete & eorum motum cum aranea haud in eptè comparare poſſum, cujus domus eſt quædam in quodam ſuæ telæ angulo ſpelunca, captâ igitur in ejus reti muſcâ, aranea ſubitò & cum gaudio egreditur, muſcamque rapit & ad ſuum fert domicilium, ut ipſius corpore reficiatur: Ita, ut videatis etiam hic eſſe quandam Sympathiam inter ſpiritum muſcæ & illum araneæ : Nam aliter, tanta concupiſcentiâ non affectaret eſſentiam muſcæ, quæ procul dubio ei erat in natura ſimilis : Sed hoc non ita proprié pro ſympathia haberi poteſt. Ex altera parte attractionem ſeu contractionem Antipatheticam, quæ fieri ſolet partim iracundè, partimque timoris acceſſu haud inſulſé comparare queam teſtudini & limaci, quæ animalcula, ubi nullum adeſt periculum vel damnum, emittunt capita ſua & limax cornua ſua è teſtudine ſimul atque vermis pro parte è terra exit poſt pluviam ſolari calore delectatur : At ſi vel teſtudo vel limax vel vermis aliquem videat timendum, vel ſe invadentem, ſubitò contrahunt ſe in ſe & in domibus ſuis ſe recondunt : Haud aliter ſe res habet cum ſpiritibus in Antipathiæ effectis : Non enim trahunt ſpiritus ſibi contrarios ad ſe, ſed ſe ipſos in ſe ab eorum aſpectu ab extra ad intus contrahendo, attrahunt. Sed relinquendo eorum opiniones, qui credunt, iſtam Magnetis attractionem eſſe ſui potiùs nutrimenti, quàm amoris Sympathetici cauſum, ad eam inclinamus, qui cum amplexu eorum ſympathetico tenent : Nam cùm ſit certum, tam ferrum, quàm Magnetem ab eadem minera, vena & natura extrahi : Sunt enim uterque diſpoſitionis terreæ & Borealis : & cùm Magnes & ſpiritus ejuſdem formales ſint magis ornati & aggravati ſuperfluitatibus, quàm ferrum igne examinatum & depuratum, aut ſuum ſimile ex ferro ſeu chalybe depurato magno appetitu attrahere tentant, quò meliùs eorum aſſiſtentia ab onere tali liberarentur, & in iſtiuſmodi actione alliciunt ad ſe ferrum (quod, quaſi ſpiritus ſuos formales relinquere nolens, per naturalem quandam continuitatem, motum radiorum ſuorum formalium ſequitur) aut ut ſolatium ei & opem, imò verò & refectionem aliquam ferat; haud aliter, quàm materia fœminina allicit & appetit maſculum formalem, ut ejus maſculino ſpermate & ſulphurea forma reficiatur, quam formam illi ambo ab ideali Catholici agentis Boreali natura originaliter acceperunt, qui ſuſtinet & animat terram, ut teſtatur Iob. Idem hoc alia ſimilitudine, ſed ex regno vegetabili comprobabo. Obſervamus, granum tritici, non participans cum natura terræ, hoc eſt, tam diu, quàm eſt ſupra terram & non ſeminatum in terra, ſuum ſimile à cœlo, quo multiplicari poſſit, attrahere non poſſe : At poſtquam matrici terræ committatur, ſeu ſepeliatur in terra & quòd terra vincula ſuæ compoſitionis per corruptionem diſſolverit, ſpirituſque hac ratione captos liberaverit, tunc ſpiritus incipere ad ſe allicere, & deorſum ad ſe attrahere radios ſolares, influentiaſque conſtellationis ſuæ tam ſixæ, quàm erraticæ, ut eorum ope penitus ab Elementaribus ſuis ligamentis liberentur, & mediantibus radijs ejuſmodi ſuæ naturæ à cœlo miſſis, ſurſum eleventur, & quaſi in patriam reaſcendant : Ita, ut ſimile additum ſibi ſimili reddatur fortius in ſuo aſcenſu: Nam ab experientia docemur, formam cœleſtem ſeu radium vitalem incluſum gradatim

Empedocles.

tim repere & paulatim assurgere è terra & summo conatu sive appetitu tendere ad suam sedem nativam, à qua prius descendebat: Sed quoniam Elementum ignis est spiritui Æthereo contiguum, atque ideò permittere non vult, radium cœlestem ascendere sine eo: & quoniam aër est vicinus contiguus cum igne, ideò non minus durabit, ut ignis sursum sine ipsius consortio tendat: Atque iterum, aqua illud ipsum sibi vendicat privilegium, ut uniatur in plantæ ascensum cum aëre: Denique terra non sinet aquam altiùs ascendere sine suo amplexu; ut pote, ei proxima societate conjuncta, ac ratione suæ gravedinis ascendere nequeat, aquam inferius suo amplexu retinet, ut & aqua aërem, & aër ignem, & ignis naturam ætheream: Atque ita spiritus illi irradiati, qui pro libertate suorum fratrum videbantur descendere, vinculis istiusmodi Elementaribus à suo motu ad sursum impediuntur, cogunturque in aëre pendere, ubi loco ascensionis eorum ad cœlum in granorum multitudinem augentur. Atque ego propriâ meâ experientiâ, videlicet in Chymia Elementorum seu partium Tritici separatione notavi, fœminam in Tritico, quæ virtute Magnetica influentias cœlestes sibi similes attrahit, esse quoddam sal tenerum, & volatile ex depurata seu aërea terrestri substantia, sed admodùm in igne cœlesti dives & scaturiens: Atque ideò volatile unione utriusque extremi redditur: Ita, ut sit ista fœmina illa, quæ allicit & deorsum trahit Magneticè radios de desuper, eosque ad naturam suam multiplicandam retinet: Haud aliter, quàm auceps ave captivâ ad alias aves ejusdem speciei in retia sua alliciendas utitur. At verò pro natura minerali fœminea, quatenus corpus ejus est magis solidum & compactum & nõ facile corruptibile, illa per eam ipsam rationem, nimirum per attractivã salis sui stiptici virtutem, essentiam radiorum ferri, tanquam à stella suæ naturæ ad consolandos & redimendos suos spiritus ad se allicit, & consequenter mediantibus suis spiritibus corpus masculinum ad se assugit & attrahit: Quoniam unum ab alio non potest congruè dividi; & quando ipsa illam attraxerit, eam firmiter retiner, partim consolationis & corroborationis causa, partimque ad multiplicandam suam essentiã. Atque ideò Philosophi illi decipiuntur, qui Magnetem more occulto formalibus ferri spiritibus nutriri negant, ajuntque, quòd, quamvis ipsius virtus esset per ejus in limatura ferri immersionem seu sepulturam aucta: Tamen, quoniam Magnetẽ nec mensura augmentatum invenerunt, nec ferrum suo pondere diminutum, concludunt, eum non nutriri. Sed ipsos scire oporteret, formales in aëre radios non plus ponderis ei addere. quàm lumen candelæ aut vitro, aut aquæ, quæ illuminat, & tamen formaliter nutritur, & essentia formali multiplicatur, tametsi non substantia materiali aut quantitate. Denique, ut externum frigus, facit calidum in aëre formali se ipsum contrahere, & à circumferentia centrum versus retrogredi ad evitandos insultus sui adversarij: Ita etiam externum frigus eum coarctat in spatium magis strictum, mediante reverberatione Antiperistatica & contractione facta à penetratione frigoris Borealis: Sed in Magnete Spiritus est Saturninus, & haud aliter fugendo suũ simile introducit per assistentiam etiã corporis Saturnini, siccitate naturæ Martialis animatus: Quæ natura etiam Septentrioni à quibusdam ascribitur, sed præterea affectat suum simile in ferro: Atque ideò per affectionem & appetitum Sympatheticum eò magis ad opus attractionis animatur: Atque præter ista omnia appareret, esse etiam facultatem attractivam in corpore ferri, quæ trahit ad se spiritus Magnetis: Haud aliter, quàm masculus seu Mars in sua natura appetit venerem: Sed, quoniam fœmina ratione suæ frigiditatis maximè affectat & cõcupiscit societatem masculi, radij spirituales suæ attractionis majori fervore & desiderio appetunt, & per consequens magis attrahunt & alliciunt ad se masculum, qui est calidior & perfectioris naturæ: Verùm hoc optimè observatur in dispositione ferri, quod ego existimo pro mare: Nam, quamvis ipse per se sine Magnetis assistentia, polos suos naturali inclinatione ad polos mundi convertit, tamen observamus, hoc fieri magis lentè, tardè & minori cum appetitu & consequenter affectione magis formali, quàm materiali.

Colligo ergo ex ijs, quæ sunt anteà dicta, duo similia, quæ sunt de natura Æquinoctiali & Zonæ temperatæ se in vicem per amissionem Sympatheticam radiorum afficere & amplecti, à centro usque ad circumferentiam: Atque talis est illarum creaturarum amor, quæ per proprietatẽ emanationis positivæ vivunt, uti sunt animalia calidæ dispositionis, sive sint sicca aut humida, atque ideò non unum sensibiliter trahunt spiritum ad aliud, sed operantur per unionem, quæ facta est à conjunctione sive concurrentia luminum post radiorum eorum formalium emissionem. Atque hujusmodi relationem habent ad proprietatem spiritus illius, qui emittitur à ventis Orientalibus vel meridionalibus, quorum naturæ est dilatare à centro, atque ideò nõ contrahere à circumferentia. E contra duæ naturæ similes, quæ proprietatem polorum & Zonaum frigidarum amplectuntur, se invicem amant & amplectuntur, per modum contractionis, nimirũ attrahendo & fugendo unius & alterius naturã à circumferentia utriusque ad corũ centrum: Quemadmodum videmus in Magnete uno per medium diviso, ejus pars unica attrahet & assuget aliam ad se, & miro conamine tendunt ambæ, ut invicem in loco æquinoctialis

alis mutuò conjungantur: Haud etiam aliter fit illa attractio, quæ facta est inter Magnetem & ferrum, quæ ambo sunt creaturæ Saturno & Virgini & stellæ polari subjectæ. Ab istis physicis & astronomicis nostris assertionibus non multùm videtur contemplatio Chymica variare: Nam si in tali speculatione naturam Magnetis respiciamus, inveniemus quidem, non oriri à naturali, sed potius monstroso partu seu generatione; ut pote, qui ad instar muli ab inæqualibus & dissimilibus notatur parentibus procedere. Nam, si consideremus modũ compositionis ipsius, percipiemus, ejus matrem seu massam corpoream passivam esse communem, petrosum ac terrestrem Mercurium, & ejus patrem, seu formam activam esse spiritum metallicum, sive sulphureum & Martialem: Ac denique inveniemus, eorum mixturã effici in hunc modum. Liquor Mercurialis de lapidea terrestri seu Saturnina natura existens adhuc in prima sua materia & quasi concha, existensque propinquus vicinus Mercurio Martis, Nam hæ duæ naturæ inveniuntur communiter in eadem terræ vena propinquæ sive in societate mutuò ad invicem: ob istam rationem sibi transmutationem acquisivit levem. Atque ita apparent hæ duæ naturæ arcta quadam contiguitate & ferè continuitate simul conjungi; adeò, ut compositio ista mediam obtineat inter metalli martialis & lapidis Saturni naturã, ac haud inepte Mercurius imperfectò modo transmutatus, seu quæ Mercurij Hermophroditici Saturnini species, in quam, cum spiritus Sulphurei Martialis, tanquam forma metallica ingreditur, recipit illos spiritus martiales, eosque quasi propria eorum passiva Mater in suo ventre conservat: Atque hac ratione massa illa in corpus petrosum coagulatur. Iam verò, cùm quilibet spiritus, & consequenter iste lapidis magnetici per illud, quod est ei in natura similius, avidè ut nutriatur desideret: Quæ quidem ejus nutritio seu spiritus nutriens præcipuè in farre invenitur. Accidit ob hanc causã, spiritum internum Martialem in Magnete attrahere ferrum ad se, & occulto quodammodo videri nutrimentum ex eo ad se fugere & allicere. Concipio ergo, salem fixũ, in ferro seu Magnete esse partim ex calida & sicca Martiali natura atque ideò conditione ignea, terrea; & partim ex frigida & sicca stiptica atque Saturnina facultate, quam etiam à terra recipit. Adeò, ut duo concurrant testimonia mirabilis attractionis in Magnete. Et, quoniam Venus dicta est amica fœmininæ & Sodalis Marti, ipsa Magneti desiderium, concupiscibilem fontẽ attractivæ Magnetis facultati impertit, & hac de causa refrænat & deprimit proprietatem irascibilem & edibilem in Marte suis amplexibus fœmininis. Verùm, si seriò internam ferri aut Chalybis naturam introspiciamus, hoc totum per effectũ eliciemus: Nam ego familiari quodam menstruo corpus ferreum seu Chalybem in speciem Cupperosæ seu vitrioli reduxi, quæ quidem mineralis Salis natura est tam familiaris cupro, quàm ferro: Nam Vitriolũ per eandem è cupro extrahitur rationem. Iam verò in Vitriolo & Copperosa, dispositionem seu naturam calidam & ardentem cum Sulphure quodam terreo & attractivo inveniemus, quod haud aliter fugit & attrahit ad se, quàm Bolus Armena aut terra sigillata humiditatẽ soleat. Vnde liquet, tam Martialẽ & Saturninam, quàm veneream conditionem in sale Magnetico & ferrugineo concurrere. Præterea reperiemus, influxus Martis se ipsos naturaliter cum ventis Borealibus miscere, & per optimé cum natura terræ convenire. Quoniam in Elementorum circulatione terra respectu suæ siccitatis consentit & Sympathizat cũ igne. Porro etiam Ptolemæus ventis illis Aquilonaribus, qui sunt violenti, influentias Martis ascribit. Prætercà spiritũ Martialẽ esse causãc virtutis rttractivæ in quolibet sale orrosivo atque etiã hebra & gũmi ci subjecto, apparet manifestè ex Euphorbio, Scammonea, Laureola Flammula, & calidis corrosivis venenis: Nam istiusmodi simplicia (ut nos docet Hermes) potestati & cõstellationi Martis subduntur. Hinc ergo testatur experientia, vitriolũ esse frigidum, acidum & stipticum in suo externo, & tamẽ calidum, caustícum & corrosivũ in suo interno: Atque iterũ Fertũ, quod nuncupatur Mars, quatenus Martis influẽtijs sit subjectũ, est vitriolũ seu Copperosa in suo interno, ut etiã cuprũ in fluentijs veneris obdire dignoscitur, unde & Venus dicitatur,

CAPVT. III.

De hominis in regno animali excellentia & de admirabili Magnetis natura in regno minerali.

POssũ audacter, idque haud inepte Magnetis conditionẽ, cũ illa hominis comparare, cõsiderando admirabiles virtutes & dignitatẽ unius in regno animali & miraculosas atque mysticas proprietates & operationes alterius in regno minerali. Ad hominem verò quod attinet, de ipso dignitatis ipsius causa in primo loco efficiam mentionem: Thesaurus tam supereminens & admirabilis in ipso recõditur, ut sapientes summam hujus mundi sapiẽtiam in vera sui ipsius cognitione, hoc est mysterij illius secreti, quod in homine deliteſcit revelatione consistere existimaverint: Nam homo dicitur esse centrum cujuslibet creaturæ & centrum atque miraculũ mundi, in se comprehendens omniũ creaturarũ tam cœlestiũ, quam terrestrium, & consequenter ipsius Magnetis proprietates, unde & Microcosmus vocatur: dicitur etiam Tem-

plum Dei, Membrum Christi & habitaculum Spiritus Sancti (uti ab Apostolo docemur) nec quidem imaginandum est, Deum voluisse sibi mansionem in loco indigno eligere: Atque ideò in hujus subjecti consideratione & in arcanæ reique tanti momenti inquisitione, opus habemus, ut cum exactissima nostra discretione & Iudicio à visibilibus in homine procedamus ad ejus invisibilia, hoc est, ut acutiori ingenij nostri acie per viam demonstrationis à posteriori nimirum ab externo homine, in secretæ, mysticæ ac internæ ipsius existentiæ viscera penetremus. Quare procedimus in hunc modum. Cum homo haud injuriâ ab Hermete traditur esse filius mundi, uti ipsum mundum Dei filium dicitavit, quatenus ad imaginem Archetypi fabricatur: Atque ob istam rationem Microcosmus dicitur; operæ pretium erit intelligere, quòd ipse etiam more Macrocosmi, in cœlum & terram dividatur & perconsequens in se haud aliter comprehendat suos circulos, cœlos, polos & stellas in proportione ei competenti, quàm Macrocosmus: Atque etiam, ut invenimus, icones spirituales cœlorum cum suis circulis & polis etiam in terra Macrocosmi & omni particula ejus delineantur: Quemadmodum in Magnete & ferro videre licet. Ita quidem interni hominis Character in homine externo delineatur & exprimitur: Haud aliter, quàm de figura ensis & vaginæ proportione, aut nuclei effigie ex cortice dijudicare possumus. Ad polorum mundanorum inventionem in homine quod spectat, haud minima inter Philosophos de ea facto est controversia, cùm Plato, Pythagoras atque Aristoteles manum hominis dextram plagæ orientali ad aptaverint, ac eorum ratio est, quoniam diutnus cœlorum motus, qui procedit à primo mobili, efficitur ab ortu in occasum, atque ideo per hanc eorum rationem, ejus plaga occidentalis debet sinistro correspondere, atque in disponendo hominem secundum istam positionem, ejus facies debet respicere septentrionem, atque posteriora Meridiem. Et Empedocles videtur huic opinioni se opponere, asseverando, Solstitium æstivale sive Tropicum Cancri, parti mundi dextræ assignari: & tunc sequetur, quod statio solis hyemalis sive Tropicus Capricorni sit sinistræ dicata, ac juxta istam directionem, facies humana debet respicere occidentem: At animi mei sententia est hisce eorum opinionibus penitus oppositа: Quoniam tam rationibus Theologicis, quàm ex sacris literis collectis sum persuasus, faciem humanam debere naturali positione solis ortui sive plagæ orientali ad aptari, & tunc ejus posteriora respicient occasum & consequenter manus ejus sinistra indicabit Polum septentrionalem, ut & dextra Meridionalem. Probatur ista positio inprimis testimonio sacro: Nam Patriarchæ, Prophetæ & Apostoli in majori sua devotione facies suas ad orientem convertebant. Quod quidem erat argumentum, illam mundi plagã arteriori hominis parti esse dicatam divinitus. Porro etiam in Evangelista legimus, quòd fulgur egredietur ab Oriente & in Occidentem transibit. Et alibi dicitur: Metimini quamque ad plagam Orientalem & ad plagam Australem & ad plagam Occidentalẽ & ad plagam Septentrionalem &c. Ac si dixisset: Metimini agros ante vos & ad dextam vestrã & post terga vestra & ad sinistram. Et apud Iobum invenimus: Si ad Orientem ero non apparet, si ad Occidentem, non intelligam eum, si ad sinistram, quid agam? Non apprehendam eum, si mevertam ad dextram, non videbo ipsum: Vel, ut Fr. Vatablus & Pagninus inter pretantur: Si me vertam ad Aquilonem, dum operatur ipse, & non videbo, abscondet se in Meridie, nec videbo. At Tremellius sic interpretatur: En, si antrorsum iuero, non aderit, si verò retrorsum, non animadvertam eum: Cùm ageret ipse ad sinistram, non tamen videbo: Operiet dexteram plagam, nec tamen respiciam &c. Ita, ut quòd Pagninus facit orientem Mundi angulum, Tremellius vocat faciem seu partem anteriorem mundi &c. Vnde sine ulteriori, ut opinor, controversia apparebit, directam hominis dispositionem secundum mundi majoris situationem esse, ut facies ejus adaptetur ad orientalem terræ angulum: Atque ob istam rationem, oculi ejus bini atque etiam aliarum creaturarum in suæ fabricæ frontispicio disponantur, ut post tenebras nocturnas longas, solem Orientalem sua cum delectatione & desiderio respiciant, ut in præsentia ejusdem creatorem opiparè in ea habitantem adorarent, in cujus aureò aspectu est noctis tenebrosæ dominium expellere, & consequenter ipsum quasi solis æterni ac invisibilis typum salutare, qui etiam (ut nos scripturæ docent) ultimo die ab oriente apparebit ad renovandum atque purificandum mundum corruptibilem igne: Sequitur ergo, partem hominis dextram debere respicere Meridiem, ut ejus portio læva spectat ad septentrionem. Quod etiam totum eò certiùs apparet, quò magis rationi Philosophicæ conveniunt: Nam hepar positionem suam in dextra corporis regione habens, communiter cum natura Meridiana si sympathizare videtur, quatenus sua virtute sanguinem aëreum & calidum generat, eumque per alveos venales undique in Microcosmi terram emittit, ut mediante eo vegetet: Haud aliter, quàm ventus Meridionalis tepidos & madidos producit imbres ad terram macrocosmicam irrigandam, ut hinc inde plantæ & herbæ, quæ super terram crescunt, vegetentur, augeantur & multiplicentur abundé: Sinistra verò corporis humani portio haud inepté referri

Matth. 1.

Numeri.

Iob. 23.

referri quàm aptissimè potest, ad plagam mundi Septentrionalem seu polum Arcticum. Nam, quemadmodum in illo angulo aër, aqua & terra est admodum frigidà & sicca & ad congelandum apta, atque etiam conditionis stipticæ & contractivæ seu restrictivæ, ita etiam invenimus, quòd lien, cujus positio est in sinistra corporis parte sit receptaculum Melancholiæ sive humorum frigidorum, spissorum, acidorum atque terrenorum: Similiter, ut flatus Boreales macrocosmi solent plærunque pulchertimum lumen Solare obfuscare atque abscondere, atque hac ratione tenebras ac obscuritatem Hæmisphærio nostro procurare, animadvertitur: Ita etiam in mundo minori, Ventositates & fumi à liene expirati, observantur cordis ventriculos contrahere, & loco passionum bonarum, lucidarum, & piarum, cujusmodi sunt lætitia & gaudium, amor, charitas, spes &c. Producere solent passiones seu perturbationes pravas & obscuras, quales sunt tristitia, metus, desperatio & hujusmodi alia, faciuntque, ut cor affectus syncopeticos patiatur. Sic ergo eligere fas est polos duos in microcosmo oppositos, cum illis in macrocosmo ad amussim in effectu concurrere, numerando polum Meridionalem ab Æquinoctiali. Nam si dividamus Magnetem in medio, inter duos suos polos, pars illa æquinoctialis, quæ est polo Arctico proxima, inserviet & manebit in loco poli Meridionalis: Atque iterum, si illa medietas dividatur in loco Tropici Cancri, divisio illa circa Tropicum erit polus Meridionalis. Sed, ut magis intrinsecus adhuc in mundum minorem introspiciamus, inveniemus profectò, ipsum super spiritualem illum lapidem Angularem super ædificari, à quo mundus major erat factus, atque terra ejusdem sustentata: & consequenter in isto lapide Spirituali mundus & quælibet ejusdem particula erat idealiter delineata ab origine, priusquam ad imaginem terræ, quæ dicitur spiritus sapientiæ esse plena, fuisset formata. Hinc ergo dictitatur homo seu mundus minor, Templum Dei & corpus ac membra Christi, ac habitaculum Spiritus Sancti, uti anteà est relatum. Ob hanc ergo causam credendum est, secretos esse polos, circulos atque stellas tam Spirituales, quàm corporales compositioni humanæ assignatos: Haud aliter, quàm ipsos exactè & sine omni dubitationis alea in terra & omni portione ejusdem magnetica invenimus: Ita, ut in homine sunt proprietates Ventorum Macrocosmi, & consequenter in eo passiones procreari possunt, & ex eo produci, quæ sunt tam Antipatheticæ, quàm Sympatheticæ.

Iam verò si loco secundo more debito & cum diligentia Magnetis naturam consideremus, haud minima in ipsius proprietatum observatione rapiemur admiratione: Imò verò inveniemus, captum atque rationem humanam fere excedere, quòd lapis mineralis, utcunque sæcidus, immobilis & stupidus tales nihilominus Spiritus possideret, qui insensibiliter occultas suas facultates seu virtutes per & trans saxa durissima, ligna firmissima & solidissima metalla, haud in conceptu humano transpirabilia; Imò ipsum vitrum impenetrabile quasi, atque alias hujusmodi substantias compactas, quæ nulla sensibilia in se habent spiracula, seu porositates, penetrare valet, & quòd possit in se ipsum atque in ferrum operari, & quòd polum Arcticum in distantia tam remota, ut remotior respectu nostri excogitari Vix possit, nimirum à terra usque ad cœlum quippe octavum, ubi est stella polaris, quæ longitudo est quasi incommensurabilis, tam constanter intueri queat. Audacter pronuntiare audeo, universam scholam Peripateticorum, quæ cujuslibet rei rationem reddere, ac omnia, quæ ad occultissimorum & intimatissimorum secretorum naturas spectant, scire profitetur, se ipsam admodum perturbatam & in imaginationis phantasticæ ac Chimeriæ labyrintho involutam atque confusam inveniet, priusquam negotium hoc nebulosum discutere, aut ad ænigmatis tam profundi viscera penetrare, hoc est, priusquam ad optatum hujusce inquisitionis metam pertingere potuerit: Vt pote, quæ digito verioris & Divinioris Philosophiæ, quàm est illa Ethnica judicatur, cujus totius actionis & virtutis origo & principium formale est lapis ille angularis Catholicus Christus Iesus, in quo est divinitatis plenitudo, uti nos docet Apostolus. Nonne est res admiratione digna, spiritum istum Magneticum transire & penetrare solere, haud aliter, quàm ille cœlestis humanus, ubi aëri denegatur ingressus? Nonne est Argumentum evidens, esse de progenie cœlesti, cùm effectus tales, etiam non obstantibus corporibus solidis interpositis inter ipsum & ferrum, producuntur? Quare non ita ovanter jactitet & glorietur Plutarchus, uti in loco illo fecit, ubi nodum illum intricatum Gordonium solvere tentat, reputando illud pro dedecore & defectu in Philosophis doctis, qui in istiusmodi mysterio versati, in ejusdem profunditatem non sunt demersi, cùm ille ipse tandem egregium sum in ista stricta sua inquisitione denotet errorem: Quippe cujus conclusio est, insensibiles emanationes seu emissiones aut effluxiones, quæ egrediuntur ex Magnete & producunt attractivos tales effectus, sint grossæ & flatuosæ. At si judicio paulò maturiori negotium istud considerasset, tunc quidem perciperet, aërem subtilissimum atque admodum rarum viam ullam aut porositatem non posse invenire per ligna plana seu tabulas ligneas & lapides politos, aut laminas argenteas aut aureas; ac multò minus spiritibus grossis & flatuo-

sis conceduntur spiracula, per quæ transversim corpora talia compacta penetrare aut ingredi queant. Sed, ut ad directam discursus hujus nostri semitam revetar.

CAPVT. IV.

De dispositione duplici attractiva in homine, quarum unica cum natura Magnetis convenit, altera verò ab ipsa differt, in hoc etiam capite, ratio cur viri mortui cadaver, Magnetica sive attractiva virtute induatur, lucidé explicatur.

VT in dimensione Magnetis esse multiplices attrahendi species sive modos observatur (nam ejus attractiva facultas est aliter affecta circa ejus polos, nimirum perpendicularis; quàm in ejus æquatore: Quippe, quæ ferrum more prono & prostrato ad se allicit) ita etiam magna reperitur differentia inter effectus virtutis illius attractivæ, quæ in homine reperitur. Nam lien habens naturam & proprietatem Borealis Poli, suum simile, nimirum succos Melancholicos & terrestres virtute quasi Saturnina directé attrahit: At cista fellis, suam facultatem attrahendi à proprietate Martiali Sulphurea seu terrestreirate ignea accipir; atque hepar dilatatione meridionali sive æquinoctiali sanguinem, quem priùs rubicundum fecit, mediantibus canalibus venosis per universam terram Microcosmicam dispergit atque transfundit. Sed in primo loco per porosa organa chilosam cibi substantiam ab intestinis attrahit, quas omnes attrahendi & expandendi facultates nunquam exerceret, nisi caloris naturalis incitamentis ad illud opus esset animatum. Et, quam vis calor ille ex natura sua magis dilatando dissipat, quàm, ut attrahendo contrahat; tamen ille incitat & animat instrumenta quædam corporalia, quæ à natura ad tale opus perficiendum, nimirum ad fugendum & alliciendum sibi per contractionem, atque iterum ad se dilatandum per relaxationem ordinantur. Atque ob istam rationem Cor, Stomachus, intestina, venæ &c. Formatæ & compactæ sunt ex fibris directis, attractionis gratia, & transversis, retentionis causa, & obliquis propter expulsionem. Atque iterum aëris per asperam arteriam & nares attractio, haud quivit perfici sine ope & auxilio pulmonum, qui minimé sine caloris dilatantis & vivificantis animatione atque incitatione operari aut movere potuerunt. Ita, ut in hoc casu, omnis externi aëris attractio, quæ fit per poros in partes, carnosas, & per pulmones in Lævum cordis Thalamum, procedit immediatè à dilatativa caloris naturalis actione, & perficitur mediantibus instrumentis, idque præcipué per pulmones & cor: Haud aliter, quàm videmus, Syringam seu fistulam, si ei ejus organum interius extrahatur, parum aërem vel aquam ad se trahere: At si illud interius detrudatur, aërem vel aquam illam attractione introductam iterum emittere seu expellere: & tamen ambæ hæ naturæ oppositæ in unico instrumento procedunt ab unico Spiritu humano dilatato, qui operatur. Debemus igitur intelligere (uti est antea dictum) hominem componi ex materia, quæ est ejus patiens, & forma, quæ est ejus agens: Atque ut materia prius procedebat ex subjecto aqueo chaos tenebrosi abyssо egrediente, atque ideò est per se Boreali & privativæ dispositioni, nimirum quieti, frigori, mortificationi & immobilitati proclivis. Ita quidem est ista materia, quæ facit contractionem tam in corde & per consequens in pulsuum motu, quàm in alijs corporis partibus, hoc est, naturalis materiæ in homine inclinatio est contrahere Spiritus à circumferentia ad centrum, cùm é diverso forma, quæ à luce derivatur versatur in dilatatione atque ideo in animatione & exagitatione materiæ, quæ sine istiusmodi agente à Borcali matris suæ frigore stupida & quasi mortua remaneret. Atque ista est ratio Systoles & Diastoles in motu cordis, qui provenit ab illa actione & passione sive operatione & resistentia, quæ facta est inter lucem, calorem seu formam æquinoctialem & materiam tenebrosam frigidam aut polarem, in compositione humana. Vnde evidens est, quòd, ut mundus major dictus est ex lite & amicitia conflari, ita etiam mundus minor haud injuriâ ex contrarijs componi traditur, videlicet ex lucis sobole & illa tenebrarum. Iam verò in hoc videtur facultas hominis vivi attractiva, ab illa Magnetis, in eo discrepare: Quoniam Magnes non apparet sensui humano adeò vivus & & agilis ac homo, sed quodammodò videtur mortuus, quatenus à vena sua ferruginosa dividitur. Atque iterum ipse non evidenti dilatatione à calore vivifico procedente, mediante substantiâ organicâ, sed virtute contractiva partim terrestri & partim cētrali, quæ prius dilatatione suos emisit radios, ac tū demum ad se alliciendo contraxit, atque ob istam rationē major ipsius attrahendi potestas cōsistit in polo: Attractio verò hominis viventis procedit à caloris vivifici dilatatione à centro versus circumferentiā, qui efficit, ut instrumenta materialia tam ad attractionem, quàm retentionē & expulsionē, officia sua præstent, & quandoque operatur præcipué ad contractionem, hoc est, movere solet à circumferentia versus centrum, videlicet cùm voluntate divina privativæ emanationis

nis radios recipiat: Quemadmodū, quando cor contrahitur, unde fit, ut passiones pravæ, ut sunt tristitia, melancholia, invidia, desperatio, timor &c. Oriantur, de quibus anteà est relatum. Quandoque etiam calor nativus reflectit ad sensuum solarium requietem radios suos interné, uti in actione somni, qui est mortis & tenebrarum imago videre licet: At verò è regione se ipsum à centro ad circumferentiam dilatat, quando vult, ut Spiritus animales vigilent & operentur.

Hisce ergo imaginari possumus, attractivam Magnetis facultatem esse primùm ab extrinsecus ad circumferentiam, & ab illa ad centrum, ita tamen, ut res corporea Spiritus desiderati, retineatur à Spiritu retinente & à centro contrahente in circumferentia, uti in ferro à Magnete, & palca à Carabe attracta videre fas est. Ista est enim ratio sui similis in ferro & chalybe sibi attrahendi ratio, quæ substantia ferrea respectu suæ à Mercurio petroso heterogeneo purificationis, naturæque jam purificatæ homogeneitatis homini vivo comparatur, qui spiritibus vivis se dilatantibus animatur. Velim enim, ut quilibet intelligat, non esse ullam in terra creaturam, quæ non habeat suam Astrologicam seu stellarem influentiam; quæ (quamvis ipsam oculariter discernere nesciamus) emicat, suumque ad suum in specie simile non facit aspectum, videlicet ad tales creaturas, quæ sunt conditionis stellarum, quibus influentiæ eorū distillant. Verùm si duæ creaturæ fuerint naturâ mutuò dissonantes & contrariæ, tunc earum una more Antipathetico divertet & reflectet radios suos ab alio. Ferrum ergo instar masculi vivificantis Magneti occurens, ei sui amoris radios facillimè emittit, qui eos tam avidé sibi virtute spirituum suorum internorum Martialium etiam ad suum centrum attrahit atque introducit: Atque attractione radiorum ferri formalium secum etiam vehit & ducit corpus ferri, quod possidet stellares sive Martiales influentias. Pari etiam respectu, videlicet appetitus concupiscibilis Magnes in virtute fortis, loco fœminæ ad debiliorem, videlicet, in quo non est tantus appetitus, haberi potest. Haud etiam aliter res sese habet cum homine vivo ac cadavere alterius: Nam, tametsi multa corpora videntur esse mortua, tamen Magus Naturalis intelligit, in ejus carne & ossibus atque etiam sanguine admirabiles delitescere spiritus, qui miracula haud minora; imò verò majora, quàm illa Magnetis præstare queant. Atque ideò velim, ut quilibet Mysterijs Dei in natura creaturæ perversus & suâ imaginatione nimium occæcatus, melius ab experientia instruatur, priusquam tantâ audaciâ & sine hæsitatione asseveret, nullos membris hominis amputatis, nec cadaveri hominis mortui inesse spiritus, imò quidem ipsum Diabolum nihil spirituum ipsis conferre posse autumant. Nam moneo ego judices tales audaces atque temerarios, ut sciant, quòd, ut Magnes (utcunque oculis massa apparet mortua) observatur sibi centraliter appetitu vivo fugere & allectare spiritus radiosos cū corpore alterius Magnetis & totus Magnes & quælibet ejus portio à toto divisa, hoc idē juxta suam proportionem præstabit: ita etiam probare & confirmare possum demonstratione oculari, quòd debita applicatione carnis ex aliquo cadaveris membro desumptæ, ad carnē hominis vivi per nonnullas horas, homo, cui applicatur debilis & invalidus reddetur: Et tamen paulò post Mummiæ illius Magneticæ corporalis remotionem, ille vires suas pristinas recuperabit: Verùm, ne relatio ista mea videretur adversarijs figmentum, quatenus allegare possunt, rerum istiusmodi applicationem posse magis in hominis viventis imaginatione quam corpore operari, & quòd sine vero fundamento se esse debilem sibi persuadeat, & quòd nullus produci queat affectus externus, quæ hoc probare possit, Respondeo ego, tantæ esse istam applicationem efficaciæ, ut mummiam Spiritualim in forma visibili extrahere observetur: Nam ratione frigoris exterioris membri, mummia in superficie corporis Magnetici sic extracta condensabitur, haud aliter, quàm aër in nubem aut nubes in nivem: Ita, ut colligi possit & in speciem quandam Panaceæ reduci, modò si persona, ex qua extrahitur, sit sanæ complexionis & in suo corpore salubris. è regione verò pro medicamento tā corruptibili & Antipatherico haberi debet, ubi corpus morbo aliquo venenoso seu cōtagioso, nimirum morbo gallico, lepra, & similibus inficitur, ut infra clarius explicabitur. Iam verò ratio istius actus seu operationis in parte hominis mortui Magnetica est, quòd, ut cùm corpus esset vivum à radijs lucidis activis animabatur, & per omnes ipsius lucis vivificæ proprietates gaudebat: Nam erat activū, mobile, dilatativū ac denique æquinoctialis seu Australis cōditionis: Ita, ut sanguis extincto calore naturali proprietatē tenebrarū induit: Nam mortificatur à frigore, cōgelatur, potentialis, hoc est, immobilis & cōtractivus redditur ejus actus, ac (ut verbo dicā) de natura Zonæ rigidæ & poli frigidi, adeò, ut, ubi anteà, dum in vita esset, radios suos à centro ad circumferentiam emitteret, ac benedictiobus emanationis Dei vivificantis & positivæ frueretur, jam in apparitione mortis conditionem & emanationem proprietatis Divinæ contractivam, privativam & mortificantē induit. Et tamen nihilominus nolim, ut sapientes cogitent, quòd, quoniam corpus vivum in cadaver mortuum convertatur, ideò sit Spirituum vitalium omnino vacuum, cùm à scripturis sacris confirmatum habent;

Sap. 12. 1. incorruptibilem Dei Spiritum in esse omnibus, & per consequens tam in mortuis, quàm in vivis: Nam spiritus iste incorruptibilis, secundum ejus in quatuor ventis proprietatem, est aliquando in motu à centro rei, cui inest, ad circumferentiam: Nam istiusmodi sua activitate creaturam vivificat, eamque facultate sua æquinoctiali seu australi agere, & vivere facit: Sic dicimur in Deo vivere, movere & esse: Movetur (inquam) in ista sua proprietate à centro Solis cœlestis ad omnium creaturarum inferiorum animationem, nimirum evocando spiritus earum, incorruptibiles, ad centrum ab hyemali frigore repercussos, à centro ad circumferentiam ipsarum: Quemadmodùm in vegetabilibus videre licet, quæ tempore hyemali apparent mortua: Quoniam spiritus vitæ relinquunt circumferentiam eorum, & in centro, quasi loco à frigoris insultibus remotiori se abscondunt, ibique acquiescere videntur. At vero quando spiritus iste percipit & sentit fontis lucidi appropinquationem, ut pote á cujus radijs solamen & auxilium recipit, incipit paulatim á centrali suo palatio emergere & plantæ circumferentiam jam visitare gestit, atque radijs cœlestibus, qui in eorum auxilium de desuper emittuntur, unitas, tenebrosam privationē & frigora congelativa è suo tabernaculo summa ope expellere tentat, ut ad vegetationis & multiplicationis actum liberiùs procedat, quemadmodum in tritico in terra sepulto seu seminato liquet: Haud aliter, dico, natura Magnetis Martialis, spiritu Saturnino originaliter in suum centrum contracto, exagitatur atque incitatur, & cum pari gaudio formales ferri radios ad se fugit, à cujus spiritu Sulphureo Martiali, ipsi originaliter scaturiebant: Atque tali etiam modo spiritus Cadaveris, mediante frigore mortificante, à circumferentia in centrum coactus, atque ibidem in quiete & sine actione remanens, reddit corpus & quamlibet ejusdem partem fixam & immobilem. At verò cùm aspectum seu applicationem ad vivæ suæ speciei circumferentiam faciat, tunc equidem à suo centro circumferentiam usque (ac si in centro esset quasi fame oppressus) exurgit, suumque simile in homine vivo (quod se ipsum dilatat & per poros more radioso ad suppetias ipsi afferendas ejaculatur) appetitu avido ad se vectum, Mummiâ Spirituali versus centrum attrahit ut vitâ etiam, qua vivebat anteà, induatur, atque ut illius præsentiâ recreetur. Sed nummia unctuosa spiritualis viri mortui, spiritibus lucidis repleta & super superficiem hominis vivi à frigore inspissata subitò congelatur; & pro usu privato reservari potest. At verò hoc meliùs confirmari nequit, quám per exemplum virtutis contractivæ, restrictivæ aut congelativæ excrescentiæ fumosæ salis, in ossibus mortuorum contenti: Nam applicatione illius, nimirū Vzneæ seu moschi crescentis, super cranium mortuorum, ad sanguinis eruptionem in homine vivente, sanguis in homine vivo calidus, affectione quasi Antipathetica motus retrogreditur, & ei denègatur exitus á congelante & astringente excrescentiæ hujusmodi Borealiter affectæ operatione. Sed omittēdo pro aliquo tempore istiusmodi cōclusiones, quæ ad Magnetem hominis mortui Mummialem, ejusque virtutes spectant, quid dicetis, si sit Microcosmicus Magnes, qui ex homine vivo sine aliquo vitæ aut sui corporis detrimento colligi queat: Cujus virtutes tam respectu generationis & partus sui naturalis ac monstrosi, ut pote á parentibus dissimilibus derivatus, atque etiam ex substantis specie differentibus ad instar muli, videlicet ex Mercurio terreo & Cholericis Sulphuris spiritibus humanis compactus, quám etiam ratione suæ attractionis spiritualis Mummiæ, ex homine vivente, atque etiam (quod est magis adhuc admirabile) transplantationis ipsius, tam in animalibus, quám vegetabilibus speciebus modo alieno & admiratione digno tam Sympatheticè, quám Antipatheticé operatur. Scio profectò, ista nova statim proactibus Diabolicis vijsque illicitis ab ijs reputatum iri, qui ad judicium injustum & iniquum sunt proclives, quatenus ista sphæram capacitatis superant & tamē pro certo intelligo, ea esse vera, atque á nonnullis experta non sine admiratione multorum; imò quidem istum Magnetē Microcosmicum cum usu ipsius haud ignoramus, cujus actus actuumque effectus, quando á sapientibus comprobabuntur, tam naturales apparebunt, quám eorum effectus ab ipsis bene ponderati, videbuntur prima fronte admirabiles & capacitati humanæ alieni ac admodùm abstrusi. Verùm enim verò, si ea, quæ á me sunt anteá recitata intelligantur rectè, serioque sint ponderata, causa eorum non apparebit admodum abstrusa, ut limites naturæ excedat. De istiusmodi Magnetis Microcosmici actione tam sympathetica, quàm Antipathetica, mihi Deo concedente plura in sequentibus videlicet libro hujusce ultimo discurrere proposui.

CAPVT.

CAPVT. V.

In hoc capite explicatur causa secreta, quare; & modus, quomodò Magnes tam Microtosmicus quàm Macrocosmicus ad instantiam; imò quidem dimensionem in cognitam seu intervallum indeterminatum aperari soleat.

FOsterus in libro quodam suo, cui titulus Hoplocrisma spongus, Philosophiæ suæ tenuitatem satis superque in eo expressit, ubi dicit, quòd, quoniam Solis & stellarum lumina nubes obscuras, corporaque opaca penetrare nequeant, ideò formalis hominis essentia non valet in suo motu seu cursu ad metam aliquam distantem movere sine impedimēto aut oppositione montium, castellorum, nemorum & similium. Sed, si paulò profundius se in Philosophiæ veræ visceribus immersisset, tunc procul dubio agnosceret, sperma æthereum, seu influentias stellares esse in conditione multò subtiliores, quàm sunt lucis visibilis vehicula: Imò quidem sunt tenues & exactè spirituales & admodùm mobiles, ac tam penetrantes & vivæ, ut sint potentes, atque etiam soleant perpetuò sine aliquo manifesto obstaculo aut resistentia ad terræ viscera seu centrum penetrare, atque ibidem metalla omnium specierum secundum influentiæ conditionem generare. Atque istius rei testimonium ferunt omnes Philosophi tam antiqui, quàm recentiores. Subtilitatem ergo Spiritus hujusce Plotinus juxta mentem Platonis explicare videtur in verbis istis: Tanta est Ætheris tenuitas, ut omnia corpora penetret universi, tam supera quàm infera, & cum ipsis conjunctus aut implicitus majora minimè reddat, quia spiritus iste interior cuncta opera eorum mole minima nullum prorsus augmentum recipiente alit atque conservat. Hæc ille. Atque ratione puritatis ac subtilitatis naturæ istius cœlestis cœlum, à Philosophis & Poëtis mysticis terræ maritus seu sponsus vocatur, quam vestam vocarunt: Imò verò ipsæ cœli stellæ, in quarum serie Copernicani numerant terram, assimilantur uxoribus cœli, ut pote, quæ ab eo haudaliter extrahuntur, quàm ex latere Adæ Eva: Nam definiunt esse densiores partes suorum orbium, unde fit quòd pro cœli membris habeantur, nihil est tam tenue, subtile ac penetrans quàm est spiritus ille, à quo ipsi per condensationem derivantur. Hæc autem est ratio, quòd veri Alchymistæ tot de suo cœlo, quod & quintam essentiam vocant, admiranda narrent, inde arguendo, ratione puritatis ac subtilitatis ipsius res omnes penetrare posse. Et Philosophi dicunt, istam quintam essentiam esse naturam illam suam, quam definiunt esse vim quandam in rebus infinitam, omnia permeantem entia, cunctas res generantem easque augentem alentemque & ex similibus similia procreantem. Et certè, si cui quam realiter considerare placuerit, quæ à me sunt anteà allegata, recordabitur me dixisse, virtutes Angelicas ab emanatione archetypica effluere, esseque divinarum Idearum typos, atque etiam spiritum æthereum esse Angelicis influentijs repletum, quæ radicem suam essentialem à Deo & in Deo habuerunt: Ita, ut in rei veritate non sit Lux stellaris, quæ tam profundè penetret, aut tam universaliter operetur, sed æternus ille centralissimus spiritus, qui sua divina & haud resistibili essentia per omnia penetrat & permeat, tam in cœlo desuper, quàm in terra & aquis inferius. Atque totum hoc videtur à Philosophis Mysticis, (tametsi non nisi obscuré) confirmari, quando vocant Saturnum, qui Pater erat Iovis seu caput seu Cheter Catholicæ emanationis; patrē cœli & terræ, hinc inde arguentes, quòd in emissione spiritus sapientiæ creaverit & informarit cœlos, juxta illud Iobi: Cœlum ornasti Spiritu tuo. Et David: Verbo Domini firmati sunt cœli & spiritu ab ore ejus omnis virtus eorum. Et D. Petrus habet, cœli erant prius & terra ex aquis & per aquas existentes verbo Dei. Certum est ergo, totum actum essentialem in spiritu æthereo esse emanationis divinæ actum seu splendidum incorruptibilis Dei spiritum, ut verbis utar Salomonis. Atque ideò necessariò sequitur, Spiritum illum, qui meretur esse immediatum influentiæ talis minimè resistibilis & potentissimæ vehiculum, debere esse conformem ad ipsam naturam in puritate & subtilitate, quæ eum informavit: Qui à Salomone dicitur esse omni re mobilior & subtilior & attingere ubique propter suam munditiem & innovare omnia & implere orbem terrarum. Hoc ergo erat illud, quod coëgit nonnullos etiam ex Christianis Philosophis in sermonem istum irrumpere: Deus est natura, & natura, Deus. Quo intelligere videntur, naturam naturatam & radicaliter informantem, fuisse æternam illam emanationem, quæ fecit atque informavit naturam humidam mundi, qui ob istam rationem est dictus natura naturata, videlicet præsentia ipsius naturæ naturantis, sive Divini Spiritus Dei, qui ferebatur super aquas, ijsque igneum vigorem seu virtutem impertivit, quemadmodum partim testimonio literarum sacrarum, & partim D. Augustini asseveratione videre licet. Oportet ergo, ut nos debita harum

Iob. 1 sal. 2. Petri. 3. Sap. 12. 1. Sap. 7. Sap. 1.

rerum à nobis allegatarum consideratione habitâ, sciamus, quòd, si influentia completè à spiritu incorruptibili Domini animetur, tunc necesse est, ut proprietatibus naturæ illius spiritus Divini imbuatur, & consequenter debet esse omnium spirituum maximè subtilis, agilis, mobilis & penetrans: Atque in eo respectu magis erit potens ad omnia, quæcunque solida sine ullo impedimento aut resistentia penetranda, atque etiam ad omnia generanda, augmentanda & nutrienda magis accommodatus & paratior, Ac si incorporetur aut specificetur, individua similia ex similibus procreare solet. Porro etiam respectu capacitatis humanæ infinitam in radiorum suorum emissione habet extensionem, atque ideò, ut illa limitetur, est impossibile. Quod quidem omne experientia seu demonstratione hujusmodi oculari demonstrabo. Invenimus in praxi Magnetica, Magnetem virtute sui Spiritus subtilis, qui eum intrinsecus & centraliter animat, tam potentem reddi in virtute sua attractiva, ut sine ulla resistentia radios suæ activitatis per saxa durissima, ligna spissa, metalla compactissima, atque etiam vitra quasi impenetrabilia transmittere valeat. Quod argumentum est evidentissimum, spiritum istum esse de natura longè penetrabiliore & subtiliori, quàm aër ille sublunaris, quatenus ei denegatur etiam per Chartam tenuem aut pelliculam transitus. Pari etiam ratione internus cœlestis hominis spiritus, qui est radij istius vivificantis vehiculum, est tam subtilis in se, ut nihil potius sit ei resistere, quando radius mentalis internus, ad quamlibet metam, utcunque ab homine remotam & in capacitate humana inaccessibilem, collimet. Nam, cùm cœlestis ille in homine Spiritus sit ad exemplar spiritus Divini formatus, necesse est, ut in istiusmodi sua actione eum limitet: Iam verò subtilitas actus Divini in spiritu humano ab Hermete hoc modo exprimitur. Quicunque hac Dei natura fulti sunt, intelligentiâ suâ cuncta complectuntur, quæ in terra sunt & quæ in mari, & si quid est præterea supra cœlum, atque adeò seipsos erigunt, ut ipsum quoque bonum intueantur. &c. Quibus significare videtur, omnem sufficientem Deiactum in penetratione & transmigratione per omnia; qui actus consistit in radio mentali, cujus actui non resistendo, influentiæ cœlestes penetrant & operantur ubique in terra & in mari sine ulla resistentia aut impedimento intermedio. Hisce ergo evidens est, quòd, ut quælibet creatura inferior specifica, hoc spiritu essentiali est prædita & in ipso consistit ac super ipsum, quasi reale suæ veritatis fundamentum seu lapidem verè angularem ædificat; Ita æquidè radiorum ipsius emissio, non est ab aliqua sphæra activitatis terminanda, ut quidam indiscreti & magis sensuales, quàm intellectuales Philosophi asseverare haud erubuerunt: Cum teste sapientissimorum Philosophorum turbâ, spiritus iste definiatur esse vis in rebus infinita & per consequens non definita seu determinata: Nam, quàm longè ipsa emittit suæ activitatis radios ex centro stellæ cœlestis, etiam eousque potest spiritus iste centralis in terra & creaturis ejusdem suæ emanationis diametrum extendere: Ita, ut quemadmodum radiosa stellæ cœlestis influentia deorsum penetrat usque ad terræ centrum, eodem planè modo quælibet stella cœlestis penetret ascendendo usque ad centrum suæ stellæ cœlestis, à quo radicaliter erat derivata; & quò opulentior, ditior & magis exaltata erit forma illa stellaris in creatura, eò propinquiùs accedit ad naturam stellæ magis dignæ atque occultæ in cœlo, & per consequens facit radiorum suorum sive semidiamerti suæ emissionis extensionem longiorem & validiorem. Iam verò, ut videmus quamlibet influentiam astralē in creatura naturali quodam instinctu idque moré Sympathetico fontem cœlestē seu stellam à qua primitus est orta, aspicere, atque itidem stellam illam cœlestem pariter paterno quodam respectu influentias suas deorsum ad filium suū terrenum, seu filialem suam formam vel ignem in creatura fovendum & nutriendum, emittere, adeò, ut earum ambæ mutuò inter se gaudere videantur & in reciproco eorum amplexu se recipiant secundum istud Philosophorum: Natura naturâ lætatur & natura continet. ô natura cœlestis veritatis naturas Dei mutu multiplicans: Ita etiam species creaturarum, quæ una eademque influentia induuntur, solent ratione suæ similitudinis ad invicem radios sympatheticos, hoc est, naturâ consentientes ejaculare, quibus in concordia & amore conveniunt. Atque ob istam rationem axioma Philosophorum antèà allegatum est tale: Natura ex similibus procreare solet. & hæc est causa, cur quælibet forma specifica in suo simili congaudere, suumque simile sine transgressione à suæ speciei limitibus procreare animadvertitur. Verbi gratia natura humana producit hominem, equina equum, semen fœniculi fœniculum, faba fabam: Granum tritici triticum &c. Atque etiam natura rei taliter creatæ est amicissima sibi simili, radiosque sympathiæ amabiles emitit, ut conveniant & concurrant cum radijs, qui à suo simili emittuntur, ita ut ambæ naturæ consentiant & mutuò amplectantur: Vti in Magnete cum Magnete, atque Magnete cum ferro videre est. Nam si unus Magnes inveniat seu occurrat alteri, ambo se virtute Saturnini Sulphurei Spiritus aspicient atque se mutuò amplectentur: Nam debita eorum applicatione unus ad alium, emissione radiorum à centro ad circum-

Pimand. 4.

cumferentiam se aspicient, atque iterum contractione illorum radiorum in se invicem amplectentur & allicient se ad se. Quod etiam inter ferrum & magnetem observatur: Nam, quoniam ferrum eidem constellationi cum Magnete subijcitur, suaque stella centrali fruitur, illi Magnetis in omni respectu convenienti: Nam ob istam essentialem eorum consanguinitatem in eadem miniera semper seu vena terrestri reperiuntur; ideò se invicem amare & tanto appetitu recipere observantur. Nam ab experientia docemur, lapidem fœmininum, admodùm & instar meretricis luxuriosæ ferrum masculinum attrahere & appetere: & non è contra, uti Averroes, Scaliger & Cardinalis Cusanus erronicé & falsò existimant: Quippe quorum est sententia, ipsum ferrum allicere ad se Magnetem tanquam ipsius Originem & matricem, unde erat orta: Nam hac ratione polus Borealis in Magnete per se & à sua inclinatione propria citius ad stellam polarem, quæ est fons influentiarum centralium utriusque, moveret, quam Magnes: At hoc totũ experientiâ probatur falsum.

Iam verò ad confirmandam infinitam horum radiorum centralium in dictis duobus corporibus, nimirum stellæ polaris & Magnetis seu ferri efficaciam opus est, ut prius Theoriâ quadam idoneâ simus deducti, ut tum posteà faciliori cum Methodo in praxin descendamus. Radius(in-
Ikind.de ra-quit Alkindus) qui à centro stellæ ad cen-
jis stellari-trum terræ procedit fortissimus esse probatur in operatione suæ speciei &c. Quibus arguere videtur ad distantiam, quam incommensurabilem occultus stellæ radius seu influentia radiosa operatur & agit, cum & in sua imagine seu effigie in terra. Nam alibi dicit hæc: Liquet, radios stellares diversa constituere individua in hoc mundo &c. Iterum pro stellis centralibus seu influentijs stellaribus corporum inferiorum, & radiosis eorum extensionibus, hæc alibi Mundus Elementaris est exemplum mundi Syderei, ita, ut quælibet res in eo contenta ipsius speciem contineat, manifestum est, omnem rem hujusmundi radios facere suo modo ad instar Syderum, alioquin formam Syderei mundi ad plenum non haberet, sed & hoc in aliquibus sensim manifestatur. Ignis enim radios caloris ad loca proxima transmittit, & terra radios algoris. Hoc igitur pro vero assumentes, dicimus, omne, quod actualem habet existentiam in mundo, Elementorum radios emittere in omnem partem, qui totum mundum Elementalem replent suo modo. Prætereà distantia unius rei ab alia facit differentiam in effectu radiorum in rebus hujusmundi: Hæc ille. Quo sermone certiores nos facit; Primùm, nihil esse in mundo inferiori, quod non habeat suum simile in illo superiori à quo suæ essentiæ radios atque influentiam recipit: Atque iterum, quòd, ut illa stella cœlestis suos radios etiam ad terræ centrum ejaculat, atque ideò tam latam habet activitatis sphæram, ut quamlibet mundi totius concavi portionem scrutetur, ita etiam scintillæ illæ stellares seu radiantes, quas creaturis sibi subjectis emittit, cum stellæ earum sint in substantia & forma unum & idem cum suo fonte & consequenter continuatæ sunt cum eo, & ab eo haud quaquam spiritu & luce indivisibiles, omnes perscrutantur angulos regionis sublunaris; Imò verò ad fontem earum cœlestem penetrare solent, à quibus vim suam vitæ sortiuntur, uti infra demonstrabitur; idque eò clariùs indicatur, quoniam quælibet magni Magnetis portio utcunque minima, suos, sibi polos ac circulos distinctos vendicat, æquè, ac ille magnus, seu integer à quo erat excisa. His ergo redditur apparens, actionem cujuslibet rei elementaris effici tam ad distans, quàm quando duo corpora sunt simul per contactum mutuum conjuncta. Verùm rerum Elementariũ actio, dum ab invicem separantur, debita applicatione atque influentiarum radiosarum in invicem infusione, perficitur, quod vix credibile ratione occultationis actionis ipsius videretur, nisi illud nos experientia ex observatione attractionis ferri à Magnete ad distantiam doceret. Porro etiam imagines rerum de longé in speculis opticis discerni animadvertimus. Nec erat quidem minimum in Pythagoricis, atque nonnullis ex Philosophis Christianis artificium, suas mentes seu intentiones, alijs in locis dissitis seu regionibus longé à se distantibus viventibus, ratione reflexionum per vitra Mathematicé præparata ac dispositа in disco lunæ exprimere. Verùm enim verò Philosophi nostri externi, qui solo sensu gubernari volunt, de determinata quadam activitatis sphæra somniant, limitesque huic spiritui sive naturæ mysticæ assignare haud erubescunt. Exempli gratia, quoniam Magnes attrahit ferrum, ut plurimũ, non nisi ad distantiam dimidiæ mensæ vel ulnæ unius; ideò ipsi putant ac concludunt vivificantem ipsius virtutis actum ulterius penetrare aut se in aëre extendere non posse, & consequenter solo corporis & non intellectus oculis ducti, terminare hac sua observatione externa volunt Spiritualem Magnetis extensionem: Sed, si oculos suæ inquisitionis corporeos claudere, ac more Philosophorum peritissimorum lumine mentali actionis tam abstrusæ medullam intueri velint, perciperent quidem, extensionem Spiritus radiosi in Magnete æqualem esse cum semidiametro propriæ stellæ cœlestis suæ, cùm uterque sint unius ejusdemque essentiæ: Ac pariter similis in ferro spiritus & cujusliber ipsius portio, sed sunt plurima, quæ evidentem in Magnete effectum impedire pos-

sunt, videlicet rei sive ferri ponderositas, cujus ratione illud extra circulum sensibilis suæ emanationis attrahere nequit, atque radiorum à Magnete emissorum dissipatio seu dispersio, nam radij ejus, postquam à Magnete emittuntur, eo magis in aëre aperto expanduntur, quò remotiùs à Magnete evolant, quemadmodum ex ista demonstratione luculenter explicatur.

Plenitudo virium in Stella Polari & ab ea.



Magnes

In qua A est Magnetis Polus, B. D. Basis radiorum ejus cum integro ejus vigore, quæ terminatur & se adaptat in principio virgæ ferreæ B. D. Ita, ut in tali contactu ad distans, nihil radiorum occultè è magnete scaturientium deperdatur : Sed tota ejus vis sita est in ferro, atque ob istam rationem ferrum facilè à Magnete attrahitur, quoniam vis unita est fortior. At verò cùm ferrum in distantia longiore seu à Magnete remotiori disponatur, videlicet in C. tunc quidem major Basis Spiritualis pyramidalis emissionis portio, dilatatur atque extra latera ferri sine ullo ejus contactu, seu occursu directo cum eo transit, atque ita virtutis Magneticæ actus nimis debilis redditur ad rem adeò ponderosam sibi in tali distantia attrahendam. Verùm quia stellæ ipsius cœlestis radius, magnetis emissionibus occurrit easque fortificat, ideò euidens est, stellam polarem operari in Magnete ad excitandam & animandam similem in eo vigorem : Atque ipse Magnes taliter animatus atque in vigore suo vivifico auctus actioni stellæ illius correspondet, penetrando uno eodemque sympathetico consensu etiam ad centrum sui fontis cœlestis, quod quidem facillimè in eo præstari potest, quoniam uterque sunt unius ejusdemque essentiæ : Nonne animadvertimus hoc externa apprehensione esse verum, cùm observamus polum Magnetis Borealem in debito naturali atque obedienti respectu, stellam polarem constanter ad tantam distantiam respicere, quod aliter fieri non potuit, nisi radij eorum essent in medio, aëris, imò quidem in ipso æthere atque etiam in terra & mari conjuncti? Quis enim negare potest, ipsius stellæ polaris radios descendere in terram & operari atque conjungi cum radijs sibi similibus in magnete, ferro, atque etiam in terra cocta, cùm hoc idem ab experientia oculari doceamur? Si ergo Magnes & ferrum ac terra sint istius stellæ scintilla, cur obsecro, more sui fontis non emicarent scintillæ istæ pariter & ascenderent sive emitterent suos radios ad Stellam illam cœlestem? Cùm certum sit & experientiâ probatum, vel minimum Terrellæ seu Magnetis magni fragmentum ex suo toto excisum seu divisum, adeò esse in suis circulis & polis completum ac ejus integrum. Vnde liquet, virtutem cujuslibet rei à formali scintilla in ea latitante procedere : Nam scintilla seu radius Solis eandem habet pro sua proportione potestatem agendi & illuminandi, quam ejus fons Solaris, haud aliter ac videmus candelam parvulam taliter prosua quantitate coruscare, quàm major illa, à qua lucis suæ principium duxit. Quare non est dubitandum, quin, si stella polaris suos radios impluat in corpus Magneticum, centralis etiam corporis magnetici Stella suos pariter radios ad cœlestem sui fontis polaris sedem emittit. At verò praxi Astronomica docemur, distantiam seu intervallum inter hæc duo corpora, nimirum Stellam polarem & terram sive Magnetem esse adeò grande & immensum, ut extensio major in rerum natura respectu nostrum vix excogitari queat, nimirum illa inter cœlum octavum, in quo est Stella polaris & terram : & tamen invenimus, hæc duo corpora se invicem respicere & simul operari sympathia admirabili; Imò quidem & quandoque, ubi non fit recta inter se dispositio, videntur inter se Antipathiâ satis notabili discrepare. Quid? An debet abstrusi istius Spiritus actio Phantasticæ seu ima-

imaginariæ alicujus activitatis sphæræ limitibus, juxta hominum nunnullorum imperitorum & nimis superficialiter in occultis Thesauris atque arcanis seu centralibus actionibus Dei in creatura versatorum, opiniones terminari? Pari etiam ratione necesse habemus concedere, quòd sit similis radiorum occultorum concursus sympatheticus inter ferrum & Magnetem, quoniam eorum uterque, habet in se Stellas centrales seu radiosas influentias unius ejusdemque naturæ sive essentiæ ab uno fonte descendentes, quorum emanationes occultæ, transeunt ad distantiam nobis incognitam, tametsi earum effectus, accidentaliter nobis non magis appareant, quàm cœlestes illæ influentiæ, quæ de cœlo super mineralia, vegetabilia, & animalia descendunt. Nihilominus si historijs & relationibus fidem aliquam adhibuerimus, à Serapione, Olao Magno & ipsis Mauris accepimus, apud Indos, versus polum Borealem esse scopulos nonnullos Magneticæ consistentiæ, qui naves à Magna distantia ad se trahunt, imò quidem, & tantam esse eorum in attrahendo virtutem, ut etiam clavos ferreos à lignea navium substantia quandoque extrahant, unde fit, ut naves & cymbas suas clavis ligneis & non ferreis condere cogantur. Atque iterum, quid est dicendum ad opinionem illam medici ac Philosophi doctissimi Fracastorij, quippe, qui post longuam suam in naturam Magnetis inquisitionem, concludere tandem videtur, rationem, cur Magnes suum polum ad Septentrionem convertat, esse, quoniam in illo mundi angulo multi reperiantur montes ex lapide Magnetico consistentes, qui ferrum de longè ad se attrahunt. Quod si esset verum, sequeretur, ejusmodi scopulos Magneticos potuisse à sede æquinoctij ad punctum congelatum poli Borealis operari: Nam experientiâ docemur, nautas etiam usque ad lineam æquinoctialem facere acus magneticæ usum, ad explorandum, in qua altitudine navigent. Veruntamen, licet hoc nonnullis videbitur alienum & impossibile, tamen sunt quidem artis Geographicæ periti, atque in cartarum marinarum compositione versatissimi, qui huic Fracastorij sententiæ firmiter adhærent. Quibus videre licet, aliquos viros vulgariter sapientes atque doctos, videri intimare illam activitatis sphæram limitatam Magnetis virtuti à Peripateticis & Christianis academicis assignatam, esse vanam & nullius momenti. Sed ut jam à regno minerali ad illud vegetabile & animale ascendam: Observamus quidem esse relationem admirabilem inter stellas fixas & erraticas, atque per eandem rationem inter plantã & plantam: Exempligratia. Compertũ est (teste Mizaldo) radios ac flores herbæ Heliotropij, atque illius Cichorei, solere more Sympathetico radijs solaribus gaudere; & cum radiosa illius influentia convenire, eamque comiter amplecti: Nam se ipsas convertunt etiam in die nebuloso ad diurnum Solis motum: è contra verò nocturno tempore, ratione absentiæ Solis flores earum se contrahunt, ac si essent tenebrosæ ac frigidæ nocti inimicæ. Etiam cepa in quibusdam regionibus (ut testatur Plutarchus) virescit in decremento Lunæ, atque iterum marcescere notatur crescente ipsa. Est etiam magna Sympathetica relatio inter cancrum ac ostream & Lunam: Nam, dum crescit Luna, eorum succi augentur, at verò decrescente ea, ipsi pariter in sua substantia diminuuntur. Porro ad irradiationem unius plantæ ad aliam quod spectat, observatum est, Rutam herbam summa cum amicitia ficum arborem respicere, unde fit, ut hæc planta nullibi melius aut copiosius vigeat & feliciori cum successu vivat, quàm si sub ficu arbore plantetur. Atque esse etiam Sympathiam notabilem inter earum naturas, in eo redditur manifestum, quia in gustu & odore haud sunt dissimiles. Præterea si Myrtus prope arborem Granati plantetur, eam magis fœcilem ac fructiferam efficiet, atque ex altera parte granatum reddet myrtum magis edoriferum: Unde liquet, unum præsentiâ alterius gaudere & lætari. Ac rei veritate ambo animadvertuntur convenire in unam conditionem Elementalem, ut pote quæ arbores sunt frigidæ, siccæ & astringentes. Verùm ad exprimendam ingentem illam relationem Sympatheticam, quæ est inter naturam vegetabilem & mineralem, præcipuè & cum diligentia observare debemus occultam illam in Corylo proprietatem: Nam si tempore quodam stato, virga Corylina in extremitate furcata, ex arbore sua colligatur, & utraque pars furcata manu utraque sustineatur, ea tamen lege, ut locus, ubi virgulæ trunco seu Baculo jungantur simul cum trunco A. B. Directè superperpendiculariter erigatur, Atque istiusmodi Baculi positione, ille, qui virgam seu bacillum tenet, montis summitatem, in quo minera auri vel argenti excogitatur esse, pertransit: Cùm autem directè super metalli venam ambulet, virga perpendicularis A. B. Etiam invito homine se (mirabile dictu) versus terram inclinabit: At verò, si non ad sit in monte miniera talis tũc in suo



Plutrch.

Munster. Geograph. lib. 1. cap. 8.

izald. Arc. 1.

suo situ orthogonali constanter manebit: hoc esse verum, ego ipse testari possum eò quòd nonnulli Germani in fodinis Cambriæ seu Walliæ argenteis laborantes, hanc ipsissimam viam ibidem in venæ argenteæ inquisitione tentaverint. Porro est hoc artificium valde inter Germanos familiare & oprime notum atque praxi quotidianæ adhibitum, in montibus Saxoniæ & Hungariæ, ubi inveniuntur mineræ auri & argenti. At ne scrupulosi nonnulli huic rei fidem nihilominus minimé adhiberent, ipsos scire velim, Georgium Agricolam atque Munsterum mentionem de hac re in suis de mineralibus tractibus facere, artificiumque hoc pro vero & experto confirmare. Deus bone, quantum tumultum facerent unguenti armarij hostes seu adversarij ad tale spectaculum intuendum? Quid? Quod ramus arboris insensibilis, duplici in suo termino virgula divisus, possit metalli argentei vel aurei sedem deregere, & consequenter per 600. orgyas in terræ viscera meditantibus suis radijs invisibilibus, idque trans scapulos venasque petrosas penetrare valeat. Anne hoc possibile, ut vegetabilis natura, quæ est minus activa, mobilis & calida, quàm est illa animalis, actum talem præstare possit, cùm sit omnino (uti asserunt) impossibile, ut radiosa influentia seu emanatio animalis, queat ad distantiam remotam cum suo simili cooperari propter impedimenta castellorum, montium, scopulorum, nemorum, nebularum & similium? Procul dubio concludent istiusmodi Philosophi superficiales, hoc mysterium vel minimé omnino verùm esse, vel si sit, tunc non posse sine actu Diaboli perfici. Nam, cùm spiritus animalis istiusmodi unionis aspectum ad talem distantiam complere nesciat, anne probabile est ut vegetabile insensibile hoc per se & ex propria sua inclinatione præstaret? Talis, sat scio, erit eorum hac de re censura, qui ad judicandum, antequam res, pro ut est, intelligatur, sunt paratissimi, cùm sit in rei veritate harmonia illa in omnibus creaturis inferioribus proportionata, qua ipsæ corporibus cœlestibus seu potius Divinis in ipsis influentijs correspondent, quæ ortum suum ab unica capitali, Catholica & æterna emanatione ducunt, quæ radios suos tum essentiales tum Sympatheticos, quàm Antipatheticos in quem libet Globum Stellarem immediatè infundit: Atque ipsi itidem eos in mundum Elementarem impluunt, efficientes hac communione consensum Harmonicum inter ambas istas regiones: Atque ideò Alkindus ait: Omnia, quæ fiunt in hoc mundo & conringunt in mundo Elementorum, à cœlesti Harmonia sunt translata. Certum est igitur, radios metallicos concurrentes in suo ascensu cum influentijs radiosis virgæ furcatæ esse in causa, ut illa virgæ Corylaceæ portio, deorsum se declinet, haud aliter, ac Magnes observatur ferrum & alium magnetem forriter per ejus polum attrahere: Scio, quòd alienum videbitur ejusmodi hominibus, substantiam metallicam radios ex suis venis emittere: Verùm si adeò essent in vivis metallorum naturis versati, ac artifices illi, qui laborant in fodinis montium Tirolæ & Hungariæ, tunc oculari experientiâ certiores forent facti, quod ipsæ quandoque fulgura & tonitrua in terræ concavitates emittant, quæ opificibus admodùm sunt periculosa, ita, ut nisi subitò ex minera immediatè post signa data exeunti, vel pronè humi jaceant, extremum ut plurimum patiantur. Hæc à nobilibus Germanis fide dignis accepi, quorum alij fuerunt testes oculares: Sed ut in proposito nostro procedamus, est pariter inter creaturas inferiores Antipatheticus quidam aspectus haud aliter, quàm inter Stellas nonnullas cœli speciales cum erraticas tum fixas: Atque unius creaturæ aspectus, agnoscitur alium alterius abhorrere, ita, ut in eorum radiorum applicatione una observatur ab alia irascibili reformidabili seu odibili aversione declinare atque reflectere, Mizaldus ait, Cucumerem, ac si esset voce tonitruorum terrefactus sæpiùs ab ea mutari: Cepa recusatur ab Ægyptijs in cibis, quoniam admodum ab alijs vegetabilibus differre observatur: Nam, ut omnes aliæ herbæ præter ipsam in lunæ augmento crescunt; Ita è regione sola cepa vigescente luna suum recipit detrimentum atque diminutionem. Est etiam notabilis inter arborem ficum, nec non & vitulum marinum & fulgura Antipathia: Vnde oritur, quòd istæ duæ à fulmine minimé percutiantur. Porro inter arundinem & filicem haud exiguum animadvertitur esse odium; Ita, ut, si radix unius ponatur super ramos alterius, cum quodam quasi contemptu & odio dejicietur. Inter omnes etiam bestias Elephas odio habet parvulum murem: Vnde evenit, ut, si quid frumenti, quod ijs pro nutrimento adhibetur, à muribus edatur vel tangatur, illud statim recusent atque abhorreant. Similis quædam Antipathia observatur esse inter naturas Catablepæ atque mustelas: Nam mustelæ sunt catablepis instar veneni. Gallus gallinacius vulpem more Antipathetico evitat. Omnes colubri & augues timent & evitant arborem fraxinum, atque ideò summâ curâ umbram ipsius tam matutinam, quàm pomeridianam effugiunt. Iterum, Dioscorides ait; Taxum arborem usque adeò venenatam, ut, si quis subter eam sedeat, damnum exinde sit accepturus, & quandoque vitam suam amissurus. Cœlius Rodi-

Agric. lib. de foss. Munst. de Georg.

Alkind. de fad. stellar.

Mizald. l. 1.

Plin. lib. cap. 10.

Ibid. 12.

Plin. lib. cap. 13.

Dioscor.

Rodiginus asserit, colubrum timore hominis nudi percuti. Bene notum est & à multis authoribus confirmatum, catablepam, quæ non est nisi parvulum animal, solo suo nihilominus aspectu per mille ab ea passus interficere. Etiam homo lippitudine oculorum affectus, potens est alium hominem satis longé distantem, secreta quadam radiorum contagiosorum emissione inficere atque etiam lippum reddere. Videmus, cæpam Lachrymas ex persona ad distans, idque sola radiorum suorum ejaculatione elicere. Præterea notum est factum, quòd, ut simile existens salubre soleat suum simile more salutari recipere; ita etiam simile existens corruptum, more Antipatheticq, idque ad distans inficit & intoxicat suum simile, quod erat sanum. Quemadmodùm observamus, oculum unius hominis ophthalmiâ affectum; Inficere nullum alterius hominis membrum præter oculum. Atque etiam unus phthisicus sive pulmones ulceratos habens, pulmones alterius hominis suo anhelitù etiam ad distantiam convenientem vulnerat & lædit, idque applicatione seu concurrentia duarum irradiationum unius naturæ, quarum una est more Antipathetico affecta atque veneno, unde & aliam etiam, cui applicat, contaminare solet. Sed, ut ad Scopum nostrum Magneticum, qui est tam Spiritualis, quàm corporalis, redeam; Affirmo, esse tantum respectum Sympathiæ Spiritualem inter unam creaturam atque alteram, ut amatum more mirabili Spiritum amantis sibi attrahat atque alliciat. Hoc idem ego ipse mirabiliter à cane meo aquatico effectum vidi: Nam in itinere meo Lugdunum Galliæ versus penularium meum super arcum ephippiarium pendens (in quo præter alia mihi necessaria, literæ Camby erant inclusæ) malè perdidi, & cùm ad ipsum perquirendum retrogredi tentassem, cursoris equum nullo modo præter consuetudinem, ut retro iret compellere potui. Unde necessitate coactus eram, ut canem ad mea bona amissa perquirenda eaque mihi afferenda remitterem: Recessit canis, & postquam per spatium ferè dimidiæ horæ esset absens, penularium istud meum ore reportavit, quod quidem erat admirabile, considerando me equestrem fuisse, atque adeò, ut nullius pedis mei aut tractum seu odorem persentire potuerit & tamen nihilominus directé ad penularium, à me siti Tantalea in hiatum, properavit & percipiendo in eo mei odorem, rem protinus agnovit, eamque festino cursu ad me adduxit. Sed, ut propinquius & magis pertinenter ad huc accedam. Amicus quidam in societate mea tunc temporis existens, canem suum aquaticum in civitate Londinensi nocturno tempore perdidit: Interea nos ambo Domum quandam privatam, in qua vix fuit anteà, sumus ingressi: Cùmque in cubiculo ejusdem domus colloquium inter nos privatum etiam clauso ostio habuissemus, paulò post semi horam canis revertitur & ad portam accedit, ipsamque strenuè suis unguibus, ut aperiretur, scalpebat, quo dominum adiret suum. Quibus evidens est radios affectionis ipsius, utcunque absenti corpore à suo Domino radiorum nihilominus sui Domini aspectum minimé deseruisse, unde factum est, ut ipsi cum ad locum incognitùm tam directè conduxerint. Nonne est etiam admirabilis illa Sympathetica emanatio ex columba dicta tabellaria, qua & cujus lumine tam directé per tot milliaria ad domum, in qua erat orta & enutrita tendere solet? Quam propter illam rationem tam charé amat & afficit, ut, tametsi per 500. milliaria in suo corbe clausa portetur, ipsa nihilominus directè retrò cum literis ejus collo Suspensis volabit. Quod quidem argumentum est evidens, ipsam directé à radijs suæ affectionis in via gubernari, qui modo quodam Spirituali continuantur & uniuntur, nec separantur à loco, in quo maximè delectatur. Quid dicemus in duabus personis, quarum una masculum & altera fœminam amat, & sine omni ratione afficit; Atque ideò radijs affectionis suam amatam prosequitur, tametsi é regione hæc illam abhorret, negligit, & non reciproco affectionis gradu recipere potest, sed radios sui amoris in odium avertit. At verò, ubi duo mutua affectione & unione Sympathetica se recipiunt, ibi quidem actionis virtus ad distantiam longiorem suos producet affectus: Haud aliter, ac, quando duæ stellæ cœli radios suos semidiametraliter emittunt, & in uno eademque Harmonico affectionis puncto conveniunt. Imò verò, quemadmodum videmus experientiâ docti, esse magnam Antipathiam inter Spiritum contractum hominis interfecti & interfectorem; Adeò, ut Spiritus vitalis mortui in suo centro frigoris contacti post mortem contractus, per passionem quandam irascibilem Antipatheticam, iterum à centro ad circumferentiam movere animadvertatur, faciatque sanguinem congelatum iterum refluere & movere versus homicidam, ac si secundò sui hostis insultui resistere, vel si vindictam adversus eum capere vel petere voluisset: Ita quidem agnoscere & confiteri debemus, quòd, ubi Spiritus unus ratione Sympathetica cum alio similis naturæ concurrat, ibi potestas debet esse major; & consequenter actio ejus potest vim suam ad longiorem distantiam exercere, ut evidenter demonstratur in abstrusa operatione inter telam vulnerariam, unguentum armarium & personam vulneratam: De quibus verba tot feci in hostili illo concursu, qui inter Fosterum Presbyterum & me est factus,

videlicet in libro illo meo adversus ejus librum dictum HOPLOCRISMA SPONGVS, sive spongia ad unguentum armarium delendum, cui libro meo titulus est, Spongiæ Fosterianæ Presbyteri compressio. De cujus libri medulla in hujus mei discursus fine, Deo concedente veniam, dicam plura.

Argumentum Fosteri consistit in impossibilitate operationis unguenti, seu potiùs vivi sanguinis emanatione seu influentiarum ad sanguinem mortuum & congelatum emissione, tam remotam ad distantiam à nonnullis propositam. Quæ quidem impossibilitas, si vera in regno animali esset, quod est cæteris duobus regnis magis dilatatum & minus vinculis corporeis ligatum; ad miror ego, cur non sit magis impossibile, in corpore minerali ratione suæ solidigatis firmæ atque constrictæ & per consequens ad influentiales radios continendos atque retinendos minus apto, quàm in corpore aliquo magis Laxo, molli & poroso. Præterea corpus animalis vivi est calidum & igneum & consequenter ad dilatandum & radios suos remotius emittendos promptius; ut illud minerale est frigidum, atque ideò in radiorum suorum ejaculatione minus activum & potens. Et tamen nihilominus experientiâ docemur, Magnetem stellam polarem respicere, eique aspectum suum Spiritualem emittere, atque itidem, stellam illam radios suos in eadem distantia feré in commensurabili ad metam suam mineralem ejaculare, quemadmodùm in præcedentibus est demonstratum: Quòd cùm ita sit, cur, obsecro, non potest Stella animalis à fonte Stellari seu cœlesti derivata, radios seu influentiam etiam suam in sanguine congelatam terræ suæ unctuosæ, videlicet unguento infusam, aut in Spiritum sanguinis invisibilem in poros instrumenti vulnerantis, & præcipuè ferri ratione naturæ suæ attractivæ sulphureæ absorptum effundere? Nam experientia confirmat, quòd, quamvis sanguis nullus corporeus inveniatur super Gladium, vel pugionem & similia: Tamen, si locus teli, qui vulneravit, unguento perlinatur, curat etiam ratione aspectus sui Sympathetici: Nam Chirurgi rurales seu rustici sunt experti, quòd, quando non sunt ausi vulnus aliquod profundum proba ferreâ examinare, tamen per impositionem Gladij in ignem facillimé discerunt, quàm altè telum in carnem penetraverit. Nam portio illa teli seu Gladij, quæ vulneravit, calorem suum mutavit, & magis fusca vel cœrulea, quàm reliqua apparebit: Hac, inquam, sua observatione intelligunt, quàm profundum sit vulnus. Atque ideò hoc est argumentum egregium ingressionis, spirituum sanguineorum in instrumenti vulnerantis substantiam: & consequenter liquet, esse Spiritus essentiales, quæ emanant seu exeunt à sanguine é corpore exilienti.

Quibus arguitur ad versus M. Fosterum, quòd, si grossiores in sanguine Spiritus valeant firmam chalybis substantiam penetrare, probabile est, Spiritus eorum tenuiores posse sine ulla resistentia res omnes alias utcunque compactas ad instar influentiæ permeare. Nec possunt ista à me jam nunc relata videri vel miracula vel saltem impossibilia, cùm etiam experientia testetur in muto & surdo seu insensibili minerali hoc idem esse effectum: Nam acus seu Chalybs solo Magnetis contactu solet spiritus ipsius imbibere, qui quidem Spiritus à ferro ita absorpti penetrant per ejus totum, & consequenter cuilibet ipsius portioni in sunt: Nam Axioma hoc à præstantioribus Philosophis in mysterio Magnetis optimé versatis, est tale.

Si obelus ferreus seu fili grossi ferrei portio, ex uno termino Magneticè tangatur, vigor Magneticus totum permeabit ferrum, habebitque illud virtutem contrariam in utroque extremo seu polo axis illius, unam nimirum Borealem atque aliam Australem, & pars axis dimidia erit unius naturæ & altera ejus medietas alterius 6. [illegible] a. Vbi a. Habet naturam Septentrionalem & b. australem. Hic est canon eorum generalis. Problema. Ridleus: Tract. Mag cap. 6.

Verùm enim verò huic meo proposito propiùs accedam & demonstrationem meam à minerali ad vegetabile, transferam, ut hac ratione simile per suum simile meliùs; & perspicujùs in subjecto nostro animali exprimere queam. In animo meo igitur est, grano tritici insistere, quod, cùm in terra sit mortuum & putrefactum, radiosâ Solis influentiâ à morte resuscitatur: Nam simile, magnetica quadam virtute, attrahit ad se suum simile, & simile suo simili gaudere solet, ac simile resuscitatur & vivificatur, hoc est, à sua quiete centrali evocatur à suo simili illud evocante, alliciente & amplectente, atque hac ratione substantia radiosa, seu atomi solaris influentiæ in grano tritici ociosa manens & nihil operans, in centro ejusdem jam grano corruptione dissolnto, excitatur à suo simili externo ad agendum & operandum pro sua ex cœno elementari seu viscosis compositionis elementariæ ligamêtis redemptione. Atque ideò, ut Spiritus vitæ in tritico contractus erat à frigore circumferentiali externo in centrum, ita jam præsentia Solaris irradiationis recentis de desuper descendentis, à morte quasi ad vitam resuscitatur, & hac ratione assistentia radiorum cœlestium surgit extra grani corrupti limites, ac terræ superficiem penetrat, pendetque extra & super eam in aëre aperto, summoque conamine tentat in patriam suam solarem, à qua descendebat, ascendere; Sed in suo motu ad sursum à sublunari substantia, tanquam catenis elementalibus, quæ ipsum undiquaque includunt & ligant, ex omni parte sale aëris volatili

circum-

circumdatur & loco aſcenſionis ſuæ ad patriam ſuam deſideratam, coactus eſt fixé ſummitati ſtipulæ ſuæ adhærere : Atque ſuam ſpeciem ibidem multiplicare ac ita alia grana ipſis ſimilia producuntur in aëre. Simili etiam ratione Sol vitæ microcoſmo in ſanguine regnans, radiorum ſuorum Spiritualium emiſſiones facit, qui ſunt ei continuitate inſeparabili conjuncti & per conſequens à Spiritu in ſanguine congelato, qui telo vel ferro abſorbetur minimè diviſi : Nam tam purus, ſubtilis & dignus eſt vitæ humanæ Spiritus, ut quælibet creatura natura, naturali quodam inſtinctu cupiat de eo participare ; Imò verò ipſi Dæmones, lucifugi dicti, ob iſtam rationem corpora humana poſſidere dicuntur, nimirum propter excellentem in eo temperiem, ut teſtatur Pſellus. Nec velim, ut quiſquam meam aſſertionem reſpuat, cùm ſit certum, in ipſis lapidibus atque mineralibus ſurdis, eſſe paſſionem concupiſcibilem, quemadmodum in Magnete & ferro videre licet, & ſpiritus ferri, tametſi ſit mineralis, eſt etiam ejuſdem conditionis in Catholica ſua natura, cujuſmodi ſunt omnes alij ſpiritus. Quare nolim, ut aliquis admiretur, eò quòd dixi, mineralem ſpiritum effectare illam animalem & vegetabilem : Verùm ego demonſtrationem ſatis probabilem ad iſtud probandum producam. Eſt comes quidam nobiliſſimus Angliæ, dictus The Carle of Bridgewater, cujus Hortalanus manum ſuam falcef œnaria crudeliter in grámine metendo vulneravit, magna ſanguinis copia eſt perfuſa, nec ſiſti potuit hæmorragia, comiti annuntiatum eſt hoc, ejuſque hac in re opem implorant: Quippe quem unguentum armarium habuiſſe & in uſu ejuſdem fuiſſe optime verſatum noverunt, ipſe protinus juſſit, ut falx à ligneo ſuo ſuſtentaculo ſeu manubrio percuteretur & ad ſe adduceretur. Hoc à vulnerato audito ille marculo in manu vulnerata retentò ictu ſatis valido ferrum percuſſit, quo facto in inſtanti, ſine ullo alio remedio ceſſavit ſanguis, nec ab illo impulſu guttam aliquam perdidit, ac ſi Spiritus mineralis, qui illam animalis comprehendebat eſſe, ictu illo terrefactus & pavore quodā & Spiritus vulnerati in cuſſus, ac proinde integram ſuam attrahendi & ſpiritus percutientis retinendi facultatem amiſit, aut quod Spiritus vulnerati, in ferrum imbibiti, in harmonia cum Spiritu vulnerati conſentientes in eo quaſi vindicta, quam vulneratus ſumpſit in ferrum ſeu telum, guadere videretur: Nam ſciendum eſt, eſſe Sympatheticam & Antipateticam irradiationem æquè inter animalia & mineralia, ac inter animalia & animalia, & mineralia ac mineralia. Sed obſerva obſecro ſecundum hoc de unguento armario experimentum. Bevis Thelwell eques auratus, mihi fide ſua data retulit, quendam rotarum lignearum fabrum graviter ſecuri fuiſſe vulneratum, hic à chirurgis prius erat tractatus, ſed ſine ulla dolorum mitigatione : Ita, ut per quatuor vel quinque noctes dormire haud potuerit : Tandem ejus amici auxilium ipſius inſtanter exoraverunt, ut pote quem multum Boni unguento armario præſtitiſſe intellexerunt : Ipſe autem ſecurim ungebat, & uti mos eſt, linteo involuebat, ac protinus dolores ſunt mitigati, ita ut jam dormire inceperit. Quo audito, ipſe tentandi gratia, nimirum, ut rem ſibi à pluribus relatam experiretur, paurium lineum à ſecuri removebat, & ex unico ſecuris unctæ angulo unguentum ſcalpello abradebat ; Quo facto, certior immediatè factus eſt, ipſum vulneratum admodum eſſe de dolore ex unico vulneris angulo ſubitò exorto conqueſtum : Vnde ille confeſtim nudam & abraſam ſecuris portionem iterum illinivit, & confeſtim ſedatus eſt dolor. Hoc idem etiam experimentum à Capitaneo Stiles & Nicolao Gilbourne, Equite, viris fide digniſſimis eſt probatum, uti in reſponſo meo ad Foſterum inferius explicatum apparebit. Poſſum etiam affirmare ex mea cognitione, in Cœmeterio ſuper montem de Bredſtreet, Anglicé Bredſtreet hill, in civitate Londinenſi, quandam viduam generoſam, pyxidem hoc unguento plenam poſſidentem multos dolore dentium afflictos, curaſſe, efficiendo inprimis, ut dentium dolentium gingivas Bacillo acuto vel ex roremarino vel ſimili pungerent, quoſque pauxillum ſanguinis emanaret: Hoc peracto, Bacilli partem ſeu terminum ſanguine perlitum in unguentum immerſit, & paulatim ceſſarunt eorum dolores. Inter reliquos mulier ex vicinioribus quædam, conditione temeraria, contentioſa, & probra dicaculé dicere ſatis apta, dolore etiam dentium vexata eſt, ac tandem eodem modo cum cæteris curata. Hæc nihilominus paucis poſt diebus verba opprobrioſa ancillæ illius generoſæ dedit, nec quidem Dominæ benefactrici pepercit malevolâ ſuâ linguâ : Quibus generoſa allatis, ut erat more jocoſo diſpoſita, inquit ipſa ridendo, tunc tentabo ego experimentum mihi ab unguenti iſtius datore relatum : & protinus pyxidem unguenti adit, bacillumque ad hanc mulierem pertinentem extrahit, ac in pelvim aquâ plenam injecit : Quo facto mulieris illius temerariæ dolores redierunt, ac reconciliatione tandem facta ſecunda vice eſt curata. Quibus accidentibus à me cum diligentia obſervatis præcipuum Spiritus incluſi ſolacium in ipſius à frigore externo præſervatione, conſiſtere animadverti ; & quòd ſi unguentum ab eo removeatur, aër gelidus, qui eſt ſpirituum ſanguineorum activitati adverſus, erit ad ipſos congelandos potens, atque ita per conſenſum influentiæ radioſæ vitæ à vulnere ad Spiritus incluſos emiſſæ & ad eas inſeparabiliter continuatæ (nam erat unus

illus de nonibus.

demque ſpiritus juxta Ezechielis teſtimonium in duabus proprietatibus (qui flat à ſeptentrione & ab auſtro) intemperies contingit Spiritui incluſo & congelato in telo ab effectu remiſſionis radiorum evocatorum, & quaſi per cartificationem vulneri patientis. Iterum conſiderare debemus, ſanguinem ſeparatum quemlibet in ſe habere Microcoſmi reſpectum: Haud aliter, ac una Magnetis portio ab integro diviſa, in ſe omnes totius Macrocoſmi proportiones habet, nempe polorum, Æquinoctij &c. Æquè ac totus, adeò, ut Id ea membri vulnerati exiſtat in Spiritibus ſanguinis emiſſi, ſuamque relationem ad quamlibet ejuſdem partem faciat, haud aliter, quàm poli portionis alicujus integri Magnetis, utcunque minimæ, reſpectum habent ad totum; Vt etiam eſt ſimilis attractio occulta & emiſſio radiorum inter parum ſanguinis emiſſum & integram ſanguinis maſſam in venis retentam, ac eſt inter Magnetem paruum à Magno amputatum, & totum. Concludo igitur, quòd, ut Spiritus Sanguine amputato congelati, & ferrum jam poſſidentes virtute caloris homogenei atque unctuoſitatis unguenti, quaſi matureſcere & paulatim reſpiratione inſenſibili verſus ſuum fontem exhalare obſervantur, non aliter, quàm ſcintilla grani tritici in ſua terrea à frigore externo præſervata, extra terræ Margines aſpirare & ſurſum ad ſolem cœleſtem tendere conatur: Ita quidem vulnus in vulnerato paulatim ſanari vidimus. Atque huc uſque pro modo actionis inter vulnus & unguentum armarium ſive Magneticum: Iam verò de intervallo ſeu intercapedine, quæ ſita eſt inter vulnus & unguentum, diſcurram paucis.

Diſtantia inter Stellã Polarem & Magnetem eſt incognita, & tamen unam in alteram per radiorum ſuorum reciprocorum ſurſum & deorſum emiſſionem operatur: Vnde conſtat, nullam hiſce eorum actionibus poſſe ſphæram activitatis aſcribi: Sol atque Spiritus in grano tritici eodem planè more inter ſe agunt; Nimirum continuatione unius ejuſdemque naturæ. Ecce ergo hîc limitata & conterminata activitatis ſphæra omnino aboletur, quoniam nemo poteſt juſtè determinare Solaris influentiæ extenſionem, de cujus eſſentia granum in tritico participat: Non aliter, quàm Magnes parvulus à Magno exſciſus ſuis ſimiliter cum illo Magno fruitur polis & circulis. Homo influentiam ſubtiliſſimam Spiritumque vitæ vivaciſſimum ei ab alto infuſum, hoc eſt, inſpiratione divina inſpiratum habet, in quo ſita eſt quatuor ventorum proprietas, uti nos docet Propheta Ezekiel: & conſequenter ideam cujuſlibet naturæ in ſe habet. At iſtius ſpiritus eſſentia eſt indiviſibilis, atque ideò Spiritus vivificans ab eo in hominem miſſus, omnes Spiritus illius, qui eum miſit eu infudit, proprietates, non aliter, quàm minor Magnes (ut iterum iterumque huic experimento inſiſtam) ex majori demptus proprietatem majoris in omni reſpectu acquirit, & conſequenter Spiritus unius non Magis ab altero dividitur, quàm radij Solares à Sole. At verò Spiritus Domini, qui implet omnia (uti ait Salomon) ſuæ operationis virtutem magis minuſve intendit in homine, prout eſt ejus voluntas, atque ideò nullo modo phantaſticam illam activitatis ſphæram admittit, quàm humana illa ſapientia, intellligo ſubjectum Philoſophiæ Paganorum (quod eſt ſtultitia coram Deo) invenit, ob iſtam igitur rationem Hermes hæc habet: Anima mente deoque plena intima mundi replet, complectitur extima, vitamque hæc omnibus ſuggerit; Dat vitam Magno illi animali mundo & Spiritum omnibus, quæ in eo vivunt. Atque ipſe alibi: Naturâ in corporeâ nihil eſt capacius, nihil velocius, nihil validius aut potentius: Sic iterum à te ipſo incipiens meditari, atque animæ tuæ præcipito, quæ citiùs, quàm præcipies, evolabit, Iubeto, inquam, ut tranſeat in Oceanum illa, priuſquam juſſeris, ibi erit, inde, ubi nunc eſt, nequaquam diſcedens. Iubeto iterum, ut in cœlum volet, nullis pennis egebit; Nihil enim obſtabit curſui, non Solis incendium, non ætheris amplitudo, non vertigo cœlorum, non Syderum antiquorum corpora, quin penetrans omnia ad ſupernum uſque corpus tranſcendat. Quin etiam, ſi volueris globos omnes tranſire cœlorum, quodque ſuperius eſt inveſtigare, id quoque tibi licebit. Ad verte, quanta ſit animæ tuæ poteſtas, quanta celeritas. Hæc ille: Quibus duobus Hermetis teſtimonijs obſervare poſſumus inprimis, animam in genere, atque ideò in ſpecie ſeu particulari eſſe divinitate plenam, & per conſequens, iſtam Divinam eſſentiam, quæ operatur omnia in omnibus, in eſſe huic animæ & cuilibet membro ejuſdem, uti teſtatur Apoſtolus. Atque hinc eſt, quòd Philoſophus iſte verus in loco anteà citato dixerit, animam mente deoque plenam eſſe: Secundò, iſtam Divinitatem in Spiritu Catholico creato omnia implere in Angelica quadam exiſtentia, hoc eſt, quatenus ſpiritu vaſto mundano quaſi veſte induitur. Et huic aſtipulari videtur pagina ſacra, dicens: Spiritus Dei incorruptibilis ineſt omni rei, atque ideò eſt actus vitæ mundanæ eſſentialis, quemadmodum libro primo iſtius Sectionis probavi, unde & dictus Hermes alibi: Animæ univerſæ, per omnem mundum ab una mundi totius anima profluunt, tanquam diſtributæ circumferentes &c. Quod quidem cum illo Salomonis anteà allegato convenit, nimirum, quòd omnes in iſto mundo animæ ſint quædam emanationes radioſæ ab irradiatione Catholica procedentes, quæ à fonte æterno actus illuminantis procedit, quibuſdam parcius, & nonnullis copioſius.

Ezekiel. 37.

Pimand. II

Sap. 12. 1.

Pimand. I

Hinc

Hinc ergo homo dicitur Angelis in dignitate esse paulò minor, ratione largæ lucis à Deo ei concessæ portionis. Spiritus Dei (ait Iob) fecit me, sed inspiratio omnipotentis fecit me intelligere. Tertiò, quòd in nictu quasi oculi potens sit anima penetrare per omnia, idque ad quamlibet distantiã, & per consequens ab aliqua sphæra activitatis imaginaria non terminabitur. Sed M. Fosterus cum suis associatis ait & replicat, spiritum istum, qui debet in sanguinem & sanguine ad unguentum operari, esse naturalem & minimè divinum. Profectò non possum ad hanc ipsorum assertionem non subridere: Ac si quis diceret, quod actus iste vivificans atque etiam omnium aliarum facultatum ad Spiritum humanum pertinens, suam originem ab uno eodemque fonte divino non hauriat, cùm ab Apostolo doceamur, quòd in eo vivimus, movemur & sumus: Iterum dicitur, in sanguine esse vitæ seu Spiritus vitalis sedem. Et D. Iohannes in Verbo erat vita. Dicam igitur, quid quidam verus Philosophus scribat de hoc puncto. Anima (inquit) ad similitudinem totius sapientiæ facta, omnem in se gerit similitudinem, estque Spiritus intellectualis, semper vivens, semper in motu & secundum sui operis officium varijs nuncupatur nominibus: Dicitur vita, dum vegetat; Spiritus, dum contemplatur; Sensus, dum sentit; Animus, dum sapit; Mens, dum intelligit; ratio, dum discernit; Memoria, dum recordatur; Dum vult, voluntas: At illa omnia non sunt, nisi unica unius essentiæ anima, utcunque sint proprietate diversa. Hæc ille. Vnde patet, eundem esse actum essentialem, qui facit vitam & contemplationem, sensum ac intellectum, & qui producit memoriam & rationem: Denique est ille, qui vult & non vult. Quæ cùm ita sint, nonne graviter peccant homines ignorantiâ obruti, qui volunt & perhibent, actiones occultas istius Spiritus abstrusi, quo mediante ipsi vivunt, moventur, intelligunt, inter bonum & malum discernunt, recordantur, vident, audiunt, tangunt & gustant, esse effectus Diaboli? Atque hinc inde splendidissima ipsius animæ dignitas & honor (arcanas ejus operationes Diabolo ascribendo) irreligiosè ac falsò loco gratiarum ei debitarum actionis pro assistentia sua violatur, & in oculis mundanis commaculatur. Et, cur, obsecro tam absurdè faciunt illi? Quoniam scilicet ad profundam ipsius activitatis medullam, qua mediante vivunt, moventur & existunt, se nesciunt immergere. Hinc ergo activitatis ejus extensionem limitibus juxta placitum suum terminare haud erubescunt, qui (utcunque hoc sit ipsis ignotum) ab ipso suam vitam & voluntatem accipiunt, ipsi judicibus temerarios limites pro placito ascribendo, est in sua existentia infinitus, quatenus est Spiritus ab emanatione divina haud divisus, quæ in sua extensione est infinita. Ergo evidens redditur, Spiritum istum vivificantem actiones suas ad quamlibet in mundo metam à quacunque natura specifica, sed præcipuè à creatura microcosmica emittere, idque eò citiùs & volentiùs, si meta sit unius ejusdemque conditionis cum vehiculo spiritus, nimirum sanguine effuso, commensurando inprimis distantiam, quæ est inter vulnus & unguentum. Præterea inveniemus hoc confirmatum, ab alijs ipsius operationibus in eadem minera microcosmica effectis, à qua radios suos ad distantiam haud determinatam ejaculat. Exempli gratia, experientiâ comprobatur, idque vijs meré naturalibus, nulla delusione Diabolica seu artificio superstitioso concomitante, quod si urina icteritij ad medicum deferatur vel ad aliam personam, etiam ad multa milliaria ab ægroto distantem (quemadmodum à nobilissimo comite de Mulgrave, viro admodùm justo & religioso est super centum personas probatum) & medicus vel alius cum urina illa & cineribus fraxini pastam componat, eamque in 3 vel 5. portiones dividat, easque in formam rotundam deducat, & in singulorum globorum summitate foramen parvulum faciat, illudque urina cum unico croci grano impleat, ac denique hos globulos in aliquo vase loco convenienti seponat, Ipse Comes, dico, cum filiabus suis testatur, hoc fuisse verum, & virtute istiusmodi sæpe se curare solitum esse, ubi experimenta medicinalia nimis ad hoc opus debilia atque invalida sunt reperta. Et jam ego istius rei testimonium perhibebo: Anno 1630. Chirurgi uxor juxta turrim Londinensem habitans, icteritia & ventris torminibus laborabat graviter: Post plures medicos opera sua in vanum adhibentes, me tandem vocarunt; Sed non obstante meo conamine morbus in vigore suo perstitit: Quare ipsa me de curationibus à comite isto peractis mentionem facientem audiens, oravit, ut literas meas pro ipsa ad nobilem illum mitterem. Puer cum literis urinam protinus ad comitis domum ferebat, ubi duos alienos gratias pro eorum de icteritia curatione agnoscentes invenit. Pro amore mei urina erat recepta, reditque servus. Sed observetis velim sequelam, ut primùm puer cum urina suæ dominæ discessit ab ea, ægrotæ animus erat admodùm à fœminis quibusdam garrulis &c. Superstitiosis, perturbatus, quippe quæ ipsam fecerunt certam, ram istam sine ope Diaboli seu cacomagie præstari haud potuisse, atque ideò hunc actum fore tam pro ejus corpore quam animo periculosum. Quo audito, ut illa ipsa erat conditione satis superstitiosa, suspicioſa & nimis incredula, clamare incepit contra Magiam & veneficium, & admodum facta est inquieta. Quod cùm intellexissem, eam ut potè ingratam & incredulam, nolui amplius visitare,

litare sed subitò ad nobilem misi, ut opus illud, si potuisset, globulos rumpendo destrucret, nulliusque momenti efficeret; Renuntiavit, se hoc facturum, verùm affirmavit, hoc fuisse nimis tardum, dicendo opus illud, invito eo fore completum. Et profectò mulier hinc inde subitò incepit convalescere, & fortasse ipsa curandi rationem alicui alij medicamento, nullius in hoc opere momenti, ascripsit. Non possum etiam aliam hoc in loco de hac re Historiam celare. Quædam fœmina nobilis Baronis filia & Equitis aurati nobilissimi uxor, morboicteritio laboravit vehemēter, curavi eā ferè binis vicibus, sed iterum invaluit morbus. Quo viso, consului marito, ut urinam ad comitem mitteret: Fecit quod monui. At comitissa ipsa voluit curā hujus fœminæ nobilis suscipere honoris gratia. Aliquid momenti effecit hæc ipsius præparatio in morbi curatione, eam verò ad felicem exitum perducere non potuit, unde urina iterum secunda vice mittitur & à comite disponitur, ac statim nullo intereà temporis medicamento adhibito, convaluit. Hujus rei plurimi præter me fuerunt testes. Denique ego ipse modum atque rationem hujusce curationis haudignoro: Nam comes ille nobilissimus, ex sua gratia eum mihi communicavit, imò verò & virgines, filiæ ejus nobilissimæ multos tam pauperes, quàm divites ex gratia curaverunt. Et comes mihi affirmavit, se nonnullos ad distantiam centum ferè milliarium curasse. Iam verò istius curationis ratio non aliter efficitur, quàm illa unguenti armarij. Nam spiritus Sanguinis in persona infecta habet continuatam relationem ad suum salem; Imò verò & ejus habitatio inest aëreo Sanguinis Sali, qui quidem Sal, cùm sit subtilis terra, in cujus centro Spiritus contrahitur, & cùm sit ille Sal per urinam, quæ est serum Sanguinis, dispersus, allicit atque attrahit sibi suum simile à corpore infecto, à quo existens ipse quasi resuscitatus & de novo vivificatus, radios novos emittit ad occurrendos, consolandos & corrigendos radios illos infectos, qui ex corpore ægroti ejaculabantur. Atque iterum spiritus humoris icteritij inficiens, ratione tum croci, tum salis in cineribus reprimitur; Ita, ut, quemadmodùm ille moritur, ita humor icteritius insultans cum venenoso suo Spiritu paulatim marcescat ac finaliter extinguatur. Quibus patet, quòd mediante uno eodemque Spiritu in sale urinæ atque illo in sanguine ægroti sive icterici sunt ambo more Sympathetico recreati & emundati, atque humor corruptus, idest Spiritus inficiens, tam in ægroti corpore, quàm in urina more Antipathetico extinguitur atque annihilatur. Hoc igitur respectu comparamus illam compositionem ex cineribus, urina & croco in istiusmodi curatione icterica cum unguento armario & consolidatione vulnerum, atque urina ab ægroto translata, ad massem sic compositam cum sanguine seu spiritu in telo seu gladio vel similibus: Ac exsuscitationem Spiritus congelati in sale urinæ, refero ad Spiritum revivificantem & exagitantem in sanguine mortuo seu Spiritu à porosa ferri seu teli substantia imbibito. Adeò, ut videmus hîc unum & eundem consensum: Nam, ut sanguis mortuus processit à vivo fonte sanguinis, ita quidem urinæ, quæ est serū seu serosa sanguinis substantia Spiritibus sanguineis haud quaquā destituitur in transplantatione Spirituum sanguineorū humanorum. Quid censemus de admirabilibus ad alia animalia vel vegetabilia effectibus? Certé haud illos latere potest, quiin Mysterijs Magiæ naturalis tā macro, quàm microcosmicæ versati sunt, Mummiā Spiritualē, cujus sedes est in sanguine microcosmico ex corpore humano mediante quadam substantiâ Magneticâ ex eodem subjecto electâ extrahi posse, atque in bestiam, arborem vel; plantam transplantari; Ita, ut hac etiam ratione morbus ægroti possit ab eo in dictas creaturas transferri, istiusmodi operationis seu Magnetis microcosmici virtute, atque hujus rei praxis libro sequenti luculenter explicabitur. Similiter Iohannes Rumelius Pharamundus profitetur, se plurimos podagra laborantes tali via curasse, nimirum pedum ac tibiarum ægri pilos & ungues abscindendo, eos in foramen, terebrâ ad medullam quercus usque factum, intrudendo, ac tandem foramen illud obturamento ex eadem arbore formato firmiter occludendo, ac denique locum perforatum stercore vaccino undique oblinendo. Tunc, (inquit) si podagra in trium mensium spatio non reveniat, quercus erit sufficiens, ad morbum more Magnetico ad se attrahendum: At si in eo spatio reveniat, tunc hoc est argumentum insufficientiæ magneticæ quercus virtutis. Quare tunc procedit in hunc modum: Aliud in alia quercu perforat foramen, ut anteà, & frustra, quæ ex foramine in perforatione exierunt colligit, ea contundit, in sacculum lineum consuit, hunc sacculum loco dolenti applicat, atque hoc facere solet per tres dies ante novilunium, tunc in hora novilunij aufert sacculum à loco & extrahit frusta lignea, eaque in foramen immittit, illudque obturamento forti occludit. At si tandem post tres menses non perfectè curetur, tunc ad tertiam suam operationem pergit, quæ est hujusmodi 1. capit pilos & ungues patientis, eosque ligat ad dorsum locustæ seu cancri fluviatilis, animalque ita in flumen projicit, & patiens curabitur. Hoc profitetur iste in medicina Doctor in quodam suo libello idiomate Germanico impresso: Atque ibidem mundo publicare videtur, se multos primo hoc suo, experimento curasse, atque haud paucos primo & secundo, ac denique se quàm plurimos podagricos de-

plo-

ploratos modo ſuo ultimo ad priſtinas ſanitatis limites reduxiſſe, teſtatur. Concluditautem, iſtum curandi modum communiter inveniri certum, in illis podagris, quæ à cauſa ſulphurea contingunt: At (inquit) in ijs, quæ à ſalſa & Mercuriali natura procedunt, frequenter errat. Atque proinde ipſe Magicam iſtuſmodi curandi rationem relinquendo, ad illam, ex topica adhibitione conſiſtentem, ſe accingit.

In tractatu illo meo, dicto, Spongiæ Foſterianæ expreſſio, Hiſtoriam ſatis mirabilem recitavi, de admirabili illa Sympathia, quæ eſt inter herbam dictam roſam Solis & matricem mulieris; dixique, quomodò ipſa in aquam Plantaginis impoſita ſe ipſam claudat vel contrahat, & quòd ſi pars illius aquæ bibatur à muliere partu laborante, atque herba in aqua ad aliam removeatur domum, tamen nihilominus partu ipſius inſtante flos vel herba illa paulatim ſe aperiet atque dilatabit, haud aliter, quàm matrix parturientis aſſolet. Evidens profectò argumentum, quòd radij, qui emittuntur ab iſtis duobus, inter ſe mutuò Sympathizent. Concludo igitur eſſe manifeſtum, quòd, cùm Spiritualis attractiva virtus in qualibet creatura inferiori deſcendat à Stellis cœli, & ſit unius continuatæ naturæ cum ipſis, ut radij ſolares, qui non ſunt, in terra à ſuo fonte lucido diviſi, ſequitur, ipſas radioſas ſuas influentias ſibi invicem nequaquam aliter emittere, quàm duæ ſtellæ cœleſtes à quibus ſtellæ creaturarum deſcendunt, ſuos aſpectus in aëre aperto facere animadvertuntur: Ita, ut, ſi duæ in cœlo ſtellæ ſint amicæ, mutuò ſoleant Sympathizare, & quaſi ſeipſos in ſui occurſu ſeu irradiatione amplecti: At ſi ſint ſibi inimicæ, tunc in ſuis applicationibus Antipathizabunt & volenter ab amplexu declinabunt. Ad diſtantiam autem, quam in mutuis actionibus obſervant, quod attinet, illam imaginari debemus, tam longé ſe extendere, ac radij ipſorum, qui faciunt applicationem, ad invicem diſtant. Et velim, ut tales, qui tantummodò in rebus ſenſibilibus verſantur, ſciant, harum creaturarum actionem per applicationem ad invicem occulté operari, tametſi affectus illius actionis non ſemper ſenſui ſubijciatur, nec non concipiant, ſuadeo, quòd, quò propinquiùs in affinitate naturali Stellæ ſunt in cœlo, & per conſequens creaturæ iſtæ inferiores, quæ Spiritibus ſuperiorum ſubijciuntur, eò efficaciores erunt effectus eorum Sympathizantes, quoniam radij eorum ejaculabunt & convenient magis directé, hoc eſt ſine ulla deviatione vel declinatione ad invicem.

CAPVT. VI.

Quòd Diabolus ad ſtratagemata ſua adverſus genus humanum perpetranda, uſum rerum naturalium ſive creaturarum Dei faciat, ſine quibus nihil præſtare poteſt: Ac utrum res illæ naturales ſint adeò Cacomagicæ & per conſequens ab hominibus evitandæ, quoniam effectus earum occulti ſeſe quandoque voluntati Diaboli conformant.

LEgimus in multis ſacræ ſcripturæ locis, Diabolum uſum facere de creaturis Dei ad ſua ſtratagemata & machinationes pravas adverſus genus humanum perpetrandas. Exempli gratia, Satan ad fortunas Iobi auferendas, paupertatemque ei inferendam, uſus eſt ventis Dei, & vocavit (ut teſtatur Textus) ignem Dei à cœlo ad beſtias ſive armenta ipſius conſumenda. Deus tamen nobis Chriſtianis meliùs, quàm, ut ob iſtam rationem creaturæ illæ Dei, pro Cacomagicis & Diabolicis ideò à nobis haberentur, quoniam Deus ipſas ad voluntatem ſuam per Diabolum exequendam, aliquando, diſponit: Ipſe etiam fecit Diabolum aëris principem; Ita, ut in ejus poteſtate ſitæ ſint tempeſtates in mari atque cœlo Elementari incitare, & hac de cauſa aër quandoque & à quibuſdam dictitatur Synagoga Satanæ, Quid? Anne ideò aërem & ventos abhorrere & in abominatione habere debemus, quoniam Diabolus quandoque ijs mediantibus facinora ſua patrare notatur, cùm aër nonnunquam à corruptione ventorum agitatione, purificatur & clarificatur, ut teſtatur Ariſtoteles: Nam, ſi aër non excitaretur & moveretur à ventis, facilè, haud aliter ac ſtagna mortua, putreſceret: Iterum, ſi aërem evitaremus, aut in horrore haberemus, quibus vehiculis, aut quo (obſecro) Spiritu viveremus, cùm in ſpiritu aëreo conſiſtat vitæ noſtræ ſeminarium. Legimus etiam in ſcripturis, Deum feciſſe ſolem indifferenter oriri ſuper bonos & ſuper malos, & Solem & Lunam, quandoque detrimenta terræ ac hominibus afferre, ut é regione alijs ſolatium & ſalutem conferunt: Atque ideò Rex David ait: Sol te non percutiet diurno tempore, nec Luna nocte, Deus te præſervabit ab omni malo. Luna, quæ etiam Hecate à Poëtis nuncupatur, traditur eſſe venefica- Pſal. 121. f.
rum & magorum Dea: Nam ipſi Hecate, Medea famoſa illa Maga, ad opera ſua nefada propitianda, ſuas effudit preces, & tamen aër, aqua & terra lunæ madore virtuteque humida irrigantur, atque etiam plantæ, nec non & animalia ipſam vege-

tationis patronam sive almam matrem agnoscunt. Ipsa est, quæ facit maria tumescere, atque iterum alia ipsius in cœlo positione seu aspectu, maria deprimuntur, humoresque in qualibet creatura vegetabili, inveniuntur magis parci & diminuti; Imò quidem observamus, omnes malignos spiritus aquaticos ipsius influentijs esse subjectos, atque etiam Satanã tempora diversarum positionum, seu conjunctionum & applicationum lunæ cum alijs Stellis tã fixis, quàm erraticis, in suis malignis actionibus observare: Est enim ipse à longo tempore astrologiæ admodum peritus, novitque cujusque cœlorum positionis effectus, ac per consequens nequaquã ignorat minuta fortiorum eorum influentiarum super creaturas animales, vegetabiles vel minerales, quæ ijs subijciuntur. Atque ideò intelligit tempora, in quibus deorsum effunduntur, atque in ipsarũ virtutibus valde est expertus, quæ tunc temporis sunt in majori vigore & efficaciâ præditæ, quando influentia potens propriarum suarum constellationum, ferit directé super eas, spiritusque earũ centrales excitat ad extremũ occultarũ & arcanarũ suarum naturarum sive conditionum, emittendum atque manifestandum: & tunc in eodem instanti colligit ille herbas seu lapides, aut usum facere de membris animaliũ, vel saltem veneficas seu incantatrices docet hoc idem præstare, sine mysterij constellationum seu radiorum applicationis cognitione in tempore collectionis illarum creaturarum: Ita, ut, quando ipsæ usum tentant facere per se sine suo magistro de ijsdẽ simplicibus, neglecto ex ignorantia tempore electionis, ea inveniant, debilia & nullius quasi virtutis, quoniam Spiritus cujuslibet herbæ, animalis & mineralis sunt debiliores, quando Stellæ quæ est cujlibet eorum nutrix & quasi Mater cœlestis, minimã habet in cœlo potestatẽ seu dominiũ. Quod omne pro vero medicus astrologicus experientiâ edoctus, haud ignorat: Nã ipse colligens herbam hanc vel illam, in eo puncto, quando constellatio tã fixa, quàm erratica, quæ Dominium essentiale habet super ipsã, est in majori sua dignitate sive potestate in cœlo, invenit admirabilem in ea facultatẽ, atque efficaciam, nimirũ tam in ejus occulta, quàm manifesta proprietate: Cùm é regione, si herba tali tempore colligatur, quo ejus patrona seu Mater & nutrix cœlestis sit debilis ac virtute vacua, apparebit in sua operatione quasi mortua & vix ullius efficaciæ. Quibus sat liquidò cõstat, esse creaturas Dei, quæ naturis seu Spiritibus suis essentialibus operantur, & effectus tã Sympatheticos, quã Antipatheticos producunt, quibus Diabolus ad suã malitiam exequendam utitur, non aliter, quàm medicus, Philosophus seu magus naturalis, suas bonas intentiones herbis, animalibus & mineralibus perficere tentant. Quid igitur est dicendum? Quòd, qui utuntur in suis negotijs creaturis Dei, & mediantibus ipsarum virtutibus, sive sint animales, vegetabiles, sive minerales, operantur, sint prorsus pro Cacomagis æstimandi, operaque eorũ pro Diabolicis habenda, quoniam Diabolus quandoque eorũ subtiles & abstrusas actiones ad suum nomen & famam inter istius mundi sapientes staturninandam atque exaltandam accommodat? Nonne est Deus, qui tales creaturis suis effectus solet operari & coram mundanis producere? Nonne has creaturis virtutes seu facultates verbo suo primitus in creatione impertivit, easque per successionem generationis in hunc usque diem continuavit? Cur igitur non est ita possibile homini, qui ad imaginem Dei formatur, vera tempora seu horas electionis ad creaturas illas colligendas, & usus seu virtutes earum intelligendas atque usurpandas æque ac Diabolo? Quid? Anne, homo ipse post Adæ lapsum ignorantiâ adeò occæcatus est, ut lucem quasi à tenebris vix possit distinguere? Adamum autem post suum lapsum novisse Stellarum virtutes & conditionem cujuslibet creaturæ terrestris particularis, quæ alicui earum subijcitur, partim colligimus ex sacris scripturis. Nam aliter foret ei impossibile nomen genuinũ & naturæ conveniens cuilibet illarum assignare. Verùm, si Adæ successio sit adeò cæca, ut de coloribus haud quaquam possit distinguere, atque ideò secretorum talium Dei Thesaurorum est ignarus: Quomodo, quæso, habet Diabolus inspectionem in ijs ita profundam, cùm sit certum, ipsum propter, illius adversus suum creatorem rebellionem longé imius, quam genus humanum fuisse præcipitatum, & per consequens obscuriori tenebrarum velo quàm homo obductum, unde & tenebrarum princeps haud injuriâ dictitatur? At mundani replicabunt, sat scio, Diabolum esse Spiritum sine corpore & ob istam rationem, esse magis ad secreta Dei in creaturis discernenda potentem, quare & ea citiùs & meliùs comprehendere potest, quàm homo, ut pote creatura grossa, compacta & corporea: Atque iterum homo omni mundi ætate moritur, sed Diabolus ratione ævitatis & vitæ perpetuitatis est procul dubio experientiâ maximâ præditus. Respondeo, quòd, tametsi homo moritur & non diu manere solet in hoc mundo, & licét in suo intellectu paruper obfuscetur ratione lapsus primi ipsius pãrentis; & quamvis (ut ait Salomon) ejus anima à corpore malé digesto aggravetur; Ita, ut vix possit per se, ea quæ in oculis suis sunt distinguere, tamen ipsi conceditur in Principio post Adæ lapsum à Deo veritatis revelatio, & rerum in natura abstrusarum detectio, quæ ei successione seu traditione Cabalistica etiam à primo ejus Patre Adamo, atque etiam quibusdam immediatè revelatur arcanum Dei, per Spiritum ejus sacro Sanctum, quem suis con- Sap. 9.

S 7.17. conceſſit electis : Nam, mediante ſapientia (ut ipſe teſtatur Salomon) ille novit diſpoſitionem terræ, virtutes Elementorum, Principium, medium & finem temporum, morum mutationes, diviſionem temporum, curſum anni, Stellarum diſpoſitionem, naturas animantium, conditiones ferarum, vires ventorum, differentias plantarum, virtutes radicum, imò verò (inquit) res omnes abditas ſeu occultas detexi, nam ſapientia, quæ eſt omnium operatrix, me docuit. Atque iterum invenimus, ipſum in myſterijs omnium Plantarum, etiam ab humili Hyſſopo ad proceram Cedrium Liban fuiſſe verſatum : Fuit ne igitur actio aliqua in Salomone Diabolica, reſpicere, inquirere & praxin adhibere in ſecretis plantarum, animalium & lapidum, & ſcientiâ ſuâ Aſtrologicâ Stellas illas in cœlo animadvertere, &, quæ ſint radicales illarum matres in cœlo & nutrices, addiſcere, & tempora eorum collectionum aptiora obſervare, cùm ab ipſa ſapientia Divina creantur & in ijs & per eas eſſentialiter operentur, ac tandem ipſum nomine fecit ſuarum arcanarum operationum participem; quia Diabolus etiam ſua obſervatione acuta particeps eſt factus illarum, illiſque ad vias ſuas inſerviendas utitur? Quid? Quoniam dico, ipſum habere ſcientiam hujus vel illius ſimplicis creaturæ colligendæ & eligendæ, dum ſit in maximo ſuo vigore, idque per obſervationem relationis illius, quæ eſt inter Stellas earum & ipſas, ideò non debet etiam homo fieri illius & ejuſdem cognitionis, nimirum naturalium eorum particeps, aut ſciens & intelligens reddi in arte collectionis ſeu electionis eorum ſine ope aut revelatione Diaboli: Cùm verbis apertis à ſcripturis doceamur, Deum ipſas creaturas omnes pro uſu humano condidiſſe, debentne æſtimari Diabolica in illis hominibus, qui ijs utuntur : atque ideò hominibus interdici, quia Diabolus eas ſuis malignis inventionibus uſurpat? Ac ſi quis diceret, Deū quicquam creaſſe pro uſu Diaboli, & non ad generi humano in ſua neceſſitate pro ſuo libero arbitrio inſerviendum, cùm alibi dicatur, homini datam eſſe poteſtatem, ut cuilibet creaturæ prædominaretur. Quòd ſi ſimplex aliquot animal, vegetabile aut minerale, damnum quandoque & in nonnullis caſibus homini inferant, & veneni partes agant, tamen alio reſpectu ſalutaria eſſe probantur. Non reperitur adeò pravus & malitioſus ventus, qui alicui non flet bonum. Colocynthis, Scammonium, Euphorbium, Cucumer aſininus, Tithymallus, brauca urſina, Flammula & ſimilia in regno vegetabili, quandoque venenoſa in effectu eſſe approbantur, & tamen à ſagaci medico ſalubriter corpori humano adhibentur : Etiam in regno Minerali Arſenicum, Auri pigmentum, Antimonium, Roſalgar, argẽtum vivum & ſimilia in ſphæra minerali, nonnunquam & ſine præparatione aut correctione applicata interficiunt, & tamen felici Magi naturalis manu adhibita, ſanitatem deperditam reſtituunt : Denique in regno animali Bufo, vipera, Scorpio, Aranea, Cantharides, & ſimilia venenoſa admodum eſſe cognoſcuntur, & nihilominus imo, reſalutari, preparatione debita facta, applicari ſive adhiberi poſſunt, & loco eorum venenationis, à veneno præſervare dignoſcuntur, ut pote quæ frequenter pro alexipharmacis habentur. Præterea ut nihil in mundo exiſtit, quod magis efficaciter per viam ſympathiæ & ſecundum naturam operatur, quàm una ſalutaris & ſana natura cum alia : Ita quidem nihil eſt, quod magis antipatheticé, hoc eſt, naturæ contrario ac deſtructivè agit, quàm corruptio unius ſpiritus intoxicati atque venenati cum Spiritu ſano ejuſdem ſpeciei. Atque hujuſce rei ratio eſt, quoniam communicatione radiorum avida, appetit & deſiderat auxilium quaſi, & ſuppetias in tali ſua calamitate tabeſcente, à Spiritibus ſuæ naturæ ſanis, recipere, quibus Spirituum ſuorum infectorum radios aſſiſtentiæ gratia applicat, quemadmodùm tempore contagionis, Spiritus inſtar vaporis aſcendens vel emanans à perſona infecta, radios ſuos contaminatos ad Spiritum à ſuo ſimili ſano emanante amplectandum emittit, atque ita continuatione unius ad alteram, igneum illud unius venenum, coinquinat & intoxicat ſalutarem alterius naturam, idque ſolummodò cum ſpecifico ſibi ſimili : Nam peſtis, quæ communiter hominibus eſt familiaris, non adhæret aut ſe jungit Spiritibus beſtiarum, videlicet ovibus, vaccis & ſimilibus, ut etiam é regione, lues ſive contagio inter oves, non ſolet Spiritum humanum inficere, ſed ſimilis natura ſpecifica ſemper invenitur aptior ad radios ſuos ſibi ſimili applicandos. Propter iſtam igitur rationem evidens eſt, quòd, ut ex homine ſano Mummia Spiritualis ſana extrahi poteſt, quæ eſt admodùm generi humano ſalutaris, adeò ut pro univerſalibus ipſius reſpectibus, Panaceæ ſeu Medicamẽti Catholici loco ad ſanitatem tuendam haberi queat: Ita etiam ex Mummia hominis Spirituali extrahi poteſt quædam ſtupenda corruptio, quæ eſt ſpiritui ſano admodùm venenoſa, pernicioſa ac maligna. Ob iſtam ergo cauſam quidam civitatis Tunetis Iudæus (ut mercator fide dignus, qui noviter de Feſſa Barbariæ in civitatem Ligournam Italiæ appulit, mihi fidenter retulit) poſt quã per multos dies juxta portum ambulaſſet & nautam capillis ruffis indutum in navi Anglicana oculis fixis eſſet intuitus, & ſe ipſum fingens, ſe amore ipſius ſuiſſe vehementer captum, ita egit cum miſero illo, ut ipſe tandem pro 300. libris ſe ipſum Iudæo vendiderit, exiſtimando, ſe aliqua optata poſtea occaſione data, clanculum à ſuo Domino evaſurum : Paulò

post exornata nave & nautæ reliqui, antequam discederent, suo socio captivo valedicere cupientes, ad Iudæi domum properant, qui, postquam ipsi, ut suum socium ante eorum discessum viderent valedicendi causa petijssent, in locum quadratum, solem æstuantem directè aspicientem, eos ducebat, ubi illum ruffum dorso ipsius fracto, & ligno inter dentes adaptato cũ faucibus & gutture tumefactis, quippe (uti tum postea ijs erat relatum) in ejus os intrusæ viperæ morsu vulnerantes, adversus solem suspensum pelveque argentea ori ad liquorem ab eo destillantem recipiendum subterposita, non sine magno stupore intuebantur, ex quo postmodum liquore Iudæus illæ in humanus venenum adeò lethale conflavit, ut solo ipsius contactu homines interficeret: Dixitque Iudæum illud pretio ineffabili quibusdam mercatoribus vendidisse. Veneni huic similis confectio mihi relata est à quodã Pharmacopœo Papali Avenionensi, atque etiam illam ab eo tempore aliorum etiam Romæ degentium testimonijs habui confirmatam. Cardinalis (ait) quidam ex sua meretrice capillis Ruffis ornata & jam ab eo facta gravida, eam, post partum infantis, in terram usque ad mammas sepelivit & viperas duas (vel ut Germanus retulit) duos bufones famelicos uberibus applicuit, quorum morsu venenoso sanguis graviter erat infectus. Quo facto, ipsa more antedicto adversus solem suspensa, liquorem reddidit admodùm lethalem, ac præterea lac, tum posteà in bufonum ventribus repertum, tam contagiosum erat, ut nihil supra. Ratio autem, cur venenum pernicioſius ex homine ruffo extrahatur, est, quoniam à nativitate sua influentijs Solaribus tales homines sunt subjecti & per consequens corruptioni ac putrefactioni magis obnoxij: Vnde fit, ut Mummia eorum Spiritualis cùm sit veneno animali contaminata, post ejus fermentationem & putrefactionem valde reddatur subtilis, penetrabilis & malitiosa. Et quamvis insit Mummiæ infectæ desiderium Sympatheticum, ut cum suo Simili conjungatur; Tamen, quia inficitur & intoxicarur Spiritu bestiæ venenosæ Anthipathetico, qui jam ei prædominatur, non potest suum simile more Sympathetico amplecti, sed etiam Antipathetico suo additamento, Spiritum sanum sibi similem contaminat, atque ita adventitium & heterogeneum illud venenum hos ambos spiritus in suam naturam destructivam convertit. Fuit quidam Eremita prope Aquisextiam Provintiæ degens (cujus fama erat tunc temporis, cùm ibi vixi recens & in cujuslibet ore) qui simili philtro venenoso totam illam civitatem peste desperatissima infecit; ita, ut Magna populi illius civitatis portio, exinde vita esset deprivata; In cujus contagionis vigore si Eremita esset ad quempiam vocatus, in ejus solius potestate erat eos sanare, atque ob istam causam Eremitæ Sancti nomen sibi acquisivit. Nam ut ipse tudites sive Marculos portarum domiarum civitatis, quodam veneno tetigit; Adeò, ut quicunque pulsaverint portas interficerentur; Ita quidem ipse Antidotum secum portavit, quo contaminatos in pristinum sanitatis statum redigere solebat. Hic vir Diabolicus erat tandem detectus, & pœnas pro meritis suis luebat gravissimas: Nam post tormenta varia tandem igne in cineres est redactus. Pari etiam astutiâ seu veneficio pestis non diu ab hinc erat in civitatem Turingæ Pedimontanæ, à quibusdam personis pestiferis & quasi Diabolis incarnatis introducta, qui etiam sceleris sui pœnas luerunt, quippe quorum carnes, redetecta, forcipibus igne candescentibus erant avulsæ atque dilaceratæ. Sic etiam pestis per quandam pulveris venenosi aspersionem erat in civitate Mediolanensi accensa. Quibus liquet, istiusmodi inventionibus pravis & impijs Spiritus internos hominum fuisse corruptos, aëremque externum veneno manere quodammodo inquinatum. Neque debet hoc naturalistæ vero, seu Philosopho digno, apparere alienum, cùm sit experientiâ probatum aërem salubrem, flatu Austri venenoso in dispositionem corruptam & contagiosam reduci, & quòd aër, qui erat purus & impollutus, jam anhelitu personæ peste laborantis, aut pestiferi Carbunculi seu Anthracis halitu coinquinetur & venenosus reddatur: Ac ille aër ita corruptus, vicinum suum aërem sanum simul atque corrumpet. Observemus, obsecro, quomodò Spiritus infectus, personæ peste, aut variolis, aut morbillis, aut Phthisi, aut Ophthalmia aut lippitudine inquinatæ, spiritum hominis sani ad satis Magnam distantiam inficere: & qua ratione spiritus leprosi, Epileptici, morbi Gallici per contactum immediatum hoc idem præstare soleat. Inveniemus etiam illud, quod erat saluberiter in homine creatum, jam devenisse & redditum esse mala ordinatione contaminatum & venenosum. Quid igitur dicam? Anne hinc inde concludendum, quòd ideò naturam nostram relinquamus seu deseramus, quoniam quandoque malo contaminatur & lethalis nobis nonnunquam redditur? Vel an igitur judicaremus, naturam humanam abominabilem esse & ab ipso lumine abhorrendam, quoniam venefici & incantatores solent (eos docente Diabolo) usum carnis, Capillorum, unguium excrementorum & sanguinis, atque etiam Mummiæ ipsius, tam corporalis, quàm Spiritualis, ad incantamenta, philtra atque veneficia sua perpetranda, faceret? Quòd hoc ita se habeat, invenimus non modò Historiæ testimonijs, sed etiam quotidiana veneficarum praxi confirmatum. Nam Apulejus narrat, quomodo amica ejus Fotis, esset à sua hera (quæ erat in cantatrix & Philtrorum

atque

atque veneficij perita) ad officinam Barbitonsoris ad capillos hominum exinde clanculùm surripiendos missa, ut eos in suis negotijs Magicis impenderet: Etiam ibi loci ostendit, rem fuisse in illis diebus frequentem ratione multitudinis incantatricum, quæ in Thessalia abundabant, habere vigiles cum luminibus seu candelis sufficientibus ad custadienda cadavera mortuorum post mortem hominum, ne veneficæ, quarum mos erat, clanculum, idque nocturno tempore sub forma aut mustelæ aut animalium similium, portiunculam aliquam cadaveris illius surripere, eamque ad conamina sua Cacomagica usurpare. Præterea res est Necromanticis communis, sepulchra mertuorum visitare aut cadaveris portiunculæ auferendæ causa, aut ut partem aliquam panni linei, in quo involuuntur cadavera surriperent; aut ratione cistæ seu pheretri, in quo conduntur, cui mummia Spiritualis in hæret, ad negotia sive opera sua improba perficienda. Erat in confessione cujusdam veneficæ, quæ filiam cujusdam Comitis Brittanniæ, nimirum Rutlandiæ veneficio interfecit, se nullam potuisse super ipsam habere vim sive potestatem, quousque auxilio cujusdam suæ filiæ, illo tempore in domo Comitis manentis, chirothecam virginis illius recuperasset, ac tum postea, se, mediante ea Dominium super corpus ipsius habuisse agnovit. Atque causa erat ratione relationis illius, quam Spiritualis Mummia virginis, quæ sudoris vehiculo substantiam chirothecæ imbibebat, quam illa in corpore ejus vivo habebat, haud aliter ac Spiritus in telo vulnerante respectum habet ad Spiritum vulnerati, ut quemadmodum illa se habet aut in calida aut in frigida intemperie, ita quidem se habet cum Spiritu vulnerati. Vbi etiam apparet, quòd, quando aut telum aut ferrum coopertum forté, aut accidente aliquo detegatur, vulnus deveniet magis dolorosum & frigore intemperatum: & quando experiendi gratia aliquid unguenti à telo abradatur, seu auferatur, illa vulneris portio, quæ parti abrasæ correspondet, dolore & perturbatione afficietur. Eodem plané modo veneficæ pravum & pernicioſum suum venenum Mummiæ, chirothecæ, calceo, subiculæ, sicco lineo & similibus applicare solent, quibus é longé seu ad Magnum distans, malitiam suam efficiunt. Legimus etiam in libris de Cacomagia tractantibus, in quanta apud Cacomagos & incantatores æstimatione habeantur membra infantum, & præcipué eorum cutis seu corium, ex quo post varias Diabolicas atque Necromanticas eorum consecutiones pergamina sua virginea creare tentant; In quibus nomina Dei atque Angelorum, quos invocant, atque etiam Characteres Planetarum seu Stellarum, ad quas Angeli illi pertinent, solent inscribere. Debet ne igitur ob istam causam effectus naturæ humanæ Magneticus, aut Spiritualis ipsius Mummia cum similibus in homine, pro Diabolicis & damnabilibus haberi, quoniam eorum mysterium in sensu malo veneficis à Diabolo revelatur, & secreta eorum proprietas in usum impium & minimé Christianum convertitur? Anne ideò à nobis recusandus atque repudiandus est aër, quoniam potest vijs & modis pernicioſis corrumpi atque in venenum lethale converti? Aut estne ignis à societate humana ideò excludendus & pro damnabili adhibendus, qua ipse malé applicatus destruere & consumere notatur? Cùm é regione, si rectè applicetur nutrimentum & solatium astantibus affert. Si contaminatione aut mutatione unius Mummiæ in dispositionem contagiosam seu venenosam, alia sana inficiatur, uti unum peste infectum alium ad distans afficere cernimus, atque unam domum igne accensam aliam accendere, tametsi non sint contiguæ; Debetne, inquam, ob hanc causam aut aëris aut ignis usus in exilium ab humana societate relegari? Aut ideò abhorrendus est ignis Dei à cœlo descendens, quoniam Satan usum de ipso in sensu destructivo, nimirum ad possessiones Iobi consumendas fecit? Anne dicendum est, proprietatem Mummiæ Spiritualis occultam, atque admirabilem Spiritus humani efficaciam in salubribus & pijs usibus esse ideò repudiandum, quoniam ipsa corrumpendo in dispositionem venenosam converti queat? Vel estne bonus gladius & ad tutelam corporis ordinatus ideò reijciendus aut rumpendus, quoniam impius ipso virum bonum interfecit? Res bona malé applicata damnum afferre potest: Influentia & Lux Solis cœlestis, in quo situm est vitæ spiraculum, si malé à subjecto terrestri recipiatur, pravos ut plurimum effectus producere animadvertitur: Imò verò ipse Diabolus observat statuta anni & solaris cursus tempora, & tamen neque Sol, neque ullæ virtutes sive actus ipsius debent pro Diabolicis haberi. Simili plane modo, si descendamus à sphæra animali ad illam vegetabilem & mineralem, percipiemus, Magam sive in cantatricem illam famigerabilem Medeam, usum in suis incantamentis specialem feciſſe (uti etiam hoc idem traditur de alijs veneficis & necromanticis) de herbis, lapidibus & mineralibus, sine quorum naturalium ope, nec ipsa, nec ejus Dæmon, qui secretas eorum virtutes & effectus illi revelavit, quicquam in sua arte ad desideria sua iniqua perpetranda præstare potuerunt. Atque ob istam rationē (uti ab Ovidio colligimus) alta montis Atæ cacumina peragravit ipsa, ut herbas suo proposito inservientes ibidem colligeret. Sunt magorum quàm plurimi, qui, occulta proprietate & virtute lapidum, ijs à Diabolo revelatorum, Cacomagicos suos producunt effectus, tametsi ipli Stellarum influentias, quæ

lapidibus illis dant vires, atque tempora earum collectionis atque præparationis ad tales effectus producendos prorsus ignorant. Exempli gratia fuit venefica quædam seu saga in Scotia, quæ in sua examinatione fassa est, se proprietate quadam lapidis occulta, qui ab ea tunc temporis ablatus erat, potuisse quæstionem quamlibet resolvere: Dixit enim, quod, si res petita esset vera, lapis statim Sudorem emitteret; At si esset falsa, tunc sudorem nullum apparere: Etiam dixit, lapidem istum, res multas sibi per ejus de colore in colorē mutatione revelasse. Denique, quando astantes aliquot de hac re experimentum ex optarent, respondet, se velle id libenter facere, modò si lapidem illum suum sibi concederent: Sed ipsi timentes, ne auxilio illius è manibus eorum evaderet, hanc ei petitionem prorsus negarunt: Hoc factum fuit à Quœns Fery in Scotia. Alij à Diabolo instruuntur, ut metallum aliquod eligant, illudque sub constellatione quadam apta præparent & in eo Characteres Stellæ, cui subest, insculpant, nomenque Angeli seu Intelligentiæ, quæ est Domina illius Stellæ describant, hocque eo precipué tempore tentant, dum Stella illa in cœlo sit fortior & potentior & ab impedimentis aliorum planetarum magis libera; & tunc inveniunt, ejusmodi laminas metallicas esse in operatione Magica admodùm efficaces. Quid? Quoniam Diabolus novit virtutes & proprietates harum rerum naturalium & potens est ministros suos in malo earum usu instruere, Anne ideò sequitur, Adamum, Salomonem & Sapientes ab Oriente venientes, ac quàm plurimos alios bonos & pios homines talibus simplicium naturalium virtutibus, temporibus electionis & collectionis, & modis applicationum ipsorum in re Bona & licita; Imò verò & si justa se offerat occasio in sensu contrario, idque sine limitum naturæ aut Magiæ licitæ transgressione, fuisse ignaros, cùm verum istius operationis subjectum sit sapientiæ Spiritus, qui est basis sive fundamentum naturalis Philosophiæ, quid facimus nos de modo, quo Moyses est usus in dispergendo illos cineres, qui ulcera Ægyptiaca non sine habitantium stupore produxerunt. Sed alij replicabunt & dicent, hoc fuisse more supernaturali effectum: At inspiciant velim in occulta naturarum animalium, vegetabilium & mineralium secreta & mysteria adeò mirabilia, ac sunt ista in ipsis naturaliter comprehensa, omni commercij Diabolici suspicione sepositа, invenient. Anne habendus est Pater ille reverendus Albertus Magnus pro Cacomago, quia abstrusas, occultas ac mysticas animalium, vegetabilium atque lapidum virtutes detexit? (Hoc idem etiam Hermes, Plato, atque alij profundissimi Philosophi fecerunt) aut debent isti inter ministeclas Diaboli numerari, quoniam noverunt tempora seu horas collectionis & modum præparationis earum? Minimè Herclé: Nam arcana ista à Philosophorum seu sapientum profundorum traditione acceperunt, qualis erat Adam, Salomon, Hermes atque alij istiusmodi veri Magi, qui talia mysteria traditione Cabalistica de seculo in seculum reliquerunt mundo. Nonne erat miranda in annulo Gygis proprietas, quæ ipsum quandoque invisibilem reddidit? Et tamen homines istius mundi ignorantiâ occæcati volunt, hujusmodi in creaturis effectus à Diabolo, & non mirifica verbi Divini operatione procedere. Vnde videntur Omnipotentem Dei Spiritum suo honore privare, utcunque Salomon verbis apertis fatetur, se omnia secreta, electionis tempora & mysticas Stellarum naturas & occultas virtutes ac proprietates animalium, plantarum, radicum & rerum omnium aliarum, tam occultarum, quàm manifestarum à Solo Spiritu sapientiæ accepisse, unde sermonem illum verbis istis concludit. Omnium enim, opifex (ait) me docuit sapientia. Quibus verbis inferre videtur; Primùm, quòd Spiritus Sapientiæ detegat atque aperiat homini, abstrusa Philosophiæ veræ Mysteria, quæ consistit in cognitione & revelatione naturalium virtutum, tam in superioribus, quàm in inferiòribus. Secundò, quòd sit hic idem spiritus, qui tales animalibus, vegetabilibus & mineralibus infernè, indidit virtutes & mediatibus illis per omnia operatur. Quod, cũ ita sit, quid obsecro, in creando virtutes essentiales potest Diabolus ad Stratagemata seu facinora sua perpetranda, quàm ipse homo? Cùm homo sit creatura rationalis æquè ac Diabolus? Aut cur illi attribueremus nos illa, quæ in rei veritate, spectant ad spiritum omnia creantem & operantem in creatura interna? Si hominis sit iniquitatem alicujus actionis Diabolo arrogare, qui hominem ad malum instigat, eumque ostendit modum, ad malas & iniquas suas voluntates exequendas, hoc quidem rite ad ipsum Diabolum spectat, quippe qui creatus est ad destruendum (ut ait Propheta Esaias) atque ad hujusmodi suum officium complendum, ei in usum veniunt creaturæ à Deo creatæ. Nam usum ignis Dei cœlestis adhibuit ad destruendas Bestias Iobi, ad eruendam domum, destruendos ejus filios, & ad corumpendum aërem, ut peste ea, Israëlitas ob peccatum Davidis interficeret. Nec quidem erat unquam observatum, quicquam per se adversus hominem, præterquam, quod Spiritum humanum tentando atque seducendo & phantasiam hominis portentis prestigiosis deludendo, patrare potuerit. Verùm observatur semper, aut mediante malo creaturarum usu, mortalium corpora destruere, aut ea reddere insalubria & morbida. Nam modis & vijs talibus Antipathizantibus naturalibus, hoc est, creaturis, quæ sunt natura & conditio-

Sap. 7.

ditione rei, malo afficiendæ contrariæ, operatur, tametsi Deus creaturas tales Antipathizantes pro usu hominis salubriori & magis directo creaverit. Concludo igitur, necesse esse, ut Cacomagi ac venefici nihil mali alicui imponere possint, nisi operentur per substantiam creaturæ realem & manifestam, cujusmodi sunt pulveres, unguenta, herbæ & similia. Exempli gratia Claudea, Fellea, Ioan, Banno & Nichola Piscatrix cum tota sua societate confessæ sunt in Lotharingia 9. May 1581. à Diabolo sibi traditos fuisse pulveres detriplici conditione, qui colore etiam erant distincti: Nam (inquiunt) ille pulvis niger interficit aspergendo eum super cibos, aut fricando corpus cum eo, aut aspergendo illum super vestimenta: At ille rubicundi coloris, morbos & infirmitates parit: Pulvis verò albus solet morbos illos curare, quos peperit ille rubens: Atque Odella Boncuriona examinata 18. Ianuarij 1586. Dixit, morem esse veneficis sui ordinis & conditionis, pulverem quendam in via dispergere, per quam ipsi progrederentur, quos odio persequerentur. Et Francisca Perine fassa est die 4. Novembris 1588. Herbam quandam traditam esse sibi à Diabolo, ut in via poneretur, per quam Riberianus iret, (quia pyra ejus furto sustulerat) cujus virulentia is statim ægrotavit: Franciscus Follers, Margarita Warny & Iacobit Equine confessæ sunt 15. Ianuarij 1584. se habuisse unguenta, quibus illiverint Virgas & flagella; Adeò, ut, si cum illis solam vestem alicujus tangerēt, necessum fuerit, ut ipse paulò post moreretur. Etiam dixerunt, quòd si manus suas hoc unguento Magico perunxissent, si vestimenta cujuspiam tangerent, intra paucos post dies morerentur. Atque ex his exemplis videre potestis, quomodò Diabolus realiter malum operari nesciet, nisi Solis venenis à creaturis desumptis: Nihil enim veritatis ab eo solo provenire potest, sed meræ deluſiones atque apparitiones præstigiosæ, nimirum eæ, quæ videntur & tamen in effectu rei veritate nihil magis sunt, quàm imago depicta respectu veræ substantiæ. Atque ideò, ne jactitent velim ministri, Diaboli, istiusmodi in natura admiranda provenire ex mera Diaboli inventione sive actu ejus solo: Nam veri Alchymistæ testantur ex propria sua experientia & praxi, materiam suam, quando manet in putrefactione & nigerrimum acquirat colorem, esse Tyreo Serpente venenosiorem, & per consequens subitò interficere, quare admonent operatores, ut à fumis ipsius pracaveant: At verò quando apparet in decoquendo inter rubedinem & albedinem, patientem inter mortem & sanitatem, atque ideò in statum morbidum reducit; Verùm in actu suæ albedinis, quæ significat perfectionem in maturitate, infirmitates curat & malitiæ illi prævenit quam pulvis niger induxit; Ita ut videre liceat, Diabolum non posse plus ex naturæ mysterijs elicere, quàm generi humano datum est cognoscere. Iterum, ad pulveris istiusmodi exitialis per plateas Mediolanenses quod spectat, traditum est, illud factum esse anno 1629. Pro unguento vero lethali, quod solo contactu interficere solet, hoc composuerunt Iudæus atque Cardinales anteà allegati, ut creaturas Dei æquè ac Diabolos violarent. Ac iterum hoc ab Eremita more impio erat effectum, qui marculos portarum cum ijs (ut dictum est) in fecit, atque ipse etiam suum secum habuit Alexipharmacum, æque ac Diabolus & Cacomagici ejus discipuli. Ex istis ergo videre potestis, hominem mente seu animo impio præditum, &, ad creaturis Dei bonis nocendum inclinatum esse, tam pronum, ac Diabolum ad herbas, animalia & mineralia à vero illo sensu ob quem à Deo sunt creata, videlicet ad beneficium humanum vertenda: Quare & meritò inter Diabolos numerari potest, atque nomine Diaboli incarnati insigniri, eò quòd ipse carne ac ossibus indutus, sine ope Diaboli multas inveniat destruendi & veneno interficiendi vias: Haud aliter, quàm Diabolus, spiritualis, hoc est carne & ossibus destitutus.

Nol. Pennigi. de Daemonologia. fol.

Concludo igitur, magnam esse in mundanis incredulis absurditatem & dementiam, abstrusa & arcana Dei in creaturis magnalia, tanta temeritate & audaciâ & pro inventionibus atque actionibus Diaboli habere atque mundo publicare, etiam si eorum effectus, quo ad nos sint pernitiosi, & multò magis, cùm sint boni & salutiferi, ac est ille unguenti armarij, cùm non modo ipsi Deo, sed etiam hominibus intellectu vero fruentibus, quod sit creatura animalis, vegetabilis, aut mineralis, quæ producat effectus insalubres & lugubres per abusum, atque illos bonos in debita & appropriata eorum facultate, quæ ordinata erat originaliter à Deo pro beneficio & salute generis humani. Nam Deus creavit omnes creaturas bonas, & per consequens ad bonos usus: Sed est malitia Diaboli, quæ eas divertit de proposito à Creatore ordinato, juxta illud Salomonis. Creavit Deus, ut essent omnia, & sanabiles fecit nationes orbis terrarum, & non est in illis medicamentum exterminij, nec inferorum regnum in terra, creavitque hominem inexterminabilem & ad imaginem similitudinis suæ fecit eum, invidiâ autem Diaboli mors introivit in orbem terrarum &c. Nam sciendum est, ante lapsum Adæ omnia fuisse directé & justè sumpta, atque ideò minimè à vero tramite fuisse detorta: Sed, postquam de arbore boni & mali gustasset ipse, oculi ejus corporei fuerunt aperti, & creaturæ tam pro malo, quàm pro bono distinguebantur & in utrumque usū fuerunt conversæ: Nam ab illa hora mysterium tam iniquitatis, quàm justitiæ in

Sap. 1. Sap 2. 24.

mundo regnare occœpit, & malum primo in mundum post lapsum ingressu, seu limine, incepit se bonitati, ac virtuti apponere, atque in illa praxi seu conflictu primordiali, injustitia & vitium adversus justitiam ac virtutem prævalebant. Hic ergo videre possumus, in principio omnium, Diabolum seu serpentem, fundamentum totius mali, mediante re naturali, nimirum pomo posuisse; Ac deinde fuste ligneo, quo Cain injustus, occidit suum fratrem justum Abelem; Cùm è regione & in sensu contrario, hoc lignum, in forma crucis (arguentis oppositionem illam, quæ in hoc mundo facta est inter bonum & malum) erat instrumentum mortis ipsius, sine qua nulla erat salvationis aut redemptionis certitudo.

Ex his ergo animadvertimus, omnes operationes occultas, procedere à virtute in rebus naturalibus seu creaturis occulta, quæ à Spiritu Divino erat à Deo tam generi humano detecta, quàm ab acuta Satanæ observatione concepta. Bonis, inquam, hominibus à bono Dei Spiritu erat detecta ad benefaciendum & malo resistendū. Nam, nisi prava creaturæ dispositio cognoscatur, alexipharmacon seu Antidotus ad ejusdem curationem vix haberi potest: At malis etiam quandoque à Diabolo ad malefaciendum & iniquitatem exequendam revelantur. Enumerabo autem nonnullas virtutes abstrusas in tribus creaturarum compositarum regnis, nimirum animali, vegetabili & minerali. Inprimis ergo in regno animali, bubo dictus est ab Alberto Magno plures in se continere virtutes: Nam, inquit, si cor ejus ac pes dexter ponantur super hominem dormientem, ipse protinus in somno aperiet, quicquid ab ipso factum est, aut quodcunque ab eo petieritis; Dicitque hoc pro vero à quibusdam suis fratribus fuisse repertum: Atque iterum, si ipsi sub axilla disponantur, nullus canis adversus cum latrare ausus erit. Etiam sanguis capri traditur vitrum reddere non modò malleabile, sed etiam instar pastæ, molle, modo si vitrum in eo cum acete coquatur; Ita, ut si contra parietem projiciatur, non frangetur. Et, si quis faciat unguentum de eadem compositione & faciem cum illo illinat, res ei terribiles apparebunt: Et si illius compositionis portio igni imponatur, & sit aliquis præsens, qui laborat Epilepsia, & magnes eum tangat, subitò in paroxysmum Epilepticum cadet, quasi mortuus: At si aqua frigida ei ad bibendum adhibeatur, statim resurget: Hæc ille. Præterà ait, quòd, si candela sanguine Cameli inungatur, omnes homines loci, capitibus Camelorum imbui videbuntur. Atque ita procedit ipse in Historia illa sua cum admirabilium illorum descriptionibus, quæ ab occultis Bestiarum, vegetabilium & lapidum proprietatibus efficiuntur. Si M. Festerus cum suis socijs replicabit & dicet, hæc omnia esse puta mendacia. Respondeo ego, fuisse Philosophum doctissimum, atque Theologum famâ celebratum, illorum authorem, qui ista fide sua tradidit: & haud dubio (si ad hæc inter vivos fuisset superstes) affirmaret, ipsos oportere prius addiscere atque intelligere veras electionis horas, in quibus simplicia illa colligi debent, atque etiam scire stellas, quæ in ea Dominium habent, cum temporibus majoris earum fortitudinis & exaltationis in cœlis. Ad me autem quod attinet, fateor me secreta in homine & brutis haud ignorare admirabilia, quorum omnium Peripatetici nullam planè rationem sufficientem reddere possunt: Exempli gratia, quòd lucij pisces intestina desiccata, urinam potenter provocent, quòd Epilepsia possit suctione seu attractione sanguinis, à naso Talpæ excisо, curari, & quòd post deglutitionem illius sanguinis patiens præter modum ægrotabit, quemadmodum experientiâ nonnullorum & inter reliquos, cujusdam nobilissimæ fœminæ comitatus Cantiæ docemur. Etiam quòd Talpa combusta & in pulverem redacta habeat occultam quandam virtutem passionem Colicam expellendi: Quòd cor & hepar ranæ sit medicamentum Epilepsiæ curationi appropriatum: Quòd exuviæ serpentum, partum muliebrem expellunt: Quòd menstrua in muliere epota lepram inducant: Quòd bufo combustus sanguinem præter modum fluentem sistat: Atque etiam aranea viva, si modò naribus adhibeatur. Hæc omnia ego cum multis alys suum expertus.

Pro alijs occultis lapidum, metallorum, herbarum atque animalium virtutibus veri Salomonis discipuli & imitatores, Hermes, Plato, Thebith, Albertus Magnus, Dioscorides & alij, eas nos docent abundè. Qui omnes procul dubio non ita stulti ac veritate inanes atque frivoli viderentur, ut mendacia tam ingentia, aut tantas impossibilitates mundo publicarent, nec falsò asseverarent, res istas in eorum cognitione fuisse ad exitum perductas: Atque ita hac ratione, illam inter mundanos reputationem, quam sibi sapientiâ suâ insigni comparaverunt, more tam stolido amittere. Verùm jam ad pleni negotij hujus nostri praxin, nimirum ad illum Sympatheticum & Antipatheticum respectum, qui est inter varias Mummiarum corporis humani species & ocularem demonstrationem à Magnetis proprietate productam, me conferam; Atque in animo meo erit, plura in hoc ultimo libro vobis demonstrando probare, quàm aliquis alius ad hunc usque diem effecit unquam.

LIBER TERTIVS.

In quo probationes practicæ & conclusiones experimentales, ad confirmandam Sympatheticam microcosmi attractionem sive coitionem, atque Antipatheticam seu odibilem expulsionem per proprietates lapidis Magnetis Macrocosmici pertractantur.

Authoris ad præsentem istum librum Procœmium, in quo ea, quæ anteà sunt dicta remetiuntur paucis.

VObis in discursu hoc meo præcedente recitavi, atque demonstratione sufficienti probavi, Spiritualem, Christum, sive verbum Divinum seu sapientiam æternam esse veram Philosophiæ essentialis Basin seu fundamentum ; Vt pote, qui est securus & nunquam deficiens
Ioel 2.1. lapis Angularis, in quo & super quem tota creatura consistit atque ædificatur, quatenus in eo existit vita, & illa vita est Lux illa essentialis,
1.1. quæ vivificat omnia , & per consequens operatur omnia in omnibus,
1 it.6. uti scriptura verbis expressis testatur. Nam, si Spiritus Domini vitam
1 Cor.12. & inspirationem & omnia vitæ creaturæ impertit : Atque iterum, si il-
1.7. le Spiritus orbem terrarum impleat , atque rei cuilibet hujus mundi
5.1. insit, ut scribit Salomon; Tunc necesse est, ut agnoscamus, quod Spiri-
5.12.1. tus cujusllibet rei specificæ centralis sit illa Divinitas, in qua radix essentialis omnis Magneticæ attractionis & Antipatheticæ expulsionis consistit : Nam, cùm ipse sit Catholicus ille amor, qui cuilibet particulari existentiæ se impertit, eique actionem & motionem assignat, quo naturam sibi similem ad se, nutritionis, assistentiæ atque consolationis gratiâ alliciat, ita quidem organum, in quo operatur satis forte & validum reddit, ad emanationes tales expellendas & propulsandas, quæ ei vel ordine, vel qualitate, vel essentia dissentiunt, aut se specificæ suæ existentiæ & conservationi opponunt, aut damnum aliquod inferre conantur. Obistam igitur rationem, Spiritus iste, creaturam affectione duplici, nimirum desiderio concupiscibili & odio irascibili induebat, quorum hoc, cogaudet, & Sympathizare solet cum suo simili , atque ideo illud ad se ad suam assistentiam & consolationem allicit & attrahit, illud, per aspectum odiosum seu Antipatheticum, evitat atque expellit , quòd ei sit natura oppositum aut nocuum. Atque iste est actus Sapientiæ illius omnia creantis & sustinentis , quæ creavit quamlibet creaturam successiva quadam præservatione, quam à suo simili, ut existat in hoc mundo, attrahit , & consequenter ei etiam facultatem irascibilem concessit , ut se à rebus ei in natura contrarijs muniret & defenderet : Quibus videre possumus, quomodò Spiritus iste vivificans omnia manu minimé parcâ moderetur ; Adeò , ut , tametsi omnia per oppositionem, nimirum lucem & tenebras creaverit, atque ideò in respectu humano bonum & malum , tamen ordinavit ac disposuit , ut quodlibet individuum indueretur facultate irascibili , atque odio Antipathetico ad evitandum & effugiendum malum , hoc est, sibi vel ordine, vel natura, vel ambobus adversum , quousque tempus illud compleatur, in quo, post ejus exaltationem, omnem contrarietatem & discordiam, per unionis firmæ stabilitionem, ex mundis utrisque evacuaverit : Quod etiam D. Paulus videtur sic confirmare: Cùm evacuerit omnem Principatum & potestatem & virtutem, oportet eum regnare, donec ponat omnes immicos sub pedibus suis: Novissima autē inimica
Cor. 15. destruetur mors, omnia enim subjecit pedibus ejus; Cùm autem ei subjecta fuerint omnia, tunc & ipse Filius subjectus erit illi , qui subjecit

illi omnia, ut sit Deus, omnia in omnibus &c. Ista Catholica virtus
Iohan.12. Magnetica agnoscitur à Spiritu, in Christo, ex istis verbis: Si exaltatus fuero a terra, omnia traham ad me ipsum &c. Ac si dixisset: Ego, attractivâ & Magneticâ meâ virtute & unione reducam omnia in unionem atque identitatem meam, hoc est, in meam propriam naturam
Apocal. ea inseram. Ecce (inquit Textus alibi) omnia nova facio &c. Quibus liquet, quòd, ut initio omnia ab uno sunt orta, utpote in eo implicitè comprehensa, & tum posteà in explicita eorum existentia, sub duobus Principijs contrarijs continentur: Ita quidem in fine omnia sub Principijs discordantibus comprehensa, in unum & idem radicale Principium reducentur. Sed adhuc Principijs contrarijs subijcimur: Nam totus mundus cum membris ejusdem ex lite & concordia ex inimicitia & amicitia, ex tenebris & luce, ex bono & malo componuntur, atque ideò sub unius istius sapientiæ Divinæ protectione existunt, quæ gubernat omnia, & conatur victoriam super confusionem atque discordiam habere. Vt tandem pax atque unio sive consensus universalis fieri queat in isto mundo, & consequenter, ut res omnes revertantur in ipsam, in ipsa vivant, & cum ea uniantur, quæ est unica & sola Charitas; Ipsa creatura habet potestatem efficere consensum Symphoniacum cum suo simili, atque è regione, ut irascibili seu Antipathetica quadam proprietate suum contrarium aut evitet, aut summo conamine repellat.

Iam verò cùm Spiritus iste insit omnibus, atque ideò in re qualibet specifica, sequitur consequenter, quód attrahat illud Sympatheticé, quod est conservativũ suæ naturæ & conditioni in qualibet re specifica ex animali, vegetabili, & minerali regno: & expellit Antipatheticé, ab ea, quod est nocivum, odibile, & detestabile, seu dispositioni suæ est contrarium: Atque huc usque, quod ad abbreviationem præcedentis meæ Sympatheticæ ac Antipatheticæ Theoriæ spectat. Iam verò me in utriusque earum praxin parumper immergam, ut hac ratione facilius ad credendum inducaris, quod talia, quæ Theoricé à nobis sunt anteà propalata, sint efficacia, praxin realem lemiter (contra vanam, insipientum nonnullorum hujusmundi opinionem) idque naturaliter, hoc est, sine ulla Cacomagica aut Diabolica operatione producendam. Procedam, igitur ad propositum meum, atque ut Magis Methodicé incedam librum hunc in duo membra diversa distinguam, quorum prius Sympatheticos pertractabit effectus: Posterius eventus illos Antipatheticos, qui Magneticé in regno animali vegetabili & minerali proferuntur, breviter explicabit.

LIBRI TERTII Membrum. I.

In quo effectus in Sympathia mirabiles, qui Magnetica, attractione similis ad simile perficiuntur, lucidé pertractantur.

CAPVT. I.

In hoc exprimitur, quemodò per quandam comparationem Magnetis mineralis & virtutum ejusdem attractivarum, cum illis animalium & vegetabilium in lucem demonstrabilem proferre queamus, admirabiles illos effectus, qui in ipsis ambobus delitescunt.

CVm sit res observatione inter sapientes digna, nihil esse in regno cœlesti, quod suum in illo terrestri non habeat simile, ita quidem nihil est in regno minerali, quod suo simili in regno vegetabili non fruitur: Atque iterum, sphæræ Vegetabilis imago tam in amore & odio, sive in attractione & evitatione seu unione & divortio in animali est reperienda: Sed, quoniam in regno minerali nihil in virtute actioni & vitæ animalium propinquiùs ipso lapide Magnete reperitur, quatenus suum simile ferreum sensibiliter affectat, illudque amore concupiscibili prosequitur, nec non illud avidé attrahit, ac tandem se more mirabili cum eo instar maris ac fœminæ in regno animali conjungit & unit. Propter istam rationem omne simile in animali vel vegetabili regno, quod secũdum hunc modum, nimirum in suo simili attrahendo operatur, haud injuria Magneticum dicitatur. Hinc inde Paracelsus in istiusmodi Mysterijs versatissimus, cum de mummijs Mysticis tam corporalibus, quàm Spirituralibus facit mentionem, atque etiam de vijs & modis activis ad eas tam ex corpore vivo, quàm mortuo extrahendas, ipse pro meliori suorum discipulorum instructione, atque etiam talium, quos artis filios nuncupat, exempla à lapide Magnetis & ferro deprompta producit: Nam per ipsos talium Mummiarum extrahendarum modum satis claré denotat; & per consequens suo more, quid sit animalis & microcosmicus Magnes, mediante quo, Mummia microcosmica è suo corpore elicitur, explicat, videlicet, quòd sit res seu substantia quædam corporea, quemadmodum ex istis ipsius verbis colligere, fas est: Mummia (inquit) Spiritualis non operatur; Nisi per corporalia media: Quibus arguit modos corporeos, seu Magnetica illa corpora, quæ Mummiam hanc ex corpore animalis viventis extrahere solent, eamque operari faciunt tam domi per contactum immediatum, quàm aliunde & ad distans; imò quidem ad intervallum incognitum, idque mediante transplantatione debita. Ille ergo, qui sapit, & in mysterijs naturæ profundus, & cui Sympathetica concordantia, abstrusa proprietas, natura, virtus & Magnetis atque ferri origo, sunt bene notæ, agnoscet procul dubio, quòd eorum Exempla homini possint quàm aptissimè conferri: Nam, per eas, Magnetem microcosmicum facilimè discernere, rationemque extractionis Mummiæ Spiritualis ex homine intelligere, ac simul atque illius usum & finem ad salutem humanam destinatum concipere potest: Vt igitur res illæ, melius lectori dilatentur atque enucleentur, operæ pretium existimo, ut in primo loco chordam eandem concordantiæ Symphoniacæ percutiam, quæ naturam ac originem lapidis Magnetis, atque ferream concernit, quam aliquantulum pleniùs libro meo præcedenti tetigi, ut exinde majori cum facilitate, qui nam sint Magnetes microcosmici, colligamus.

Vt in capite 3. lib. 2. istius tractatus vobis patefeci, quod esset evidens, lapidem ipsum Magnetem sive Calamitam, ex origine aliqua naturali minimé processisse, sed potiùs ex partu seu initio monstroso, quippe qui, ut ab effecto videtur, ad instar mulii ex genitoribus seu parentibus dissimilibus atque naturâ inæqualibus procreatur, cùm ejus Mater, seu massa corporea passiva, apparet evidenter, esse quædam Saturnina Mercurialis substantia, ejus verò Pater sive forma magis activa Spiritus metallicus, Sulphureus & Martialis. Iam verò modus, secundum quem mixtio horum duorum fit, est hujusmodi: Cùm Saturninus Mercurialis liquor lapideæ naturæ, esset adhuc in sua prima materia propinquus Mercurio Martis (nam hi duo communiter inveniuntur simul & in eadem miniera, videlicet natura Magnetica & ferrea miniera) ob istam rationem, nimirum ratione propinquitatis

eorum in consanguinitate (ut ita dicam) seu existentia, non nisi levis ac facilis requirebatur, ad ambos in unum corpus colligandos, transmutatio : Atque hinc est, quòd naturam inter metallum ac lapidem mediam, retineat : Vnde haud ineptè Mercurius Saturninus semi transmutatus dici potest, in quem, quando Sulphur Martiale, quasi forma Metallica ingreditur, illum pro Matre sua, passivè habet, ut pote, qui ipsum in se conservat & in corpus saxeum coagulatur, quod calamita, seu lapis Magnes nuncupatur. At, quoniam quilibet Spiritus ab eo, quod propinquius & similius est suæ naturæ, affectat & appetit nutriri, quæ natura & Spiritus præcipuè in ferro invenitur, imò verò ferrum & Chalybem perfectissima ab eadem miniera seu matrice provenire, nimirum ex corpore Magnetico observatur; Necesse habemus credere ex ejusmodi consideratione, quòd Martialis ac Saturninus Spiritus Magnetis, ad se, idque à centro suo corpus ferreum attrahat ac fugat formales suos radios, quasi Spirituale suum nutrimentum ab eo extrahendo : Sed, quoniam ferreum corpus non tam citò relinquet Spiritum suum internum, ideò sequitur, simul cum suo Spiritu attrahi ad Magnetem: (experientiâ enim docemur, quòd Magnes à ferri Spiritibus nutriatur & in suo vigore augeatur) atque iterum, ipsum ferrum Spiritus sibi similes in Magnete reperiens, appetit pariter æquali coitione, ut ipsorum fieret particeps atque in conjunctio sive unio haud aliter inter eos est facta, quàm inter marem & fœminam. Sed, quoniam Magnes est Mercurio lapideo Saturnino plenior quàm ferrum, quippe quod ab illa superflua materia virtute ignis emundatur atque purificatur magis & per consequens propinquiùs ad naturam masculi accedit, ideò Magnetem ad se non tam avidè, quam Magnes affugit : Est enim vetus & bene confirmatum axioma, quod materia desiderat & appetit formam, eamque tam avidè ad se allicit & amplectitur, ac fœmina solet masculum. At verò, quòd ferrum sit loco masculi, in eo liquet, quoniam virtutem & vires addit Magneti : Nam si polus Magnetis Chalybe seu ferro armetur, eum longè ultra propriam suam naturam animat, nam in causa est, quòd lapis pondus ferri longè gravius ad se attrahat, quàm potuit sine suo ferreo additamento præstare. Hoc igitur rectè considerato, cum majore facilitate colligere possumus, quidnam rei & qualis conditionis Magnes ille Microcosmicus esse debeat, qui Spiritum seu mummiam Spiritualem microcosmi, omni sine damno aut corporis detrimento aut debilitate extrahere potest. Si ergo opus hoc admiratione dignum aggredi velimus, necesse est hoc faciamus cum Magnete Corporali ex homine vivo extracto, cujus productio & generatio debet in omni respectu illo terreno & minerali microcosmi convenire, de quo anteà amplam fecimus mentionem : Quem quidem hoc in loco apertè nominare mihi ideò non proposui, sed solis circumstantijs insinuare, ut ista ratione à virtute ac honestate dignis & veræ Philosophiæ peritis percipiatur, atque ab indignorum, malignorum, stolidorum turba absondatur: Nam, ut mediante hac re, Magna saluti humanæ utilitas afferri potest, ita etiam è regione vires ipsius ad sensum malevolum, mala multa proferri, & scelera haud in republica tolerabilia patrari possunt. Sufficiet igitur Sapientibus intelligere, quòd sit res quædam, ex corpore sine violentia extracta, quæ terream, mercurialem ac Saturninam existentiam habet, à Martiali, seu sulphurea atque cholerica forma, ad instar Magnetis mineralis, imbuta sive animata, quæ post debitam præparationem habebit virtutem specificam extrahendi Mummiam Spiritualem, tam sanam, quàm infectam à corpore microcosmico, quæ tum posteà ad distantiam à patiente transferri aut trans plantari potest.

Velim autem, ut quilibet intelligens Philosophus, sciat, quòd natura omnium rerum Magnetica, tam Antipathetica, quàm Sympathetica solummodò in Sulphurea virtute Spirituum vitalium consistat, qui ratione suæ incarcerationis apti seu prompti sunt, suum simile per contractionem sui ipsius à circumferentia ad centrum attrahere : Ita quidem animale, vegetabile & minerale subjectum, quod est immeditatum Spiritus Sulphurei receptaculum, quadratione suæ puræ Saturninæ Merculialis terræ, suum simile ad circumferentiam virtute actus Spirituum inclusorum attrahit, quo mediante, vegetant tam in aëre, quàm in volatili eorum sale, quod Saturnina & Boreali quadam conditione ad instar nivis condensatur & pruinæ, in æthereo & cœlesti eorum igne, quo vivunt. Atque iterum Spiritus Sulphureus retrovolat, vel radios suos in sal suum centrale reflectit, postquam à centro ad circumferentiam emanaverit, ratione accidentium Borealium, videlicet frigore externo, uti in igneis seu cœlestibus seminarijs aëri instrumenti nostri experimentalis inclusis apparet, quippe qui cum spirante Borea vel vento Boreali, ideò contrahitur, quia Spiritus Sulphuris sive ignis cœlestis, qui ei inest, olim calore expansus, jã frigoris suæ naturæ oppositi insultus evitando, se ipsũ in aëris inclusi centrum recolligit, & quasi nebula aërea involuit, ut melius à frigoris inclementia muniatur. Nã (ut in posterũ Magnetica quadam demonstratione docebitur) Sulphureus æquator est polis frigidis Mercurialibus admodum adversus. Etiam in corpore humano, dum Botealis sive stupidus quidam pavor illud obsedit,

sedit, Spiritus vitæ sulphureus observatur se à circumferentia ad centrum contrahere, atque hac ratione exanguis pallor seu luror, aspectum faciei & universi corporis externum occupare notatur: At verò motus istiusmodi Spirituum retrogradus, est Antipatheticus, & à passione contranaturali efficitur, Iterum, Sulphurei illi Spiritus libertate adepta se ipsas dilatant & expandunt in aërem apertum; Vt pote, qui nullum habent Magnetem evidentem ad eos vel centraliter attrahendos vel in locum arctiorem contrahendos.

Concludimus igitur, quòd Magnes microcosmicus debet egredi, vel originem suam habere à sulphureo microcosmico Spiritu in suo proprio sale, in quo consistit ejus forma, & à Mercurio magis extraneo atque alieno, qui ratione suæ vicinitatis & propinquitatis, ad ejus minieram est magis familiaris cum eo, & quasi adeptione ei alligatus: Atque iste Mercurius, est materia hujus Magnetis passiva: Quare ex istis duabus Microcosmi vivi portionibus, nimirum formali & materiali, Magnes iste noster elicitur, quo mediante Mummia Spiritualis ex homine vivo extrahitur, cujus ope & actu mirabiles curationes simul atque damna pernicioſa possunt tam ad distans, quàm per contactum immediatum effici. Etiam ille internus Magnes, sive attractivum sal in homine, in cujus interno, Sulphureus Spiritus vivificans sedem suam habet, & ex cujus conditione & radice Magnes noster prædictus oritur, eosdem effectus salutares, atque quam plures alias raras conclusiones experimentales præstare potest, si à viva persona aut in Sanguine, aut unguibus, aut pilis hominis vivi transferatur, ac debito modo transplantetur, idque per effluxionem quandam insensibilem.

Est etiam & alius Magnes microcosmicus, qui ab hominis mortui cadavere desumitur, cujus ope Mummia Spiritualis ex homine vivo elici, & humanæ saluti, tam immediata applicatione, quàm transplantatione illius in vegetabile, nimirum in herbam vel arborem, conferre potest, ut infra dicetur clariùs. Sed, quoniam Methodus ac ordo harum rerum in ista nostra demonstratione à posteriori, hoc est retrogrediendo ab effectu ad causam originalem harum rerum, erit admodum capacitati humanæ conveniens, operam in ista mea explicatione dabo, ut à grossis Elementis ad magis subtilia & abstrusa ascendam; Ac si gradibus proportionis à terra ad astra me paulatim elevarem. In animo igitur meo est, ea loco priori vobis enucleare, atque Magneticè demonstrare, quæ per solum duorum corporum, unius ejusdemque naturæ & conditionis contactum perficiantur. Sed, priusquam incipiam cum illa Mummia, quæ extrahitur è corpore mortuo, maximè in loco priore, opinor, fore necessarium, ut aliquid de Cadaveris humani mysterio hoc in loco tradam, quo melius & magis Methodicè in sequentibus incedamus.

CAPVT. II.

Quod sint quatuor corporalis Mummiæ genera, quorum unum est salutare & in usum Medicinalem venit, in isto etiam capite experimentum quoddam cum quibusdam demonstrationibus ocularibus, ad Magneticam sive attractivam Spirituum Balsamicorum virtutem confirmandam, quæ mummiæ salutari inest, satis luculenter exprimitur.

QVi naturam tam internam, quàm externam hominis satis profundè considerarunt, hi certè perceperunt, Mummiam microcosmicam esse conditionis duplicis, corporalis scilicet & Spiritualis: De illa autem corporali meum erit in primis hoc in capite loqui: Alterius autem dispositionem pertractabo inferiùs. Ad illam corpoream quod spectat, est illa aut naturaliter Sympathetica aut innaturaliter Antipathetica: Invenimus ergo experientiâ docti, quòd Mummia corporalis naturalis, post debitam ejus præparationem, quæ propria sua proprietate Magnetica efficitur, sit tantummodò medicinalis & salutifera; Alia verò, nimirum illa innaturalis aptior est morbos & infirmitates parere & homines sanos inficere, quàm, ut ullum ipsis ægrotis aut remedium aut solamen afferre queat: Nam, ut juxta quatuor Elementorum naturas sunt quatuor corporales seu substantiales Mummiæ: Ita etiam ipsæ secundum Elementa illa, quorum naturis sunt indutæ distinguuntur, ex quibus illarum tres sunt corruptibiles, & morborum ac mortis productores, nempe illa terrea, aqueà, atque ignea; & solummodò illa, quæ est aërea est ad vitam humanam præservandam utilis, quippe naturæ humanæ amicabilis. Ad tres istas species, quæ corruptionem generant quod attinet, ratio cur ipsæ deveniant ita corruptæ, est hujus-

Pro axiomate in Philosophia generali habere debemus, quòd corruptum corrumpentis naturam induat: Exempli gratia, si cadaver hominis in terra corrumpatur, tunc mutatur & transit in naturam terræ, & pro salute humana inutile devenit; Imò quidem magis destructivum, quàm constructivum aut salutare redditur. Iterum, si corruptio fiat in aqua, tunc quidem caro corrupta aut corpus mortuum, aqua imbutum, acquiret & induet naturam mucilagineam; Atque ideò incommodum atque inutile pro conservatione vitalium spirituũ erit: Denique immoderatâ ignis violentia Spiritus in corpore Mummiali consumentur, & expirabunt. Iam verò ratio, cur Mummiæ dictæ corporales in tali statu sint pro sanitatis tuitione inconvenientes, est, quoniam illæ prædictæ tres ita destruunt & corrumpunt corpus earum, ut cogant ejus terram, aquam & ignem in suam propriam materiam reverti: Adeò, ut cum terra & aqua ordinantur esse duorum Elementorum, videlicet ignis & aëris receptacula, quæ ambo, solummodò in corpore in corrupto conservari possunt, debet necessariò sequi, quòd in tribus prædictis Mummijs, Spiritus illi vivificantes debeant evolare atque evanescere ob defectum corporis naturalis quod jam factum est corruptum, putridum & consequenter innaturale. Cùm igitur nihil requiratur in vera Mummia, quàm illud, quod aptum est ad vitæ conservationem, imò verò pro sola vita seu Spiritu, qui est aër, qui in exilium relegatur & expellitur à tribus prædictis Mummijs, ideò nihil ex ipsis extrahi potest, præter ægritudinem, mortem ac destructionem & consequenter effectus Antipatheticos: Ita, ut si corpus interfectum seu præfocatum, sanum corrumpatur sub terra aut in aqua, non erit idoneum aut proprium ad usum corporis humani salutarem: Ille idem respectus est corporibus talibus habendus, quæ ex infirmitate aliqua moriuntur, & quamvis hæc non sint visibiliter corrupta à tribus dictis Elementis externis, tamen nihilominus evenit aliquando, ut quædam invisibilis, corruptibilis influentia sive impressio, fiat aut causetur ab externo Elemento in interno. Hinc ergo procedit bellum illud intestinum, in corpore humano, quo Elementa se invicem interficiunt & corrumpunt, sed modo ac ratione planè diversa, aliter videlicet in uno corpore, quàm in alio, secundum quod unum Elementum vel Elementalis alteratio dicitur habere Dominium super aliam: Atque hæc est ratio, quòd tanta morborum varietas frequentet corpus humanum. Verbi gratie, Hydrops procedit à forti impressione aquarum; Febris Hectica & ardens ex igneis oriantur in sultibus; Ac lepra à Dominio terræ & fixa ejus salsedine &c. Atque ideò, ubicunque talis corruptio Elementaris corpori cuiquam accidit, ibi Salutaris Mummiæ corporalis spiritus, cum habitatione seu mansione ipsius funditus subvertitur, unde & spiritus coactus est discedere; ac per consequens spiritus, Mummiales contrarij prædominantur: & ad operandum Antipatheticè & destructivè præparantur & apti sunt: Quemadmodum in secundo libri hujus membro exprimetur latius. At verò si corpus sanum & infirmitatis expers per, vel in, Elemento aëris interficiatur, hoc est vel præfocatione, suspensione & hujusmodi, tunc nulla invenietur in eo cadavere dictorum Elementorum corrumpentium impressio, & propter hanc causam manebit in corruptum, nec aliquam resolutionem Elementarum tam diu permittet, quàm in aëre reservatur. Si ergo corpus seu Tabernaculum spirituum & Balsami vitalis maneat integrum, tunc aëreus vitæ Balsamus, non compelletur à sua mansione recedere, tam diu, quòd corpus seu cadaver nec natura nec arte dissolvatur. At si dissolvatur tunc corpus illud mortuum, relinquet utani ma atque etiam Spiritus astralis, qui unum cũ alia reconciliavit: Sed vitalis vegetabilis & Balsamicus Spiritus manet in corpore incorrupto. Sequitur ergo, quòd ista aërea species Mummiæ microcosmicæ sit maximè pro spirituum vitalium in homine vivo conservatione propria, si debito modo extrahatur, & præparetur, ac tandem à medico perito ægrotis adhibeatur. Iam verò ad experimenta nostra Magnetica, ad subjectum mummiale pertinentia accedam breviter.

PROPOSITIO.

Si ista salutaris Mummiæ aëreæ species cum suo vehiculo aut organo Magnetico rectè eligatur, induet ratione absentiæ vitæ activæ & Dominij frigoris, conditionem poli Borealis, & consequenter per rationem istam, illi Spiritus aërei inclusi, (qui dum corpus viveret, erant calidæ seu æquinoctialis naturæ, atque ideò magis dilativi à centro circumferentiam versus, quàm contractivi, jam verò per mortem coacti sunt agere & movere à circumferentia ad centrum) si à centro sint excitati, atque evocati à Spiritibus, qui sunt vivi & æquinoctiales tum redduntur ac fiunt attractivi & attrahunt sibi mummiam æquinoctialem, nimirum contrahendo eam versus suum centrum: Ac per consequens, ista aërea Microcosmica Mummia debet induere Magneticam proprietatem poli Borealis, atque ideò contactuali ejus applicatione, ad suum simile in homine vivente, fuget & attrahet avidè & valdè sensibiliter

liter naturã ſibi ſimilem illamque per attractionem introductam retinebit, ita, ut illa poſſit debita præparatione reddi Sympathetica, ac in optimi pro ſalute humana medicamẽti ſtatũ reduci: Vel è regione poteſt taliter ab impura & contagioſa Mummia creaturæ alicujus infirmæ corrumpi aut cõtaminari & Antipathetica fieri, ut mediante ea, morbus poſſit transferri ſeu trãſplantari ab una creatura, videlicet ab ea infectâ, ipſam relinquendo ſanam, ad aliã ſanam, ipſã coinquinando & efficiendo morbidam.

Experimentum ſuper hoc.

Ego ipſe accipiebam ſive eligebam portiunculam Mummiæ Borealis, videlicet Carnis hominis ſuſpenſi, in qua Mummia centralis inhabitabat centraliter, atque eam corporis mei parti applicui, quæ erat propinquior in ſitu naturali ad Mummiam applicatam; Ligavi eam loco ſatis firmiter per totam noctem, & inveni eam in primo contactu, valdé frigidam & inſtar glaciei Borealis gelidam, poſt quam autem per aliquod tempus ibidem remanſiſſet, percepi quidem in Spirituum ipſius congelatorum & Borealiter in centro contractorum, à calore corporis mei æquinoctiali, excitatione, aliquid ex meis Spiritibus Mummialibus & vivificis avidé attrahi & partes adjacentes quandoque ac quaſi per vices & acceſſiones, in operatione Magnetica ſenſibiliter & modo quodam doloroſo avelli ac contrahi. Denique poſt aliquod ſpatium, nimirum tempore matutino, removebam corporalẽ illam mortui Mummiam, eamque inveni valdè tam in odore, quam colore alteratam, ratione ſpirituum meorum quantitatis, quos ei attraxit, quos ambos ſpiritus, ita in unum more Magnetico congregatos, pro ſalubri corporis mei uſu præparavi atque reſervavi: Verùm, quoniam forſã aſſertio hæc mea, quibuſdã incredulis apparebit falſa, ego cujuſlibet hujus rei particularis ſeu membri poſſibilitatem, exemplis ſive demonſtrationibus comprobabo.

Prima demonſtratio, facta per relationem ad naturam microcoſmicam habitam.

AD probandum & demonſtrandum, quòd ſpiritus Microcoſmicus, non aliter quàm aër Macrocoſmicus ad quamlibet impreſſionem polarem induendam ſit aptus, & per conſequens magis attractivus & Magneticus in Boreali ſeu frigida ſua proprietate, quàm in habitu ſuo æquinoctiali ſeu Auſtrali, Machinam ſeu ſpeculum noſtrum experimentale intueri debemus, quod pro demonſtratione, Catholica, ad Philoſophiam meam ſectione prima deſcriptam, inſerviebat, quippe in quo percipiemus, quòd, quando venti æquinoctiales, nimirum aut Auſtralis aut Orientalis ſpirent, tunc aër vitro incluſus; Atque ideò ille excluſus Catholicus aër, eſt minus Magneticus ſeu attractivus, quàm cùm venti Boreales ſpirant. Atque hoc in eo evidenter probatur, eò, quòd, quando dicti venti ſpirant, aër internus & conſequenter ille externus aptior eſt ad ſe dilatandum, ratione emanationis ſpirituum illorum ſulphureorum ſeu cœleſtium à centro ad circumferentiam, qui in quolibet dictorum ſpirituum aëreorum inſeruntur: Nam tali emanatione facta eſt expulſio quædam, ſeu potiùs partium aërearum expanſio, per rarefactionem corporis earum: Atque ideò obſervetur in inſtrumento, quòd aër, dum flant venti calidi, aqua non aſcendet in collo vitri ultra ſignum ſeu figuram 1. ſed magis deorſum depellitur: è contrario verò, quando venti Boreales ſpirant, aër tam in elemento Catholico dilatatus, & mobilior redditus contractione condenſatur, & in nives, glaciem & pruinas immobiles redigitur, hoc eſt terream induit conditionem, ita ut videmus, aërem in hoc ſtatu eſſe admirabiliter contractivum: Quemadmodum ad vivum in inſtrumenti illius deſcriptione lib. 1. ſect. 1. hujus facta, depingitur: Nam ſpiritus vitro incluſus attrahit aquam ponderoſam incluſam ſurſum ſuper 1. & ſe conſtringit & coarctat in minus ſeu Auguſtius ſpacium: Vti redditur evidens, quando nives & pruinæ diu habuerunt in Macrocoſmo Dominium, in quo tempore aquam contra ſuam naturam uſque ad 7. colli machinæ ſeu vitri ſcandiſſe obſervabimus, cujus quidem rei rationem in præcedentibus indicavi: Nimirum, quia occulta ſulphurea natura ſpiritus, qui eſt Sol, lucis & in vita actor, in ſuo aëreo ſpiritu vectus, frigoris eum perſequentis inſultus evitat, ſeque aëre circa centralem ejus ſedem obducto & condenſato adverſus ſui inimici actus manet.

Eodem plané morè frigidi & congelati Mummiæ mortuæ ſpiritus, centraliter ob eandem rationem contracti & quaſi mortificati & congelati, per Mummiæ illius applicationem ad corporis vivi ſpiritus, quaſi frigidum, Borealem aërem ad Æquinoctialem ſeu Auſtralem ſolem, atque ita hominis vivi contactu excitati, atque evocati, avidè eos in vivo corpore, quaſi eorum opem & ſuppetias adverſus hoſtem ſuum frigidum implorando, attrahunt & poſſeſſione eorum videntur gaudere ac fortificari, & quodammodò ſatisfieri. Quòd autem hoc ſit ita exemplo iſte

demonſtrativo à Magnete deſumpto, facil- | limè, eo quo ſequitur modo, probabo.

2. *DEMONSTRATIO.*

Quod nec Spiritus in corpore mortui Spiritus mortuos, nec Spiritus in corpore vivi vivos ad ſe Magneticè niſi admodum | lenté & moderatè, attrahant, in hunc modum ex Magneticæ diſpoſitionis obſervatione arguitur.

PROBLEMA. 1.

Polus Auſtralis unius Magnetis, naturali quodam odio evitat polum auſtralem alterius, & nullo pacto ſe ſinent mutui amoris vinculis conjungi: Sed unus naturali quadam Antipathia effugiet contactum | alterius: At vero ſi polus Borealis unius, applicatur polo Auſtrali alterius, ſe invicem naturali inclinatione amplectentur, & forti attractione ſibi adhærebunt.

Exempli gratia.

Accipe Lapidem Magnetem, polis diſtinctis perſpectum, tam meridionali, quàm Boreali ſignatum, pone illum in parvulam cimbam ex ſubere confectam, vel in pelve vel dolio aqua repleto fluctuet, ſintque poli ad planum Horizont rectè diſpoſiti, aut ſaltem non multùm elevati & obliqui: Tene alterum lapidem, in manu, cujus poli ſunt etiam cogniti: Ita, ut Polus Meridionalis ejus, ſit verſus polum Septentrionalem, natantis prope ipſum à latere: Sequitur namque illicò fluctuans lapis, lapidem, (modò intra vires ejus & dominatum fuerit) nec deſiſtit nec deſerit, donec adhæreat: Niſi manum ſubducendo, conjunctionem cauté evitaveris: Perinde etiam, ſi polum Septentrionalem illius; | Quem manu tenes, opponas meridionali polo lapidis natantis, concurrunt inter ſe & mutuò ſequuntur invicem: Contrarij enim poli contrarios alliciunt. Iam verò ſi Septentrionalem Septentrionali & Meridionalem Meridionali eodem modo opponas, lapis lapidem fugat, & tanquam clavam impellente navita divertit; & in contraria velificat qui æquora ſulcat, nec uſpiam conſtat aut acquieſcit, ſi alter inſequitur: Diſponit enim lapis lapidem, convertit alter alterum, in ordinem reducit & in ſuas concordantias deducit. Hæc Gilbertus libro 1. cap. 5. de Magnete, cui convenit Ridlæus in tractatus ſui Magnetici cap. 22. & 24. diſponendo duos lapides, in ſuis vaſis vel Cymbis affabrè ſic diſpoſitos.

Gilbertus Magnete 1. cap. 5.

Ridlens 7. ſtat. De Mag. 22. & 24.

Ridl. Fol. 75.





Applica-

Applicatio ad rem noſtram.

PAri ſiquidem ratione Mummia mortua, ſeu naturæ ac diſpoſitionis Borealis, aut non omnino, aut non niſi debiliter in ſuum ſimile operabitur: Nec quidem magis præſtabit, caro æquinoctialis vel auſtralis, hoc eſt, calida & viva in ſibi ſimile: Sed è contra poli invicem contrarij mutuò agunt in ſe invicem, & virtute Magnetica tentabunt, ut ſimul uniantur, idque attractiva & contractiva. Boreæ microcoſmicæ, ſive frigidæ hominis mortui carnis, quæ ſecretò quodam inſtinctu calidam Æquinoctij, ſeu auſtri humani naturam concupiſcit.

3. DEMONSTRATIO.

Ad fortificationem autem & augmentationem Spirituum in Mummia quaſi mortua & impotenti, per contactum Mummiæ Meridionalis ſeu carnis vivæ quod attinet, probatur modo Magnetico eſſe poſſibilis, per iſtam ſequentem demonſtrationem problematicam, quæ nos docet, quòd Magnes Borealis aut Mummia aërea exaltatur in ſua poteſtate per illum Meridionalem.

PROBLEMA. 2.

Magnes robuſtior majorque, vires auget Magnetis debilis minoris, atque etiam ferri ſupra polum Magnetis majoris, poſito minori: Borealis polus robuſtior evadet & obelus (tanquam ſagitta adhæret polo A. Boreali, non polo B. omnino: Polus etiam A. cùm in recta linea fuerit ſuperné cum axe utriuſque Magnetis juxta Magneticas leges conjuncti; Obelum attollet ad perpendiculum, quod non poteſt, ſi Magnus Magnes remotus fuerit propter proprias vires imbecilliores. Hæc Gilbertus. lib. 2. cap. 25. de Magnete, cui aſtipulari videtur Ridleus. cap. 23. tractatus Magnetici.

6 ert. lib. 2. c. 25. de Mnete.

G ert de l. lib. 2. . 25.



APPLICATIO.

Simili planè modo Mummia Borealis in carne mortua, ſua conjunctione cum natura auſtrali ſeu carne viva excitatur & viribus exaltatur: Nam fugit & allicit hac ratione Spiritus novos & vigorem amplio-rem ad ſe à Magnete fortiori, illum relinquendo ob iſtam rationem debiliorem: Sed hoc ſequenti iſto problemate luculentiùs declaratur.

PROBLEMA. 3.

Si duo Magnetes duobus dentibus ferreis ſeu Chalybeatis armati vobis exponantur, quorum unus eſt fortior, altet debilior multùm, quorum axis ſive Diameter inter dentes ſunt æquales ſeu ejuſdem longitudinis, & tunc adaptabitis dentes horum à contrarijs polis provenientes ad invicem, invenietis, quòd lapis fortior apprehendet & elevabit debiliorem, & debilior cum fortiori unitus atque incorporatus virtute illa, quam recipit à fortiori, elevabit fortiorem & majorem à terra,

& firmiter retinebit eum, tametsi sit gravior multùm, quàm est pondus, quod iste lapis minor solet communiter elevare.



In qua demonstratione superioris & minoris Magnetis A. B. E. poli seu dentes sunt A. B. Quorum A. est Borealis, B. Australis, inter quos est eadem in longitudine distantia seu axis, quæ est inter dentes seu polos majoris Magnetis C. D. F. nimirum inter C. & D. cujus C. est polus: Meridionalis est. C. Borealis verò D. ut possint more Magnetico ad se invicem adhærere.

APPLICATIO.

Ita etiam debilior seu Borealis Mummia, utcunque in quantitate minor, vires attrahet & multiplicabit Spiritus facultate sua Magnetica à massa majori & fortiori Mummiæ australis sive vivæ.

Denique, quòd in applicatione istius Mummiæ Borealis seu gelidæ-mortuæ, ad illam australem vivam seu æquinoctialem, maximè evidens & fortior attractio procedit à Mummia Boreali, ex isto lapidis Magnetici exemplo apparet.

PROBLEMA. 4.

Est quædam Magnetica attractio à Magnetis æquatore, sed admodum differens ab illa ipsius poli Borealis, tam in violentia, quàm modo attrahendi: Nam attractio æquinoctialis est magis naturalis & suavis ac si esset medium inter utrosque polos. Et tamen in substantia totus lapis non est, nisi terra unica, tametsi in formali exsecutione sit diversus. Exempli gratia, erectio obelli ferrei erit minus perpendicularis, & attractio erit eò debilior, quò propinquiùs accedit à polo versus æquatorem: Atque iterum, omnes qui scripserunt Historiam Magneticam, maximam attrahendi virtutem polo Magnetis Borealis ascribunt: Vt infra declarabitur latiùs.

PROBLEMA. 5.

Duo Magnetes qui armantur duobus dētibus ab utroque extremo descendentibus in eodē diametro sive simili longitudine, tunc dētes collocandi sunt simul qui sunt contrariæ naturæ: Nimirum dens poli Borealis unius, cum dente poli Australis Alterius: Atque hoc ad invicem adhærebunt, unusque ad se trahet & elevabit alium. Verum. Si pedes polorum ad in vicem applicant non uniuntur neque in invicem operantur: Vt in demonstratione problematis.

APPLICATIO.

Ergo nec sanguis Australis in Australem hoc est vivus & currens viventem & mobilem non trahet, nec Borealis in Borealem, sed Australis in Borealem & Borealis in Australem nimirum vivus Sanguis mediante suo Spiritu, in mortuum, effusum, atque congelatum, seu Spiritus mortui, effusi, ac congelati in vivum illum sili attrahendo & ad se uniendo, uti in curatione armario videtur.

Concludam jam cum demonstratione à Mummia bestiarum desumpta, quæ est hujusmodi.

4. Demonstratio, quæ est Animalis.

Commune est & vulgariter in usu, carnis bovinæ crudæ portionem accipere, eamque ad nucium capitis, seu superiorem colli partem applicare, ad divertendos catarrhos sive defluxiones ab oculis. A quodam fide & Doctrina digno eram certior factus, quòd, cùm homo quidam rationis non multùm capax, qui oculis rubentibus & lachrymantibus laboraret, à quodam consuleretur, ut carnem bubulam omnino crudam, in collo ad retro distrahendum humorem adhiberet, ipse male capiendo sermones sui medici, carnes frigidas super utrumque oculum imposuit, unde mala erat ejus fortuna, medicamen hoc tam fortiter attraxisse, quòd loco extractionis humoris peccantis oculos ejus ex eorum sede & loco evulserit. Similiter generosa quædam mihi, quondam patiens affirmavit; quòd applicatione carnis hujusmodi crudæ collo suo ad oculorum suorum defluxiones curandas, ipsa sensim, idque ab eo tempore, diu percepisse propter fortem copici attractionem, oculos suos quodammodo ad interiora reclinantes: Nec ad hunc usque diem persuaderi queat, quin ut oculi sint profundius in capite, quàm par est immersi, tametsi fateor, rem illud

vix

vix & ne vix quidem illud potuisse percipere.

Ex istis igitur ratione longé fortiori arguitur, quòd experimentum superius à me allegatum sit in omni (ni fallor) respectu pro vero demonstratum, quatenus ipsius Magnes ex subtilibus aëreis Spiritibus Mummialibus interna & centrali quadam virtute, in massa Magnetica congelatis, componatur.

5. *Demonstratio relativa animalis Magnetica.*

Vir quidam nobilis Bohemiæ Burgravius dictus, hujusmodi medicina pro suæ podagræ curatione est usus: Accepit carnis bubulæ crudæ portionem & cum vini pauxillo eam humectavit, locoque affecto applicuit, istud medicamentum per singulas sex horas renovando, & magnam copiam materiæ fœtidæ ac sordidæ extraxit, & si tum posteà canis aliquis carnem illam comederit, ille etiam eodem inficietur morbo & claudicabit, atque erat super duos illius Magnatis canes probatum: Vti Hans Tanker minister sive presbyter, ad Baronē Lord Hoffman asseveravit: Atque ipse agnoscit, se oculis suis proprijs vidisse effectum super alium canem: Si ergo massa ista grossa substantiæ Magneticæ potuisset in suo simplici natura tam fortiter ad se attrahere, multum magis debet fides nostra super Mummiam magis Spiritualem & aëream sive Magnetem Mummialem fundari sive collacari, qualis est illa ex homine vivo more anteà citato extracta, quam non adeò aperté, sed solummodò per relationem ad monstrosam Magnetis generationem descripsi, ut à sapientibus & pijs, & minimè à stultis & malevolis impijs & Diabolis incarnatis intelligeretur, quippe mediante quo tam malum patrari, quàm bonum effici queat, scio etiam pro re experta, Epilepsiam à servo sororis Roberti Cotton Militis, in canem modo haud dissimili fuisse transfatam, libero manente tum posteà homine.

6. *Demonstratio etiam animalis.*

Habetur pro maximo in peste remedio, quando Carbunculus apparet: Si bufonem desiccatum aceto maceratum ad tumorem seu locum affectum applicemus: Nam istud medicamentum topicum traditur venenum morbi vivaciter ad se attrahere: Hoc sæpius erat probatum, & à quolibet procul dubio infecto prospero cum successu probari potest. Ratio autem est, quia bufo est Magneticè attractivus & stipticus, partim respectu sui veneni frigidi atque etiam Borealis, stupidæ, gravis, atque melancholicæ dispositionis, & partim, quoniam observatur sanguinem sistere: Ita, ut iste grossus & terrestris Magnes venenosus, suum præstet officium in attrahendo venenum à Carbunculo sibi simile, tametsi non ita subtiliter & Spiritualiter, ac Mummia illa Elementaris, aut aërea Borealis facit à vivo seu australis naturæ homine.

Vobis recitare possum naturas plurimorum vegetabilium, quæ habent proprietatem ad se alliciendi ac attrahendi, modò si in febrilibus intemperiebus, vel plantis pedum aut pulsibus brachiorum adhibeantur: Sed quoniam opus tale vobis tædium fortasse videbitur, relicto eo, ad secundum in virtute Mummiarum Magnetica gradum, procedam, qui spectat etiam ad distans, imò verò ad longitudinem incognitam, idque mediante Spirituali in aëre attractione, uti capite isto sequenti latiùs.

CAPVT. III.

Quomodo relatione rerum naturalium ad invicem, ipsæ (facto prius inter se contactu corporali) mirificé operentur, hocque Magnetico consensu & Spirituali continuitate, postquam contactus est factus tam in curatione morborum, quàm consumptione sui similis per mutuam operationem ad distantiam sive spatium in cognitam.

PRocedam in hoc meo discursu, ut occœpi, nimirum à generali propositione ad diversitates experimentorum, quæ tum posteà facta esse possibilia, varijs relationibus demonstrativis comprobabo.

PROPOSITIO.

Possibile est, ut duæ Mummiæ conditione oppositæ, hoc est una existente in statu mortuo & Borcali; Alia verò in dispositione viva & australi seu æquinoctiali, possint post contactum corporalem inter eas factum, operari ab una in aliam ad magnam distantiam, mediante, Spirituali quadam relatione, quæ tam Antipathicè, quàm Sympatheticè continuatur inter eas.

1. *Experimentum dictam propoſitionem confirmans.*

Nobilis quidam Italus habuit malâ fortunâ naſum ſuum exciſſum atque amputatum : Hic conſilio ſui medici vulnus fieri juſſit in Brachio cujuſdam ſui ſervi ſeu captivi, cui vulneri ipſe naſum ſuum mutilatum mediaté applicuit, firmiterque ad illud ligavit, & in hoc ſtatu continuavit, quouſque unio completa inter carnem ſervi & ſui Domini erat facta. Poſt hæc portio ſeu ſtuſtum carnis ſervi naſo adhærens erat exciſum, & in formam naſi redactam, vulnus autem ſervi à chirurgis eſt ſanatum, & ipſe pro dolore & patientia & merito ſuo, non modò manu mittitur, ſed & præmium, nimirum bonam pecuniarum portionem accepit, viamque Napolin verſus fecit, quæ civitas à domo ſeu reſidentia ſui Domini erat ad minus centum milliaria : Caro igitur naſi adaptata, proſperè vigebat, & à venis tam diu quàm ſervus vivebat, nutrimentum ſuum accepit. Accidebat autem, quòd manumiſſus ille Neapoli moreretur, unde eveniebat, ut caro naſo adaptata immediatè marceſcere & gangrænâ paulatim affici inceperit, ita, ut ſi eam ſubitò & ſine mora non exſcindiſſet, in periculo mortis fuiſſet procul dubio. Hæc mea relatio à multis literatis ac alijs fide dignis pro vera confirmatur, & apud Italos communiter eſt publicata, & à docto quodam Germano ſcriptis ſuis publicè ſuſtentata.

Hac igitur Hiſtoriâ videre poſſumus, quòd tam diu, quàm duo corpora, quæ contactum fecerunt, eſſent unius ejuſdemque conditionis, videlicet Auſtralis ſive æquinoctialis, ipſa, utcunque ab invicem remota, admodùm Spirituali Sympathia inter ſe operabuntur, hoc eſt, non obſtante Magno illo intervallo, erant nihilominus præſentia in Spiritu, vel mutuò conveniebant radiorum Sympatheticorum aſpectu; & hac ratione caro unius Spiritualiter vivificabatur à vivo alterius fonte, haud aliter, ac granum tritici nutrimentum ſuum habet, & vivificatur applicatione radiorum ſolarium ad illud : Sed quando Auſtralis ſeu Æquinoctialis proprietas unius, nempe ſervi, in Borealem, mortuam & frigidam naturam erat mutata, tunc vivificans in eo Spiritus ab actione ſua ceſſabat, hoc eſt, à priſtina ſua ad carnem adaptatam applicatione quieſcebat, & loco vivifici illius aſpectus, Spiritus ejus jam in Borealem conditionem redactus, allectat & fugit adſe totam illam naturam, quam diſpoſitio ejus auſtralis ei impertivit. Eodem videlicet plané modo, quo Borealis pruina in mundo, interficit quaſi & Boreali & contractiva ſua facultate extrahit vitam grani, ſeminis, aut plantæ, aut herbæ. Atque ob iſtam rationem Gangræna, (quæ eſt morbus Borealis) portionem carnis naſo adaptatam occupavit. Hîc ergo videmus, quomodo idem Spiritus alteratus ab Auſtrali ſive æquinoctiali in Borealem diſpoſitionem, per modum contrarium, innaturalem & privativum, idque ſecreto & è longinquo operetur.

1. *Demonſtratio Corollaria à macrocoſmo deſumpta.*

Videmus in inſtrumento Calendario ſeu experimentali noſtro anté deſcripto, quòd inter caput vitri & locum aquæ, videlicet per integrum matricij tubum, ſit Spiritus aëreus inviſibilis, qui tametſi ex ſe non videatur, nihilominus in effectu viſibiliter operatur. Nam, ſi externus aër ſit admodùm calidus, tunc aër vitro incluſus dilatatur, quod exinde liquidò declaratur, quoniam aqua elevata tunc temporis deorſum depelletur, tametſi nullum aliud agens oculare inveniatur : Verùm intuitu intellectuali diſcernere poſſumus, illud virtute vivæ lucis in aëre Sulphureæ emanationis fieri, cujus ſecreta radiorum emiſſione, aër incluſus rarefit, & rarefactione aquam in tubo ſublimatam præcipitat : è regione verò, frigore Boreali, aqua elevatur in altum, ratione Spirituum emiſſorum contractionis ; Ita, ut percipere queamus, quomodo emanationes vivæ, & conſequenter agentes & vivificantes Spiritus, è vivo & calido fonte microcoſmico creaturis ad animandum & vivificandum aptis emittantur. Sed ſi fons ille deveniat frigidus & glacialis, loco additionis actionis auſtralis vitæ, mortiferam & privativam diſtractionem pariet, quod etiam facillimé in inſtrumento meo experimentali ex Spirituali concurrentia, ſeu potiùs inviſibili atque inſenſibili continuitate, quæ facta eſt inter utraque in inſtrumento extrema, eſt obſervandum.

2. *Demon-*

2. *Demonstratio à lapidis Magnetici proprietate derivata.*



ACcipiemus lapidem Magnetis oblongum sitque A. D. in quo A. sit polus Septentrionalis; D. verò Meridionalis, hunc in duas partes æquales seca per æquinoctialem circa B. C. Postmodùm exponatur portio A. B. in suo vasculo ex subere vel ligno consistente, ut in dolio seu alio vase aqua pleno fluctuet: Etiam disponatur altera medietas C. D. in alia cimba seu vasculo, æquali primæ, & similiter fluctuet, & inveniemus, quòd istæ duæ medietates B. C. existentes unius ejusdemque naturæ æquinoctialis summo cum appetitu contendent, ut ad se invicem iterum uniantur, ac ad eandem continuitatem, in qua erat prius, reducantur: Atque ob istam rationem Spiritus, qui inter eas continuatur, utcunque ipsæ corpore ab invicem dividantur, cùm sit invisibiliter utrique portioni conjunctus & unitus, ambas illas portiones dirigit, & per emanationem actualem ex utraque parte effluentem, sugit, attrahit & quasi agglutinat utramque earum in propriam & connaturalem illam positionem, in qua erant prius. Hæc Gilberus.

rt. lib. I.
agnete
ss

APPLICATIO.

Hisce ergo ratio continuationis Spirituum inter carnem captivi Neapoli degentis, & illam, quam ejus Dominus pro nasi formatione accepit, evidenter demonstratur, atque possibilitas ejusdem ad amussim (ut mihi videtur) confirmatur. Et, quamvis objici queat, lapidem Magnetis non attrahere ultra suum orbem sensibilem, tamen huic objectioni respondeo ego, quòd, tametsi homines hujusce rei conjecturam faciant, ex sensibili ponderum attractione, tamen impossibile erit, penetrantes actionis illius radios, qui sunt inter corpora Magnetica terminare, quemadmodùm in libro præcedenti luculenter demonstravi.

Progreſſio in præcedenti Magnetica demonſtratione.



Gilbertus. lib. 1. de Mag. cap. 5.

EContrario verò ſi proportionis prædictæ æquinoctialem C. cum polo A. in ſuis Cimbis ſeu vaſculis conjungere ſive applicare tentaverimus hoc modo.

Vna portio ſtatim, quaſi talem unionem abhorrens evolabit ab altera ac ſummo quaſi odio talem evitabit amplexum, quoniam conjunctione tali, ut pote cujus natura irregulari pervertetur, unde & forma lapidis mirum in modum perturbabitur: Atque ideò iſta ab invicem fuga, ſive odium inter ſe à mala naturarum diſcordantium in ordine ſuo genuino poſitione atque applicatione oritur, quippe qua bellum inteſtinum & odium ac Sympathiam inter ambas illas portiones excitantur.

APPLICATIO.

Qua demonſtratione apparet, quòd Spiritus æquinoctialis ſeu auſtralis prædicti captivi ſive ſervi viventis, jam in Borealem naturam mutatus, nullo modo conveniet, ut antèà cum natura Auſtrali carnis naſo Domini adhuc viventis adaptatæ, ſed mutatus eſt jam in naturam Antipatheticam & deſtructivam, hoc eſt, bellum contraria proprietate adverſus illam videtur gerere, quoniam radios ipſius Spirituum tam rapaciter à circumferentia ad centrum, videlicet à carne, Domino accommodatâ ſive mutuò datâ, attrahit, quam more æquinoctiali ſive Boreali, dum vivebat, à centro ad circemferentiam, nimirum à fonte vivo in captivo, ad ſuum ſimile in Domino.

3. *Demonſtratio à lapide Magnete deprompta.*

Rialens tractatu Mag.

Apparens eſt etiam, quòd acus Chalybea Magnete contacta, aſpiciet Magnetem ad omnem poſitionem, dum Magnes fortis & vivax exiſtat: Sed, quando Mag. nes eſt quaſi mortuus, hoc eſt, cùm virtutem ſuam vi ignis amiſerit, proprietas etiam ejus morietur: Ridleus in tractatu Magnetico.

2. *Experimentum propoſitionem prædictam confirmans.*

Antè tempus, in quo, ut Anatomiam vice mea publicam, in collegio Londinenſi Legerem mihi erat concreditum, præmanibus meis (ut mos erat) cadaver cujuſdam ſuſpenſi, illud privatim ſeu in domo mea Anatomizandi gratia habui; Quo tempore à D. Kellet pharmacopæo eram ſolicitatus, ut erum cujuſdam fœminæ ſatis nobilis quæ tumore quodam ſcirrhoſo ibi loci laborabat, manu mortui tangi & fricari permitterem, quoniam ipſi (uti dixerunt) ab aliorum experientia erant docti, illud opus ad iſtiuſmodi mali horridi extirpationem atque abolitionem, admodùm eſſe efficax. Generoſa cum ſuo marito & fratre ſe domum meam contulerunt, & quod affecit, eſt protinus pro voto peractum. Paulò poſt, nimirum non pluribus ab eo tempore diebus Pharmacopæus cum dictæ ſcirrhoſæ marito domum meam

meam revertendo agebat mihi gratias pro favore illo meo, affirmando, illud negotij haud parum uxori suæ emolumenti ac solatij attulisse, dixerunt enim, tumorem ab eo tempore gradatim fuisse mitigatum. Iam verò ab isto experimento elicere fas est, quòd contactus istius Mummiæ Borealis in manu viri mortui faceret, ut australiter accrescens & vegetans ille tumor, qui magis magisque radios suæ vitæ à centro ad circumferentiam extendebat, decresceret, & diminueretur, ac quasi tabesceret ratione centralis continuationis & unionis Spiritus Borealis in mortuo, cum eo qui præter naturæ leges vegetabat in vivente, idque ad spatium sive distantiam satis remotam.

3. *Experimentum ad illum eundem effectum.*

Evidens est atque sæpius inter vulgares etiam homines probatum, quòd, si verrucæ carne bubula recente fricentur: Atque illa caro in campum aliquem translata sub terra sepeliatur, ut caro sepulta corrumpendo consumetur, ita etiam verrucæ paulatim marcescent & contabescent: Simili etiam plané ratione experientiâ observatum est, quod si verrucæ cum portione lardi fricentur, ac postea lardum illud clave ferreo ad postem Solem respicientem affigatur, ut lardum illud pedetentim langueſcet ac diminuetur in Sole, ita etiam & verrucæ paulatim decrescent ac diminuentur.

Porro etiam ipsæ verrucæ contactu cadaveris gradatim evanescent & morientur.

APPLICATIO.

Hisce evidenter probatur, quòd, ut res in suo esse sive existentia & incremento more Sympathetico præservantur, ita etiam ipsæ aspectu quodam Antipathetico sive Spirituali continuitate inter duas naturas remotas, quarum una erit Borealis, altera Australis seu æquinoctialis mutuùm earum contactum corporalem, una quæ tetigit, efficiet, ut altera contacta paulatim evanescat, & juxta naturam tangentis diminuatur. Nam, ut Borealis proprietas est calori Australi inimica, ita quidem contactus ipsius facit, ut res naturales virtute caloris illius crescentes, qualitate frigida tabescant & paulatim diminuantur, mutando naturam vivificam & vegetantem contactam in naturam ejus decrescentem, contractam & mortificantem. Vitrum nostrum experimentale nos docet, frigoris actionem, esse omnimodé illi caloris in uno eodemque Spiritu contrariam, & à scripturis docemur, si sufficientem experientiæ fidem adhibere nolimus, quod verbum Dei in australi sua proprietate dissolvit ac destruit nives ac glaciem, quas idem Boreali sua conditione in existentiam adeò compactam fecit & construxit.

CAPUT. IV.

Quomodo quædam partes excrementitiæ à membro infirmo hominis vel alterius animalis sumptæ, & in arborem seu plantam aliam vegetabilem transplantatæ, habere soleant relationem sive continuitatem Spiritualem cum membri impotentis & infirmi Spiritu, à quo exscinduntur: & per consequens ipsius ægroti.

EGo melioris Methodi gratia hujus capitis frontispicio propositionem quandam, uti illi præcedentis, inferam, quæ erit talis.

PROPOSITIO.

Magnetica Mummiæ Spiritualis virtus habitat & agit etiam in excrementitijs & superfluis membri cujuslibet excrescentijs, & ibidem manent, post quam ab eo excisione separentur, & in convenienti Magnetico, vegetabili seu planta transplantentur; Ita, ut secreta quadam emanatione seu applicatione radiorum ab eo ad radios membri à quo fuerunt decerptæ, facta: & per consequens relatione illa continua, quæ est inter eos & corpus seu membrum, à quo derivantur, possunt ambo mediante assistentia Magnetica plantæ seu arboris, cujus naturam idem membrum marcidum habit, ad distantiam haud determinatam operari.

1. *Experimentum hoc idem confirmans.*

Præceptor meus Mathematicus nomine Rutherus & natione Helveticus erat tunc temporis, cùm Romæ degerem Cardinalis Sancti Georgij ingeniator, sive machinator expertissimus, mihi fide sua asseveravit, quòd si quispiam membrum aliquod, ut manum, aut Brachium aut tibiam aut pedem, & similia consumptum, aut Atrophia confectum habeat, ab illo membro sive sit pes vel Brachium, ungues & capil-

los & cuticulam abradat, cosque salicis trunco (foramen usque ad ejus medullam terebrâ faciendo) imponat, ac foramen illud clavo ex eodem ligno confecto obturet, observando tamen in ista actione, ut Luna sit in augmento, atque boni planetæ in signis multiplicativis, cujusmodi sunt Gemini, & Saturnus (qui desiccat valdè) sit in sua depressione, membrum adeò consumptum paulatim regenerabitur, atque iterum crescet & vegetabit, haud aliter, quàm arbor, in qua partes excrementitiæ includuntur, quotidie vigebit & florescet. Etiam ipse mihi asseveravit, me eundem inventurum effectum, si excrementa illa in Coryli radicem (foramine prius facto) imposuissem, foramen illud tum posteà cortice ejusdem arboris occludendo, locumque finaliter terra tegendo: Dixit sua fide, sæpiùs fuisse expertum, quòd, ut arbor illa creseeret, ita & membrum deficiens & langueseens se prosperè gerebat: Sed super omnia me monuit, ut exactam cœlorum dispositionem observarem, nam sine ea, ista curandi ratio minus efficax inveniretur.

2. *Experimentum aliud Magneticum ad propositionem prædictam confirmandam.*

Ex libello ejus lingua Germanica impresso.

Iohannes Rhumelius Pharamondus fassus est, se sæpiùs podagram prædictis medijs, nimirum eadem transplantationis via curasse: Nam abscissis capillis & abrasis unguibus pedum, tibiarum & crurum (foramine priùs ut anteà in quercus centrum usque facto) eos in cavitatem illam intrudit, tunc foramen clavo ex eodem ligno facto obturat, ac denique locum fimo vaccino oblinit. Iste author dicit, se hac inventione curasse quam plurimos. Verùm enim verò, si forte accidat, ut non obstante tali actione intra trium mensium spatium revertatur, tunc ait, istud est argumentum; Quercum istam esse nimis, ad fortiter sibi Magneticé attrahendum, in sufficientem: Et tunc in hunc modum progreditur: Foramen aliud in secundam quercum terebrat & frusta ex foramine in terebrando exeuntia reservat, eaque in saccum parvulum lineum consuit, quem tum posteà loco doloroso sive membro infecto applicat: Atque hoc opus per tres dies ante novilunium aggreditur, tunc in ipsa hora novilunij removet sacculum à loco affecto & illum in dictæ arboris foramen includit & clavo, ut anteà, obturat &c.

3. *Experimentum ab eodem Authore expertum.*

Ille ipse Author videtur asseverare, se hac eadem transplantationis ratione Herniam curasse, atque modus ipsius est hujusmodi. Hernioſum accipit ovum recenter jactum & cum eo adhuc calido fricat locum podagricum, sed clementer, idque sæpiùs; Tunc auferre solet corticem Magnæ arboris & cum Magna terebra facit foramen, adeò Magnum, ut valeat ovum in se recipere: Tunc rerum arbori suum corticem ablatum, ut anteà imponit, foramen optimé cum eo obturando, locum tum posteà cemento seu luto Arborali oblinendo. Quod totum negotium debet ordine & tempore debito præstari. Nobis narrat, quòd quando cortices arboris simul concrescant & invicem adhærent, tunc temporis, etiam hernia seu ruptura se confirmabit & labia agglutinabuntur, sed, si eveniat, ut hernia illa non sit in spatio unius mensis curata, tunc aliam quercum perforat, colligitque frusta, quæ cadunt in perforando, eaque contundit & in parvulum sacculum concludit ac consuit, locoque affecto applicat per tres dies ante novilunium, & tunc circa horam novilunij in foramen quercus intrudit, in omnibus faciendo, ut anteà.

Plures alias ibi loci observationes tam respectu temporis, videlicet si primum Herniæ incrementum esset in incremento vel decremento lunæ, quas omnes brevitatis causa hîc relinquo.

Denique ait, quòd si Hernia non pro toto hoc deveniat consolidata, tunc perforat foramen in quercu & imponit in illud ungues & pilos manuum ac pedum patientis, atque etiam pilos pudendorum, obturando tum posteà illud, ut dictum est: Affirmat enim, quòd, quando foramen illud contrahetur in unum, tunc etiam Hernia agglutinabitur: Ibi etiam rationem ostendit, quare nonnunquam pluribus vel paucioribus istiusmodi operationibus in ista curandi via, uti sit coactus secundum naturam Herniæ, quam aggredi conatur: Videlicet in Hernia incipiente unica prævalebit operatio, ad inveteratas verò plures requirentur: Dicitque, quòd in ista curatione tempus & mensura arboris cum foraminis profunditate sit præcipué consideranda.

4. *Aliud*

4. *Aliud experimentum ab ipso prolatum.*

Etiam dicit, si ungues pedum & manum hydropici ad cancrum fluviatilem transplantentur & dorso illius alligentur, ipseque tum postea in flumen proijciatur, ipsum hac ratione ab hydrope liberari. Quibus videre potestis, experientiâ aliorum probata instructi, quòd medulla seu vigor prædictæ propositionis sit in omni respectu confirmatus.

Atque iterum si ungues, pilos & cuticulæ rasuras comburamus, & eorum fumum per Alembicum sive fundo recipiemus percipiemus quidem, quòd oleum quoddam Balsamicum flavum ab ijs exsurget, quòd erit valde attractivum & desiccans, vulneraque agglutinans: Atque ideo apparet, quòd hisce excrementis insit quædam virtus Balsamica, tamersi ignorantibus, ipsa non nisi virtutis seu valoris exigui esse compareat. Sed istiusmodi Magnetica partium excrementitiarum virtus, potest etiam quodammodò per lapidis mineralis proprietatem demonstrari Exempli gratiâ.

Magnetica hujus rei Domonstratio.

Possumus haud inepte excrescentiarum harum superfluarum massam, Magneti minori, chalybe vel ferro armato comparare: Vt pote, quæ, quando transplantatur in plantam: In facultate sua attractiva devenit fortior atque efficacior: Nam ferrum polo Magnetis utcunque debili additum, ipsum fortificat in suo vigore, ipsum habilem reddit, ut pondus gravius ad se attrahat: Nam ferrum ei dat vires & vigorem.

Pari siquidem ratione si excrescentiæ Magneticæ corpori arboris Magneticæ inserantur; Tunc arbor illa fuget & attrahet ad se suum simile, nimirum Spiritus membri tabescentis seu deficientis, eos reddendo vegetabiles, adeò, ut possint crescere & augeri, quod quidem munus sine hoc obire haud potuerunt, sed è regione decrescebant, & marcescebant: Nam Spiritus attractus & per dilatationem à membro ad naturam arboris vegetativam continuatus, similem videtur cum arbore induere conditionem & per continuitatem, animat Spiritus in membro languidos ad crescendum & vegetandum: Iam verò ad istam relationem Magneticam demonstrandam, problemata quædam ad naturam Magnetis spectantia in lucem producam

1. *PROBLEMA.*

Est fortis unio in Magnete, chalybe vel ferro armato, & pondera graviora mediante ista unione attolli possunt, quàm si lapis nudus maneret & sine armatura: Gilbertus lib. 2. de Mag. cap. 19. Hujus autem rei ratio est, quoniam vis unita est fortior; Quòd autem ferrum debili Magneti addit vigorem, ex isto sequenti problemate confirmatur.

ert. lib. 2. a 19. de gn.

2. *PROBLEMA.*

Si fuerit lamina ferrea tenuis manu extensa vel fixata polo Magnetis inferiori, inter Magnetem & pondus, tunc Magnes duplum elevabit, & quandoque decuplum: Atque ab ista praxi sive experientia adamantis cum chalybe vel ferro, armatura erat prius inventa.

e. cap. 24. t. Mag.



Vbi duo sunt exempla, in quorum priori A. B. sunt poli dentibus ferreis armati: A. B. C. D. Magnes undiquaque circa polos C. A. D. B. Armatus E. F. G. pondus ferreum, quod sustentat lapis A. B. C. D. Per polos armatus A. B.

In posteriori K. H. L. & M. N. I. duo poli Magnetis H. I. K. L. M. N. Quorum unus attollit pondus O. I. N. Q.

APPLICATIO.

Simili correlatione, si Magnes animalis potestate vegetabili armetur, tunc magis efficaciter, & vigore multiplicato attrahet ad se Spiritus à majori animali Magnete, seu potius animali ferro: Etiam problema hoc sequens est notatu dignissimum.

3. *PROBLEMA.*

Quodlibet corpus, cui Mummia viva in alio homine propinatur, illicò fit Magnes. Paracelsus. Tractat. 3. Philos. Paracels.

APPLICATIO.

Atque ideò viva Mummia mebri Languescentis & aridi, partim unguibus & pilis ejusdem inclusa: Ac tum postea in corpus

illud vegetabile translata, illud corpus vegetabile, quod eos recipit immediatè, post actum unius in aliud efficitur Magneticum, sibi membra deficientis, Spiritus ad se trahit, ijsque vegetativæ suæ facultatis portionem impertit: Atque ita vis Magnetica in pilis, in unguibus (utcunque in se sunt debiles, validiores & efficaciores in virtute fiunt, per ipsorum in fortius Magneticum vegetabile plantationem; Ita, ut unum alterum fortificet, & potentiorem reddat in sua actione: Atque adhuc Lucidius sequenti isto problemate demonstratur.

4. PROBLEMA.

Debilis Magnes, à fortiori ex parte unius ipsius poli contactus seu perfrictus, virtute & vigore meliorabitur.

Etiam si ponatur Magnes minimi & vix perceptibilis vigoris super Magnetem majoris virtutis, idque præcipuè super polos, atque ostendet ille vigorem tantum, ac si esset lapide fortiori, cui conjungitur, fortior.

Ridle. cap. 16.

APPLICATIO.

Simili planè ratione transplantare possumus superfluam excrescentiam, in qua non nisi Mummia apparet virtutis Magneticæ signum, super Magnetem vegetabilem, sive plantam vegetabilem fortiorem, atque præcipuè in ejus nuca sive axi: Atque ipse emittet vigorem quendam Magneticum æqualem illi plantæ. Quod quidem in eo arguitur, videlicet, quia potestatem vegetabilem ad membrum marcidum suis radijs dirigit: Iam verò, quòd relatio inter arborem & membrum per Spiritualem continuitatem efficitur, istiusmodi problemate explanatur.

5. PROBLEMA.

Si ferrum oblongum conjungatur ad polum Magnetis, & termino illius aliud applicetur ferrum; & ad terminum secundi tertium & sic cum pluribus; Magnes virtute Spiritus radiosæ suæ emanationis hæc omnia ferro concatenabit & ad instar catenæ ad invicem adhærere faciet; Idque vel plura vel pauciora, secundum lapidis vigorem: Vid. Ridl. cap. 22.

Gilbert. lib. 2. cap. 4. Ridl. ibid. cap. 17. & 22.

A.B.C.D. Magnes: E. polus ferro armatus. F. G. Ferrum longum: H. I. Aliud: L. M. aliud. N. aliud.

APPLICATIO.

Quibus sat liquidò declaratur, quòd, ut Spiritus Magnetis est continuatus & ratione suæ continuitatis est aptus ad corpora distincta in unionem conjungere atque retinere; Ita etiam emanatione Magnetis duplicis in unum, à centro ad membrum In firmicis uniti continua vegetativæ succession in ipso paulatim generatur: Iam verò, quòd, duo Magnetes vires suas in unum unientes seu congregantes emanationem vigorosam emittant, & per consequens majori virtute Magnetica imbuantur; Probatur per secundum problema, 3. demonstrationis Capitis secundi allegatum.

CAPVT. V.

Hic probatur, quòd vegetabilia in se Spiritus Magneticos contineant, quibus mediantibus sensibiliter tam à regno Animali & minerali, quàm à vegetabili attrahunt: Et in primo loco exprimitur per 2. propositiones & tum postea illæ varijs demonstrationibus experimentalibus sustinentur.

1. PROPOSITIO.

EST quædam vis sive virtus Magnetica tam in vegetabili, quàm in animali ac minerali, quæ operatur more attractivo tam in suum simile in regno vegetabili, atque etiam in illo animali & minerali.

1. *Demonstratio experimentalis.*

Effectus istius propositionis experientia est multiplex, atque etiam ex ijs, quæ in capite præcedenti sunt allegata, indicatur, quòd relatio seu unio Magnetica, quæ fit inter

inter vegetabile & animale sit sufficienter nota, atque etiam in posterum clarius adhuc enucleabitur.

Etiam si aliquis febre laboraus accipiat herbam, quæ dicitur Iberis, nimirum illius manipulum & illam calceis suis imponat, & ita ambulet, quousque caleſcat, percipiet quidem, quòd herba ista attrahet ad se bonam quantitatem materiæ aquosæ, & hac ratione fertur curare febres. Sed (ait Author) herba ista tum posteà in via, qua aut homo aut bestia tendit, sterni non debet: Nam illud animal, quod illam calcat inficietur ac febricitabit statim. Christophorus Schusʒen Germanus affirmavit, se sæpius fuisse illud expertum.

2. *Experimentum.*

Iohannes Karfmanneus pro vero tradidit, verrucas manuum atque aliarum partium auferri posse, capiendo stramina & secando nodos in ijs, atque præparat pro qualibet verruca duo, & stramina debent esse in longitudine pollicis, deinde disponendæ sunt illæ duæ sectiones in hunc modum super verrucam; Ita, ut modi directè tangant verrucas: Atque opus est, ut fortiter premantur super verrucam, ac hoc denique est cuilibet verrucæ faciendum cum duplici stramine: Quo facto, effodiatur foramen sub canali, à qua pluvia cadit ab ædibus, imponantur & lapide tangantur: Ac invenietis (ait) ut stramina putrescunt, ita etiam & verrucæ paulatim decrescent & evanescent.

3. *Experimentalis demonstratio.*

Mira traduntur de herba Chamæleonte: Atque relatum est mihi à quodam nobili Germano pro re certa, & communiter à quàm plurimis nota, quod aurigæ in finibus Bohemiæ, soleant quandoque mediante herba Chamæleonte attrahere vigores aliorum equorum, eosque imponere in suum: Vnde fit, ut equi eorum in oneribus portandis efficiantur longe robustiores & validiores, quàm fuerunt anteà: E regione verò alij fiunt ad labores sustinendos, debiliores inultùm: Hoc (inquit) fit vel per se, si herba vel potiùs radix horâ propriâ atque ipsi convenienti colligatur, vel post quã Mummiæ succum per trans plantationem imbiberit. Radix detur in cibo vel appendatur & attrahit à proximo, qui non habet herbam appensam: At si herba illa ei appendatur, tunc ea Magnetica vis ei non nocebit: Quia simile non agit attractiva virtute adversus suum simile; Quare impedit ac obtundit attractivam virtutem sui similis. Iste meus Author asseruit fide sua, se virtutem equi alterius mediante hac herbâ attraxisse, & inter dentes sui equi in fræno: Sed dixit se portionem ejusdem secum reservasse. Hæc ille fide data, si credere fas sit.

4. *Experimentum.*

M. Balthasar Wagner ait, se sæpe esse expertum curationem istam Magnetiã in inflammatione ac rubedine oculorum: Accepit radicẽ malvæ communis, quando Sol est in medietate Virginis, & ad capitis seu colli nucam sive summitatem applicat, firmiter eam ad locum ligando, aitque hoc rubedinis ac inflammationis causam ad se attraxisse.

5. *Experimentum.*

Est quædam Magnetis species, quæ dicitur Evax, quem Plinius Magneticam habere facultatem carnes ad se attrahendi refert: Atque etiam alibi nos docet, quòd sit alia Magnetis species Sarda dicta, quæ ligni tam fortiter attrahendi ad se habet proprietatem, ut ab invicem separari nequeant, nisi lignum ab eo incisione dividatur. Quis etiam ignorat notabilem illam familiaritatem, quam succinus habet cum palea, cùm sit omnibus apparens, quanto appetitu hæc ab illo alliciatur.

6. *Experimentum.*

Quidam ulceribus in corpore varijs vexatus, à quadam vetulâ erat instructus, ut pro sua curatione inquireret rubum Magnam, cujus caput post ejus in aërem ascensum, ad terram more circulari descendebat & terræ demum quasi secunda vice inserebatur: Inventa autem tali rubo (nam & ipse multas in vita vidi) jussit ipsum vestibus nunimè exutis, ut trans foramen seu orbem istius rubi retro ter recederet: Fecit, ut monuit, & curatus est: Hoc quidem erat mea cognitione hic in Anglia effectum.

7. *Experimentum.*

Quid dicendum est de admirabili illo, quod est inter minieras aureas atque argenteas, ac virgam Corylinam bifurcatam commercio, qua Germani atque alij aliarum regionum, ad fossibilia pretiosa in terra detegenda, utantur, de qua anteà stylo pleniori sumus locuti. Certè apertis oculis, exinde colligere fas est, quanta sit inter ista Sympathia, & quàm avidè vegetabile naturam mineralem affectat. Sed relictis istis ad propositionem secundam veniamus.

2. *PROPOSITIO.*

Ordo singularis, & tam in Sympathia, quàm Antipathia partium vegetabilium inter se typicè per relationem seu respectum, qui habetur inter eas & Magnetem exprimitur: Quo arguitur, quòd vegetabile & minerale & per consequens animale, unam & eandem proportionem Symphoniacam sive Harmonicam, tam in eorum ordine Symphoniaco, quàm irregularitate observant.

Problema ad confirmandam hanc propositionem.

Gilb. lib. 3. cap. 6. de Mag.

In rebus omnibus Magneticis, sive sint vegetabilia, sive mineralia & consequenter animalia, semper natura ad unitatem convenientem tendit: E contra verò, ubi partes eorum secundum naturæ cursum & ordinem ad conjunctionem non inclinantur, ibi oritur perturbatio & quasi repudiatio sive separatio partium.

Demonstratio à Magnete minerali.

Cape Magnetem ablongum, sitque C. D.



C. tendit in Boream telluris B. & D. in meridiem A. divide hunc lapidem oblongum in medio inter duos polos ubi æquator transit, nimirum inter. E. & F. & erit E, tendens in A. & F. tendens in B. sicut enim in integro, Ita in diviso natura petit hæc corpora nimirū E. finis convenienter, & desideratè cū F. rursus coit ac cohæret: E verò non jungit unquam cū D. nec F. cū C. tunc enim oportebat C. converti contra naturā in A. Austrum, aut D. in B. Boream, quod est alienum & incongruens. Separato lapidem in loco secto & convente D. ad C. & optimè conveniunt ac combinantur; Nam D. tendit in Austrum, ut prius & C. in Aquilonem: E. & F. connatæ partes in minera jam sunt dissitæ maximè: Non enim confluunt propter affinitatem materiæ, sed à forma motum & inclinationem suscipiunt: Ita termini, sive conjuncti sive divisi eodem modo tendunt Magneticè ad telluris polos, in prima integra figura & divisa, perinde, ut in secunda figura, perfectumque est Magneticum. F. E. in secunda figura in unum corpus confluxum, atque C. D. primitùs in sua vena genitum & F. E. in suos super aquam fluctantes; Ita, ut istius lapidis termini, utrum sint uniti aut disiuncti ad polos terræ, secundum unum modum Magneticè tendunt, tam in lapidis integri, quàm divisi figura, uti in secundo exemplo apparet: Et concursus Magneticus F. E. in secunda figura in corpus unum erit adeò completus, si taliter in sua vena procreata.

Applicatio ad vegetabile.

Eadem planè formæ Magneticæ convenientia vel inconvenientia, quæ notatur esse in Magnete minerali, observabitur etiam in vegetabili: Nam si accipiciamus virgam arboris salicis, sive plantæ alterius facilè crescentis: Sitque A. B. & A. erit superior virgæ portio & B. inferior & radici proximior. Hoc modo Gilber. lib. 3. de Magn. cap. 6.

Dividè

Gilbert. lib.

Divide hanc virgam in ejus medio D. C, Dic ergo, quòd, si terminus D. inseratur in termino C. crescet naturaliter & augebitur : Etiam si B. inseratur super A. partes ad invicem consolidabuntur, & efflorescent. Sed si D. inseratur super A. vel C. super B. litigabunt & bellum intestinum inter se gerent, & consequenter minimè unquam crescent, sed necesse est, ut planta intereat ratione ordinis præposteri, & inconvenientis positionis partium ipsius: Quoniam vis sive virtus vegetabilis, quæ uno modo ac viâ incedit, jam à cursu suo proprio divertitur & compellitur, atque coactione exagitatur in partes contrarias.

Plura de hac re non dicam, sed ad conclusionum istarum Magneticarum practicalium, cum demonstrationibus earum onus, accedam.

CAPVT. VI.

Quomodò Magnetica curandi ratio probetur & demonstretur esse naturalis, & per consequens haud quaquam Cacomagica, uti nonnulli haud sibi constantes existimant falsò.

Hoc ut possimus meliori methodo præstare, exprimemus more priori & quasi capitis frontispicio, propositionem maximè materialem ad istiusmodi curandi speciem pertinentem, atque tunc postea eam probationibus evidentibus à virtute præcipuè Magnetis derivatis, elucidabo & luculenter demonstrabo.

PROPOSITIO.

Si, factâ continui solutione sive vulnere, externi sive effusi sanguinis portio cum suis Spiritibus, cum telo, vel portio Spirituum ejusdem sanguinis, sine ulla ejusdem apparitione, quæ in telum, vel in alicujus rei alterius vulneris fundum perserutantis, penetraverit ad aliquod distans incognitum ac indeterminatum, transferatur ad unguentum aliquod conveniens, hoc est, cujus compositio est Balsamica & naturæ creaturæ vulneratæ congrua, modò si ordine decenti adaptetur, & in eo quasi inseratur atque transplantetur, tunc unguentum ita hisce Spiritibus animatum, eveniet protinus Magneticum & ad Spiritus radiosos, qui insensibiliter ac invisibiliter è vulnere irradiabunt, directione Spirituum Sanguineorum in telo aut re alia, quæ eos recipientes atque imbibentes applicabit, & vivaces ac australes radij, à vulnere scaturientes sive effulgentes, volunt mediante Boreali unguento, seu potiùs Spirituum ibidem inclusorum attractione, more Magnetico animare & se ipsos unire, cum Borealibus & congelatis, seu fixis Spiritibus sanguineis in unguento tentis, eosque incitare, ut australiter sive æquinoctialiter, hoc est, à centro ad circumferentiam agant : Ita; Vt per reciprocam istiusmodi actionem, unionem, seu continuitatem, radij vivaces australes agent, radios sopidos sive somnolentos, gelidos, fixos, Boreales revivisscent, qui unguentum virtute Magnetica animabunt, & unguenti Spiritus animatos, Spiritibus utrisque reddent agiles, atque hi, Spiritibus, qui erunt priùs transplantati in unguentum, eadem unione seu continuitate suam, virtutem Balsamicam Spiritibus in vulnere, priùs Magneticè attractis impertient. Atque isti tum posteà, harmonia quadam inseparabili, eam ad vulnus usque transmittunt hæc ergo est illa Sympatheticæ atque Antipatheticæ relationis seu respectus ratio, quæ experientiâ observatum, esse inter unguentum & vulnus : Ita, ut si totum spatium teli, qui fecit vulnus, ungatur & cooperiatur & à frigore defendatur, unus inveniet consolationem, ac dolor ejusdem mitigabitur : Sed, si pars unguenti vel cultello vel re quapiam alia abradatur, aut abstergatur ab ense, secuti vel telo alio vulnerante, sequetur & sentietur immediatè tum posteà dolor atque intemperies in vulnere : Etiam, locus teli unctus temperatè teneatur calidus, vulnus se taliterquo habebit, at si ipse detegatur & in aëre frigido detineatur, tunc quidem eveniet, quòd vulnus vexabitur, & frigore etiam afficiet-

Quædam demonstrationes Problematicæ, ad cujuslibet propositionis prædictæ particulæ veritatem confirmandam; & consequenter ad Demonstrandum, quòd Magicus istiusmodi curationis modus possit naturaliter, atque ideò haud Cacomagicè, præstari.

PRædictæ propositionis particulæ facilimè ab illis ocularibus Demonstrationibus probari atque sustineri possunt, quæ à virtuosa Magnetis mineralis operatione produci possunt; Quippe cui omnia capora Magnetica cum actionibus suis ritè comparare queamus: Quatenus ipsa suas denominationes ab ipso Magnete minerali habent, atque ideò unguentum istud armarium, dictitatur etiam Magneticum.

Procedo igitur ad propositum meum; Hanc meam propositionem in varia membra sive portiones dividendo, in hunc modum.

Membrum Primum.

Primum membrum sive portio præcedentis propositionis, cum nonnullis conclusionibus experimentalibus à Magnete electis, ad illam confirmandam atque Demonstrandam.

IN primis ergo colligimus per præcedentem propositionem, quòd duo corpora Magnetica similis naturæ, possint Spiritualiter, mediante repositione & naturali incitatione similis naturæ concurrere & ad invicem uniri, & quòd hac ratione telum vulnerans, sive aliud materiale penetrans imbibere soleat Spiritus sanguineos, fiat Magneticum.

Demonstratio à Magnete decerpta.

LApidem polis distinctis perspectum habeas, hoc est tam Meridionali, quàm Boreali signatum, pone in suo vase ligneo, ut fluctuet, sintque poli ad planum Horizontis rectè dispositi, aut saltem non multùm elevati & obliqui: Tene alterum Magnetem in manu, cujus poli etiam cogniti sunt; Ita, ut polus Meridionalis ejus sit versus polum Septentrionalem natantis propè ipsum à latere: Sequitur namque illicò fluctuans lapis, lapidem, (modò intra vires & dominatum fuerit) nec desistet nec deseret, donec adhæreat: Nisi manum subducendo, conjunctionem cautè evitaveris: Perinde etiam, si Septentrionalem polum illius, quem manu tenes, opponas Meridionali polo lapidis natantis, concurrunt inter se & se mutuò sequuntur invicem: Contrarij enim contrarios alliciunt: E contra verò Septentrionalis Septentrionalem, & Meridionalis Meridionalem pellit, si eodem modo apponatur: Atque ita lapis lapidem fugat, & tanquam clavum navitâ impellente divertit & in contraria velificat: Gilb. lib. 1. cap. 5. de Mag.

Gilbert. lib. I. cap. 5. de Mag.

2. *Demonstratio ab eodem.*

Simili planè ratione, si ferri portionem in parvula cymba lignea collocemus, & Magnetem in alia, percipiemus quidem, ferrum simili celeritate & festivitate ad Magnetem in sua propria navicula situm properare: Nam observabimus, quòd eorum quilibet ad se invicem vehetur, & unus alteri in media via ad hærebit; &, quòd, postquam desiderium cujuslibet eorum sit completum, hoc post factam coitionem, ex propria sua inclinatione quiescet.

3. *Demonstratio à Ferro.*

Ferrum ipsum solum per se, nullis excitum lapidibus, alienis viribus nullis imbutum, aliud ferrum allicere deprehenditur: Quamvis non ita avidè rapere & subito convellere, quemadmodum robustior Magnes, quod sic cognoscito. Suberis cortex exiguus, nucis avellanæ magnitudine rotundus, traijcitur filo ferreo usque ad fili medium, in aqua tranquilla cùm nataverint, appone fini illivs alteri, prope (ita tamen, ut non tangat) finem alterius ferrei fili, & filum filum trahit, & alterum lentè subductum sequitur, atque hoc tantùm convenientibus terminis perficitur: A. cortex seu suber, cum ferreo filo: B. finis alter.

Gilb. lib. I. cap. 11.

Parum



PArum ſupra aquæ ſuperficiem elevatur. C. finis alterius fili, quomodò B. trahitur à C.

4. *Demonſtratio à ferro.*

Ibid. Alio modo probatur hoc in majori corpore : Pendeat longa virga ferrea nitida (qualis pro velis & feneſtrarum cortinis paratur) in æquilibrio, tenui filo ſerico: Hujus extremitati alteri in aëre quieſcenti, admove ferri maſſulam politam, oblongam, convenienti termino in diſtantia ſemidigitali : Vertit ſe ferrum libratum ad maſſam, tu eadem celeritate manum cum maſſa ſubducito, via ad pendentis æquilibrium circulari, ſubſequitur ferri librati finis & in orbem vertitur.

APPLICATIO.

Hiſce ergo exemplis redditur liquidum, quemodò duo Spiritus ſimilis diſpoſitionis, ſeu Potiùs unius in natura identitatis ſint apti & naturaliter diſpoſiti ad concupiſcendum & amplectendum ſuum ſimile: Idque non modò per contactum ſed etiam ad diſtans, hoc eſt, ubi ſpatium aliquod vel loci intervallum duobus illis corporibus Magneticis interponitur, & per conſequens, quòd non ſint corpora, quæ agunt (nam illa ſunt à ſe invicem diviſa) ſed Spiritus formales in illis corporibus, quæ aſtrali quadam emanatione, inprimis ſe invicem Sympatheticé & amicabiliter aſpiciunt, ac tum poſteà per unam æqualem attractionem ſeſe amplectuntur & quaſi oſculantur. Atque ideò alienum aut impoſſibile ſapientibus non poteſt videri, quòd Spiritus Sanguinei in unguento, ac illi in vulnerato ſoleant in tam magna diſtantia, quæ inter unguentum & vulnus eſt, concurrere & convenire, hoc eſt, per aſpectum Sympatheticum ad invicem applicare : Cùm ambo hi Spiritus non ſint, niſi radius unus quinteſſentialis indiviſibilis, utcunque ſint proprietate Elementali alterati: Haud aliter ac aër, à vento Boreali factus eſt differre ab illo Auſtrali, tametſi uterque iſte aër ſit in ſua exiſtentia, non niſi unus aër eſſentialis & individuus.

Ad ramum prædicti membri ultimum quod attinet, arguit quidem, quòd Spiritus ſanguinei poſſint à telo vulneranti imbibi unde & juxta hujuſmodi axioma Paracelſi. locus ſeu portio teli vulnerans, facta eſt in Magnetem : Ejus enim aſſertio eſt talis.

> Quodlibet corpus, cui Mummia viva in alio homine propinatur, illicò fit Magnes. Paragr. 4. & 3. Phil.

Sed & hoc Magneticé per problema iſtud probatur.

5. *Problema ſeu demonſtratio à Magnete.*

Ferrum à Magnete ex parte poli Magnetis incitatum ſeu animatum, attrahit ad ſe ſimile Magnetis, qui illud tetigit.

APPLICATIO.

Quod Spiritus animalis vulnerati, animales in momento ictus, in telum vulnerans penetrare ſoleant, & quod telum percutiens illos avidé imbibat & ſibi aſſugat, probatur ex ſequenti iſta obſervatione.

Chirurgi nonnulli ruri degentes, & ob ſui imperitiam vulneris periculoſi profunditatem probâ tentare aut ſcrutari minimè auſi; Telum, ſive ſit enſis, ſive pugio, ſive cultellus & ſimilia accipere aſſolent, illudque carbonibus ignitis imponunt : & quamvis nullam caloris differentiam diſcernant in telo ante ipſius in ignem emiſſionem ; Tamen poſtquam ab igne extrahitur, locum in telo vulneranti in colore ab ejuſdem reſiduo mutatum obſervant, idque ratione Spirituum illorum, quas portio illa feriens imbibebat: Atque hoc communiter verum, aliorum experientiâ reperitur.

Verùm etiam eſt alia probatio, quæ exactè etiam hoc idem approbare videtur: Nam ſi vipera ſeu Caluber enſe vel cultello feriatur ; Spiritus venenoſus iraſcibilis ſerpentis

pentis in ſubſtantiam Chalybis penetrabit: Atque hoc quidem ex iſto experimento confirmatur: Nam, ſi quis tum poſteà ab iſto telo ita infecto vulneretur, locus iſte, quiSpiritus animales venenoſos imbiberet, taliter venenabit vulnus, ut vix tum poſteà curabile ſit futurum, niſi antidotus quædam cum vipera vel colubro conflata, ei rectè adhibeatur: Hoc à quodam Gallo nobili accepi, qui affirmavit, ſe expertum vidiſſe. Simili planè ratione, ſi Scorpio contundatur & vulneri à Scorpione facto applicetur, illud citò curabit, quòd aliter mortale eſſe deprehenditur: Vti etiam omnibus in Italia & Gallia eſt notum, hoc idem oleo ex ſcorpionibus facto fieri.

Secundum propoſitionis prædictæ membrum ſive portio cum probationibus ejuſdem.

Membrum. I. Secundò quòd, ſi corpus aliquod Magneticum, ſive ſit animale, vegetabile aut minerale in partes dividatur, natura harum partium Spiritualis, ſemper tendit inclinatione naturali, ad unitatem & conformationem à Deo primitus ordinatam, tametſi hæ partes dividantur ab invicem & ad bonum diſtans removeantur, quod eſt Argumentum, eas eſſe non niſi unam continuam rem in Spiritu, atque ideò pars unica diverſé cooperatur, radioſque actuales ſuæ identitatis Sympatheticæ ad aliam emittit, utcunque earum corpulentiæ ab invicem ſunt diviſæ & diſtantes.

1. *Demonſtratio iſtius membri cum confirmationibus ejuſdem.*

Hoc quidem ſatis ſuperque (ut mihi videtur) per demonſtrationem ad primi membri confirmationem allegatam, atque adhuc clariùs per 2. Demonſtrationem capite 3. hujus, quippe in qua declaravi, quòd ſi Magnes longus in medietate inter duos polos dividatur, nimirum in æquatore lapidis, & quælibet harum medietatum, in ſuis cimbis ad fluctuandum ſuper aquam quietam imponantur, Spiritus utriuſque dimidij influentialis, qui eſt in eſſentia unicus & cum utriſque eſt continuus, deſiderabit & omnimodè tentabit corpora ſua ſic vulnere vel continui ſolutione diſtincta, iterum unire & in priſtinum ſuæ ſanitatis ſtatum reducere, & ob iſtam rationem B. & C. (quorum illud eſt Meridionale videlicet B. hoc verò, nempe C. Septentrionale) quæ prius erant partes continuatæ, ſed jam per Spiritum illum inſeparabilem, qui dat vitam utriuſque, ambæ in unum alliciuntur & contrahuntur & in priſtinum ſuæ continuitatis ſtatum rediguntur: Hoc eſt, ex duobus lapidibus fit unus: Ita, ut portio Spiritus in C. attrahit atque allicit ad ſe corpus B. portio Spiritus B. affugit atque allicit corpus C. ad ſe: Nam notandum eſt, quòd unitas Spiritus ſemper appetit & affectat unitatem corporis illius, cui inhabitat; Nam Spiritus formalis ſeu quinteſſentialis in varietate diſpoſitionis Spiritus aërei minimé delectatur: Atque ideò cupit ſpecificam illam domum ſive palatium inhabitare, quod priùs immediatè poſt ejus à patria cœleſti ſeu parentibus Stellaribus deſcenſum, poſſidebat. Atque hæc eſt ratio, quòd unus Spiritus eſt aptus, imò verò & lætatur cum ſuo ſimili communicare, ſed præcipuè unus & idem Spiritus debet neceſſariò agere & nunquam abeſſe ab alio: Atque ideò, quando Borealis & gelida quaſi natura à proprietate auſtrali ſeu æquinctiali incitatur & exagitatur, ſi rite adaptetur & Auſtralis ferri proprietas à polo Magnetico Boreali alterius tangatur, & attractionem ſuam fortius preſtabunt.

Problema hoc idem confirmans.

Si corpora Magnetica dividantur & pars aliqua à quolibet eorum integro abſcindatur vel rumpatur: Pars illa ita ſeparata habebit ſuos polos Borealem & Auſtralem æquè ac integrum: Atque ideò quælibet ferri ſeu Magnetis particula à ſuo integro ſeu toto diviſa, habebit Borealem proprietatem atque etiam Auſtralem: Quo manifeſtè confirmatur capacitatibus ſapientum, quòd Spiritus cujuſlibet individui habeat Borealem & Auſtralem conditionem, & per conſequens attractivam, contractivam atque etiam dilatativam naturam, non (inquam) Spiritus ſolummodò totius, ſed etiam cujuſlibet particulæ ejuſdem, cùm Spiritus formalis ſit in ejus toto & qualibet ejuſdem parte. Gilb. lib. cap. 32.

APPLICATIO.

Poteſtis igitur ex iſtis colligere, quàm ſit poſſibile, quòd Spiritus in ſanguine mortuo ſeu telo imbibitus, tranſlatus ad diſtans & è longe in unguentum ad vulneris curationem conferre poſſit: Quippe, quod unguentum non longè à natura vulnerati differens

ferens potenter operatur, idque præcipuè respectu salis vegetabilis ac usneæ, in qua Spiritus delitescunt, qui quidem Spiritus applicatione Spirituum Australium seu vivorum in homine vulnerato, directione sanguinis transplantati conductorum, revisceit & cum ijsdem Spiritibus cooperatur, non modò in sanguinis emanantis sistentia, sed etiam in curatione & consolidatione vulnerum; uti infra ostendetur latiùs.

Tertium propositionis prædictæ membrum confirmatur hisce testimonijs.

ertum. 3. Tertiò, quod non sit externus animalis sanguis, sed internus, qui à suo fonte separatus, & in alia quasi terra seu loco unctuoso transplantatus, operatur Magneticè à loco, ubi plantatur ad fontem, à quo priùs fluebat: & hoc sustinetur & confirmatur in hunc modum.

Demonstratio ad membrum istud confirmandum.

1. PROBLEMA.

Non est corporeum, quod defluit à Magnete, aut quod ferrum ingreditur, aut quod à ferro expergefacto refunditur, sed Magnes Magnetem forma primaria disponit; Magnes verò ferrum sibi familiare, simul ad formatum vigorè revocat & disponit, propter quem ad Magnetem ruit, & avidè se conformat. (mutuis viribus concorditer, promoventibus) Hæc Gilbertus lib. 2. cap. 4. de Magnete.

lib. 2. de Mag.

APPLICATIO.

Est ergò Spiritus planè formalis, seu subtilis & cœlestis influentia, quæ mutuò operatur à vulnere ad sanguinem transplantatum, & consequenter neque corpus, neque sanguis aut aër, aut unguentum, in quod sanguis effusus, & per effusionem quasi mortuus, seu spiritus Sanguinei transplantati continentur: Ita, ut Spiritus excitati, in unguendo, aspectum suum ad radios sui excitatoris applicent: Boreale (inquam) Spiraculum Meridionalem, atque ita unio facta est inter Spiritus unguenti cum sanguine ei adaptato ac illis corporis vulnerati. Et ut videmus, quòd concursu venti Borealis & Australis in aëre macrocosmico, ambo Spiritus simul & in eandem formam uniantur, & Magneticè cum aëreo suo vehiculo in nubem contrahuntur, quæ in se ignem formalem, nempe fulgura ac corpus aqueum continet: Ita quidem duæ emanationes efficiunt ac producunt contractum aëreum Spiritum, in loco applicationis, vel concursu eorum, qui in actu suæ contractionis spiritum Balsamicum in unguento residentem & ab eo emanantem attrahit: Haud aliter, ac videmus in instrumento nostro experimentale, quòd aër eo frigore contactus, non sit pro illa contractione ad huc visibilis: Sed hoc ulteriùs adhuc sic confirmamus.

2. PROBLEMA.

Ferrum allicitur sive attrahitur solummodò per immaterialem actum formæ, hoc est, per progressum incorporeum, qui operatur & decernitur in subjecto ferreo, tanquam continuato homogeneo corpore: Atque ista est ratio, quòd ferrum movetur & attrahitur ad Magnetem, sine ullo interpositionis alicujus corporis densi ac bene compacti impedimento, atque iterum ferrum attrahit ad se Magnetem, & concursus ad unitatem, fit per mutuum consensum & vigorem, qui quidem concursus proprié dicitur attractio.

rt. de . lib. 2.

APPLICATIO.

Hic videmus illam relationem, quæ est inter Magnetem & minieram, ex qua Spiritus ille, qui animat Magnetem, extrahitur. Exempli gratia, capite antedicto, Spiritus Mummiæ microcosmicæ in excrescentia sua excrementitia, in plantam transplantatur, atque ita planta illa ab eo Spiritu animata, in Magnetem facta est, qui Spiritum suum vegetativum dirigit, ut Spiritui aut radijs membri tabescentis applicet.

Iam verò ad membri prædictæ propositionis quarti probationem venio.

Membrum. 4.

Membrum istius propositionis quatrum probatur in hunc modum.

Quartò, quod sit Spiritualis penetratio facta ab uno corpore ad aliud, priusquam aliqua Magnetica operatio complèri queat.

Demonstratio.

Hoc membrum est sufficienter ab ijs, quæ in prædictis membris sunt anté dicta, confirmatum, & tamen adhuc clariùs isto sequenti problemate exprimitur.

PROBLEMA.

Magnes ducit Magnetica, quæ ab ejus viribus vigorem avidè concipiunt, non in extremitatibus tantùm, sed in intimis & in medullis ipsis: Nam bacillum ferri, ut apprehenditur, Magneticé éxcitur in fine, quo apprehenditur, permeatque etiam ad alteram extremitatem vis illa, non per superficiem tantùm, sed per interiora & universum meditullium.

APPLICATIO.

Hisce evidenter apparet, quòd radij formales unius Magnetis, penetrant usque ad centrum alterius, atque itidem alter more reciproco penetrat ad centrum usque illius: Ita etiam Spiritus vulnerati penetrat atque permeat partim per sui ipsius emissionem, & partim sui similis, in unguento attractionem, etiam in viscera seu meditullium unguenti ad Spiritus sui generis, qui in eo occultantur & per consequens unguentum more reciproco in Magnetem per Spirituum sanguinis animalium imbibitionem factum, radios suos attractivos applicat ad illos, qui à vulnere emittuntur, & in ista sua actione à Spiritibus Sanguinis mortui in unguento dirigitur: Quemadmodùm infra declarabitur luculentiùs.

Membrum. 5.

Membrum propositionis prædictæ quintum cum suis probationibus.

QVinto, quòd percipiemus actum Magneticum, seu operationem Spirituum cœlestium seu astralitiorum deorsum influentium non esse mente humana determinandam, aut in motu suo ullo impediendam, si modo in istius negotij profundum oculo intellectuali velimus introspicere.

Ad meliorem istius membri anatomiam & expressionem, necesse habemus pro certiori lectoris instructione, ut illud in duos ramos seu particulas separatas distinguamus, quarum prior explicabit extensionem emanationis à Spiritibus duobus astralibus factæ non esse humano in genio limitibus certis determinandam, utcunque ipsa per externum aliquem effectum videatur quodammodò conjecturari: Secunda particula probabit, quòd tales radiosæ stellares influentiæ seu emissiones quintessentiales, quæ à Magnete in ferrum, aut ab uno Magnete ad suum in natura simile ejaculantur, & consequenter ab omni alio corpore Magnetico conditionis in essentia similis, non possint impediri per corporum solidorum & bene compactorum interpositionem, uti Philosophi nonnulli inconsulti temere & audacter nimis in suis scriptis asseverarunt.

Ad primum autem ramum quod attinet, qui radiorum seu formalium extensionem seu emanationem à corporibus Magneticis terminationem imaginariam intra sphæræ activitatis cognitæ limites, ejusdem rei impossibilitas (utcunque Philosophi nostri Peripatetici contrarium finxerunt) istiusmodi demonstrationibus problematicis sequentibus arguitur.

Quædam Propositiones Theorematicæ & Problematicæ, contenta istius articuli sive particulæ primæ confirmantes.

1. *THEOREMA.*

Vigor in corporibus cœlestibus, mediante quo moventur, animam ipsis in esse, testatur, atque ob istam rationem à Philosophis sapientioribus actu seu Spiritu quodam divino imbui atque animari existmantur, cujus virtute moventur: Quod cùm ita sit, extensio applicationis radiorum debet etiam esse incerta, & per consequens limitibus constantibus destituta, quoniam Spiritus ipsorum emanatione semel

semel facta, quandoque in aëre, nonnunquam in aqua; Atque haud rarò, imò verò omni momento, idque sine ulla resistentia etiam ad terræ centrum penetrant, ut ibidem in regno minerali operentur, ipsius subjectis diversis, diversimodé pro more influentiarum quibus subsunt, deformali eorum actu & virtute impertiendo, per quam in acuta eorum penetratione agunt: Atque ideò creaturæ istæ inferiores similis naturæ, sunt potentes ad virtutes suas radiosas tam longé extendendas, & radios suos ad distantiam tam indeterminatam ac sunt stellæ applicandos.

2. THEOREMA.

Rectè tunc dicitur Magnes movere Magnetem, & quòd eorum unus disponat alium per primariam eorum formam, quam à fonte Stellari recipit: Atque ideò haud absurditas ulla erat in sapiente Thalete Milesio, nec erat dementia aliqua in Scaligero, animam Magneti assignare; Cùm centraliter & ab interno Principio incitatur, dirigitur & circulariter movetur.

1. *Problema istud Theorema confirmans.*

Si duo Magnetes in superficie aquarum sibi invicem expositi fuerint in suis navigijs, non statim occurrunt, sed primum convertunt se mutuò, aut minor majori obtemperat commovendo se circulari quodam modo, tandemque cùm secundum naturam dispositi fuerint, concurrunt: Hæc Gilbertus lib. 2. cap. 4.

Ille idem etiam effectus apparebit inter Magnetem & ferrum, ut infra declarabitur.

ADDITIO.

Et quamvis quis replicare queat, quòd iste actus in Magnete cum Magnete sive in Magnete cum ferro videatur ab effectu externo certa quadam dimensione determinari & consequenter verba à me antèà prolata haud multùm adhuc ad indeterminatam emanationis corporum Magneticorum dimensionem probandam conferre: Respondeo ego, sensibilem inter Magnetem & Magnetē actum, arguere haud videri; Quòd quoniam duo illa corpora ponderosa suum motū evidentem habeant non nisi ad talem distantiam, ideò Spiritus eorum ulterius sese extendere aut radios suos ulterius applicare haud quaquā possint: Nā est unum operari sensibiliter per violentiam massæ ponderosæ attractionem, atque aliud, ut una solummodò forma amplectatur, & in Harmonia quam naturali concurrat cum alia, atque ista alteratio illis, qui optimè in proprietatibus Magnetis versantur, per problema hoc sequens ad amussim verificatur.

2. PROBLEMA.

Orbis virtutis latiùs extenditur, quàm orbis motionis cujusvis Magneticæ, efficitur enim Magneticum in extremo, etiam si non moveatur locali motu, qui propius admoto Magnete efficitur: Nam tunc tota corporea massa movebit ad eum.

3. PROBLEMA.

Acus Magneticé contacta aspiciet Boream etiam à puncto æquinoctialis; Quod quidem est apparens argumentum extensionis indeterminatæ virtutis lapidis Magnetici.

Aliud problema hoc idem præstans.

4. PROBLEMA.

Separatæ partes à Magnete integro utrosque polos induunt, si divisio non fuerit paralleleticè: In parallelo si divisio fuerit, unum polum in eadem, qua prius sede retinere possunt: Hæc Gilbertus. lib. 2. cap. 32.

Cart lib. 2. c. 32.

Ac Ridleus. cap. 21. sui tractatus Magnetici, ait: Si minor Magnetis pars à majori auferatur, ea portio minuta eâdem vitâ & vigore imbuetur, quem integer lapis possidebat: Haud aliter, quàm infans vitam suam à patre hauriens, patri suo in vita & partibus correspondet, eritque frustum istud majoris lapidis, quasi nova creatura: Nam habebit suos polos & æquinoctialem æquè & completè ac integer lapis habuit.

dleus. cap. & Magn.

Etiam, si virga ferrea, ut est illa cortinæ, suspendatur, suamque positionem habeat Borealem & Australem sine ullo Magnetis contactu (nam, si cudatur Borealiter & Australiter, induet proprietates easdem, nimirum virtutes polares & movebit in aëre, si filo serico suspendatur, aut

cymbæ committatur, ut ſuper aquam fluctuet, ad Boream & Auſtrum juxta ſuos polos) ſi (inquam) parvulum virgæ fruſtum rumpatur ab ejus Borea, illud fruſtum habebit ſuos polos, Borealem nimirum & Auſtralem æqué ac ejus totum; Videlicet virga longa, à qua erat ablatum.

APPLICATIO.

Quibus liquet, quòd ſi quælibet portio ſeu fragmentum Magnetis ſeu ferri habeat ſuos polos æqué ac totum, tunc Spiritus, qui ineſt ijs, habet ſuam relationem vel applicationem ad ſtellam polarem majoris mundi, atque etiam reſpicit virtutem Auſtralem atque etiam polum ejuſdem: Nam, niſi ei ineſſet animæ mundanæ ſcintilla, quæ in ea ſecundum exiguam ipſius proportionem, haud aliter, quàm in mundo majori, operatur, impoſſibile foret, ut utrumque polum tanta exactione reſpiceret, uti experientia teſtatur: Ac ob id, ut actiones animæ mundi ſunt adeò Catholicæ, ut non poſſint limitibus certis terminari, etiam ſe habent Spirituales & Aſtralitiæ creaturarum inferiorum emanationes ſive irradiationes.

5. *PROBLEMA.*

Gilbert lib. I. cap. 12.

Ferrum rectum ſex pedes longum, digitali craſſitie (ut anteà) in juſto æquilibrio cum filo ſerico tenuiori & firmo; Filum verò varié debet eſſe contextum, ex varijs ſericis filis non una ſimplici via contortum, ſitque in camera parva clauſis oſtijs feneſtriſque omnibus, ne ventus ingrediatur, aërque cubiculi moveatur quovis modo, tardè movetur, donec tandem acquieſcens, finibus ſuis oſtendit Boream & Meridiem, quemadmodum Magnete tactum ferrum in Horologijs ſciotericis & compaſſis & nautica pyxide ſolet.

Prætereà inveniemus, quòd Magnes aut res aliqua alia, quæ excitatur à Magnete in ſuis cymbis diſpoſita, ſuum aſpectum diriget ſuper acum in ſuo verticali, verſus polum Borealem.

CONCLVSIO.

Eſt ideò manifeſtum, quòd extenſio Spiritualis ſeu formalis Magnetis emanationis, atque etiam illius omnium aliorum corporum Magneticorum, non ſint limitibus certis concludenda: Quatenus ipſa agit & applicat ſuos radios ad ſedem & ſtationem uſque ſtellæ polaris: & ſtella Polaris ſimiliter influentijs ſuis emiſſis more reciproco operatur; Applicat ad, vel aſpicit Magnetem, atque ita inter iſtos radios aſcendentes atque illos deſcendentes facta eſt continuata Spiritualis unio, quoniam ocularitèr diſcernimus, quòd tam Magnes, quàm ferrum, Magna cum diligentia & cum manifeſta Sympathia aſpiciant & moveantur ad ſtellam illam. His ergo ritè ponderatis, conſideret quis velim, quanta ſit illa intercapedo ſive ſpatium, quod eſt inter terram & octavam ſphæram, ac procul dubio percipiet, illud eſſe quaſi infinitum ſeu potiùs inconmenſurabile, & conſequenter irradiationes à corpore Magnetico factæ, aliqua Phantaſtica & ſenſibili activitatis (juxta imaginariam Philoſophorum nonnullorum phantaſticorum ſententiam) terminare neſciunt. At ſi actus talis & ad tantam diſtantiam, vel ſtellæ Polaris vel Magnetis denegetur à nonnullis, & illa Fracæſtorij, cum illa etiam multorum aliorum doctorum opinio recipiatur & pro Authentica habeatur, quæ dicit ipſum Magnetem & ferrum, atque acum à Magnete tactam, ſe tendere ad Septentrionem ratione attractionis variorum Scopulorum ex Magnete conſiſtentium, qui in montibus hyperboreis ſiti ſunt: Si iſta (inquam) opinio pro vera ſtatuatur, tamen ex ea elicere poſſumus actum Magnetis ipſum & reſpectum actualem, quem corpora Magnetica faciunt, ad illum non poſſe limitibus ullis certis terminari, cùm in iſta etiam conſideratione, talium corporum irradiationes, obſervabuntur cooperati à loco Æquinoctialis uſque ad ſcopulos Hyperboreos: Sed iſtam eorum opionem alibi falſam atque vanam probavimus. Iam verò iſtud totum, quod dictum eſt ad præſens hoc noſtrum propoſitum, nimirum primum hujuſce membri articulum applicabimus.

APPLICATIO.

Primum & ſecundum problema nos docet, quòd ſit talis cœleſtis & Aſtralicus ſubtilis Spiritus in omnibus Magneticis terræ corporibus, qualis eſt illis cœleſtibus: & per conſequens, quòd radij cujuſlibet eorum, tam longè penetrare queant (tametſi iſta penetratio ſenſu diſcerni nequeat) quam radij cujuſlibet ſtellæ. Hiſce percipere poſſumus, cœleſtem in homine Spiritum, qui eſt ex puriori & ſubtiliori ſubſtantia, quàm ille Magnetis; Emittere valere radios ſuæ virtutis, non modò ad metam illam, ad quam collimat Magnes, ſed etiam ad ſummum Divinitatis Thronum: Iterum hinc inde arguitur, quòd Spiritus in ſanguine tranſplantato, potens ſit in vulnus ad quamlibet diſtantiam operari, atque itidem, quòd radioſus vulneris

Spiri-

Spiritus valeat cooperari & continuatum cum illo respectum habere. Tertium denotat, quòd tametsi unguentum & sanguis in eo comprehensus non appareant ad longinquum mobiles, nihilominus cooperari, & cum Spiritu vulnerati ad distantiam & proportionem loci incognitam conjungi possunt. Per quartum & quintum elicere possumus, aspectus sanguinis Borealis ad austrum extensionem, esse ab æquinoctiali ad polum, nimirum per 90. gradus. Verùm enim verò affirmo ego, quòd, ut Borealis & Australis animæ mundi emanatio vastam mundi cavitatem implet: Ita etiam Mediante eâ & in ea potest actus iste animæ humanæ se ipsum longé ultra capacitatem carnis & Sanguinis extendere: Atque ideò ipse, non nisi intellectualiter est concipiendus: Per quintum intelligimus, quamlibet Sanguinis humani seu Mummiæ Spiritualis particulam à toto divisam, habere & idealiter continere in se omnes partes seu proportiones, quas totum sive integrum possidet: Atque ideò tam Boreali, quàm Australi aspectu soleat operari & per consequens deorsum à cœlo proprietatem similem pro occasione data allicit sive attrahit. Nam ob istam rationem hic Spiritus dicitur à Propheta venire à quatuor ventis, & tamen non est, nisi Spiritus in essentia unicus, utcunque est in proprietate quadruplex: Nam erat virtute hujus, quòd mortui à Propheta specificati resurgerent: Atque ideò tam longé, quàm venti Borealis aut Australis extensio potest esse, tam longé potens est Spiritus iste in homine radios suos Spirituales emittere. Ezechiel. 36.

Iam verò veniam ad probationem articuli secundi, qui penetrationem Spiritus istius acutam demonstrat ostenditque, quòd sine ullo impedimento perficiatur contra opinionem nonnullorum ignorantum, qui credunt, Castella, scopulos, sylvas, montes & hujusmodi alia posse Spiritus istius subtilis & omnia permeantis motum atque actum impedire: Ejus probatio fit hoc modo. Fosterus & alii ejusdem farinæ.

Demonstrationes secundum hujus membri articulum comprobantes.

1. PROBLEMA.

NEque ignis, nec aqua, nec terra ingressum actionis aut penetrativæ virtutis in Magnete super ferrum impedire valet, quatenus experientia comprobatur, quòd Magnes allicit seu attrahit ferrum ad se, non obstantibus aut igne aut corporibus solidis: Exempli gratia sit flamma aut candela juxta lapidem, appone filum breve ferreum, & cum appropinquaverit per medias flammas ad lapidem penetrabit, versoriumque seu acus in versorio, nec lentius nec minus avidé applicat ad Magnetem per medias flammas, quàm aëre apertò, ita ut non impediunt flammæ interpositæ coitionem. Hæc Gilbertus lib. 2. cap. 4. Gilb. lib. 2. cap. 4.

Ita, ut videre possimus istiusmodi experimento, coitionem horum corporum Magneticorum esse nullo modo interpositione ignis aut perturbandam aut impediendam; Etiamsi aqua vel terra ipsis interponatur, tamen hoc idem præstabit Magnes officium.

2. PROBLEMA.

Ferrum allicitur actu immateriali seu processu incorporeo, qui operatur & concipitur in ferreo subjecto, tanquam in corpore continuato homogeneo: Ac ob istud ferrum movetur & attrahitur à Magnete, atque iterum ferrum attrahit ad se Magnetem, & concursus sive convenientia in unitate erit per eorum radios facta, tametsi corpora densa ad eorum coitum impediendum sint interposita: Gilbert. lib. 2. cap. 4.

Ita, ut elicere fas sit ex isto problemate, quòd substantiarum diversarum interpositio nil possit in impediendo illam Spirituum coitionem, quæ facta est inter illa duo corpora; Quod est argumentum, quòd influentiales seu formales Spiritus nequeant suo motu impelli; Atque ideò subtilis iste Spiritus, qui ortum suum ducit ab anima mundi, à Philosophis sagacioribus dicitur omnia permeare entia, verùm hoc sequenti problemate planius.

3. PROBLEMA.

Magnes sive frictione aut calore, siccus aut humore perfusus, tam in aëre, quàm in aqua Magnetica provocat; Tum etiam solidissimis interjectis corporibus, vel lignorum tabulis, aut lapidum aut metallorum: uti auri, argenti, aut ferri crassioribus laminis: Hæc sunt verba Gilberti. lib. 2. cap. 2.

Et Ridleus, quòd, etiam si illæ substantiæ, quæ non sunt Magneticæ collocentur inter acum versorij & Magnetem, tamen haud possunt impedire orbem & progressum vigoris Magnetici: Exempli gratia, si Magnes claudatur in pyxidem

aut ligneam aut lapideam aut ſtanneam, aut argenteam &c. Tamen nihilominus Magnes orbem ſuum Magneticum extendet.

APPLICATIO.

Concludimus igitur per typicam iſtiuſmodi expreſſionem, quòd Spirituum vitalium in homine emiſſiones ſint tam ſubtiles ac penetrantes, ut nulla corpora interpoſita valeant eos in motu ſuo determinato impedire : Nec non eſt ſanguis ille Magneticus in unguento Magneticé excitatus, in concurſu & unione cum eodem Spiritu Auſtrali ſeu vivificante, impediendus, hocque præcipué, quoniam formales unius Spiritus ſunt continui & homogenei ad illos alterius.

Procedo jam ad ſextum prædictæ propoſitionis membrum.

SExtum membrum eſt, quòd poſtquàm corpus aliquod (ſive ſit animale, vegetabile aut Minerale) ſit per tranſplantationem alterius factum Magneticum, aut Magnes, ad aliud corpus, facit per attractionem ſuorum Spirituum, amatorem ad ſe, ijs virtutem & proprietatem imperti-re, quæ pertinent ad ſe ipſum : Ita, ut, quemadmodùm amator participare ſoleat cum natura amati, ita etiam amatum ſolet cum natura & conditione amatoris communicare, hocque præcipué, ſi modò ſint in genere homogenei atque affectione reciproci.

Quædam demonſtrationes problematicæ ad iſtud membrum confirmandum.

1. *PROBLEMA.*

Quodlibet corpus, cui Mummia viva in alio homine propinatur, illicò ſit Magnes.

APPLICATIO.

Problema hoc eſt animalis & non mineralis naturæ, ſed inferre videtur, quòd per tranſplantationem ſanguineorum ſpirituum humanorum, unguentum protinus Magneticum reddatur & attractivum, haud aliter, quàm in præcedentibus affirmavi, ungues & pilos in quercum tranſplantatos, ipſam ſtatim communicando Spiritus unius cum Spiritibus alterius, attractivam & Magneticam reddere.

2. *PROBLEMA.*

Magnes nihil poteſt præſtare, quod ferrum Magneticé excitatum efficere neque-at : Idque non modò contactu, ſed etiam ad rationabile diſtans.

APPLICATIO.

Nec pariter quicquam poteſt Spiritus in homine vivus agere, quòd Sanguis mortuus in unguentum tranſplantatus, præſtare non poteſt : Si modò more reciproco coëant ; Imò verò Spiritus in unguento ulteriùs procedunt, nam nativam influentiam in vulneratum inſpirant.

3. *PROBLEMA.*

Ferrum Magnete contactum aliud ferrum recreat, illudque ad motus Magneticos inſtruit ; Ita, ut tertium etiam ferrum ad ſe trahat, verbi gratia : Magnes applicatus ad A. trahit clavum ſeu obelum B. ſimiliter poſt B. trahit C. & poſt C. D. remotis verò clavis B. & C.

Gilb. lib. 2. cap. 4.



In eadem diſtantia Magnes A. non attollit in aërem D. clavum &c. Hæc Gilbertus.

APPLI-

APPLICATIO.

Ferrum B. comparatur ad Spiritus, qui priùs animantur à Spiritibus vivis in homine, & qui animant Spiritus unguenti, qui sunt de natura Microcosmica, ratione salis in usnea volatilis, quod est talium Spirituum vegetantium atque vivificantium receptaculum, qui dant vitam homini, præterquam, quòd jam Borealem proprietatem induerint & quasi pro mortuis habeantur. Spiritus autem isti in unguento referuntur ad C. qui agunt & operantur, postquam ita excitantur in D. quod Spiritus ex vulnerato emissos importat: Adeò, ut elicere possimus, quòd non sit, nisi unus & idem spiritus continuatus, qui in actionem reducit tria diversa subjecta cum spititibus eorum, nimirum sanguis effusus & transplantatus, unguentum & corpus vulneratum.

4. PROBLEMA.

Magnes & vena ferrea sunt idem & eandem habent naturam, atque etiam in una Miniera, quasi Gemini, inveniuntur. Imò & robustus Magnes ferrum in se continet, atque ideò ferrum, quod ab utrisque eorum extrahitur, habet omnes Magneticas virtutes, tam in vena, quàm post factam separationem, sed magis debiles & impotentes, nisi excitatur à Magnete, aut ipsi addatur, hoc est, nisi Magnes cum eo armetur: Nam hac ratione reddetur in sua facultate Magnetica fortior, quàm ipse Magnes.

Gilbert. lib. 2. cap. 4.

APPLICATIO.

Simili planè ratione sanguis in vulnerato, atque ille, qui transplantatur, ut in unguento purificetur & confortetur, ab una eademque derivantur vena, atque unam eandemque matricem habent, atque ideò idem extractus sanguis retinet in se omnes virtutes Magneticas sed Magis debiliter, & in potentia magis, quàm actu, nisi ab Australi sanguinis virtute excitetur, aut Balsamica unguenti natura armetur: Nam, si ita præparetur ac muniatur, videlicet, si ita incitetur & dirigatur, possidebit & suam potestatem Borealem: Atque illa Balsamica & attractiva virtus usneæ est adeò potens in sua Boreali & Saturnina conditione, ut subitò quasi sigillo confirmet & fistat per congelationem Australem illum sanguinem, qui fluit, haud aliter, quàm videmus, ventum Borealem convertere in ignem & immobilem nivem atque grandinem.

5. PROBLEMA.

Magnes & ferrum inter omnia alia corpora nobis cognita, sunt in natura & conditione, propinquiores ad terram: Nam in se retinent substantiam admodùm geminam & homogeneam & ad terram appropinquantem: Atque ideò hæ tres substantiæ naturâ ad invicem conveniunt.

APPLICATIO.

Hisce liquet, quàm sit propinqua relatio inter corpus humanum, quod comparamus cum terra, & sanguinem, qui exit è venis, quem referrimus ad Magnetem, atque unguentum Spiritibus sanguineis relatũ, quod ex sanguine erat extractum: Nam pinguedo & usnea atque Mummia erant de sanguine: Scripturæ enim nos docent, animam carnis, & per consequens pinguedinis & ossium esse in sanguinè sitam: Quo fas est considerare, quòd, quamvis hæ tres substantiæ corporeæ differant, tamen in homogeneitate Spiritus conveniunt: Ac ob hanc causam non est mirum, si sit continuitas quadam inter Spiritum Sanguinis corporei, atque illum in unguentum transplantatum. Nec profectò adeò debemus admirari in commercio illo naturali, quod est inter Spiritus Sanguineos & unguentum, aut, quòd unio tam subitanea fieri soleat inter eos, aut quòd illud debeat tam subitò fieri Magneticum, sive Magnes, sola adaptatione eorum in Balsamica & sanativa ejus in vulnus operatione: Idque præcipuè, quoniam per Spiritus in eo transplantatione adaptatos, dirigitur, & post animationem radios suæ naturæ in suum simile convertit, cùm sit tam propinquum in Spiritu & proprietate ad sanguinem vulnerati & frustum ferri, ut portio Magnetis ab integro abrupta sit suo toti: Quæ quidem portio in omnibus convenit cum Spiritu sui patris seu fontis, à quo est derivata: Ita etiam videmus, quòd, quamvis aër macrocosmicus videatur naturâ secundum suam positionem variare (nam aër Borealis est frigidus; Australis verò seu Æquinoctialis calidus) est tamen non nisi unus & idem Spiritus continuus, utcunque in hanc vel illam nubem, distingui videatur: Atque iterum Spiritus internus seu formalis, qui quatuor ventos diver-

Ezekiel. 36. diversimodé animat, est non nisi unus & idem Spiritus indivisibilis (uti ab ore Prophetæ accipimus) similiter est unica & eadem Spiritus identitas, quæ agit in vulnere & in sanguine effuso seu transplantato, atque unguento: Quatenus omnes hi tres non fuerunt nisi unus sanguis, ut D. Paulus docebat Athenienses: Nimirum, quòd omnes homines veniant ab uno sanguine, & consequenter ab uno Spiritu in sanguine. Hoc etiam isto problemate confirmo. Act. 17.

6. PROBLEMA.

Attractio facta est in corporibus primarijs, atque illa sunt ad invicem propinquiora, & unius mutui inter se concentus, ratione eorum identitatis in conditione. Atque ob istam rationem Magnes attrahit ad se ferrum, atque itidem ferrum allicit ad se ferrum, & terra terram adducit, ac iterum horum quodlibet sibi alterum trahit.

APPLICATIO.

Hinc ergo colligitur ratio, cur sanguis sibi sanguinem attrahat atque unum corpus suum simile, & unguentum animatum ab una eademque natura suum simile affectet; Atque ideo Paracelsus haud inconsultè dixit (ut antèà) quodlibet corpus, cui Mummia viva in alio homine propinatur, illicò fit Magnes: Atque ideò haud injuriâ possumus pronuntiare, cùm ab ipsa experientia hoc manifestatur: Quòd quodlibet unguentum, & præcipuè illud Microcosmicum, quod imbibit aut comprehendit Mummiam Spiritualem Sanguinis alterius hominis, confestim fit Magnes, & per incitationem Mummiæ Spiritualis, quam continet, avidè affectat & appetit suum simile: Atque propter hanc causam illud attrahit & allicit ad se, atque exinde ei tam impertit sanitatem, quam illud cum suo attractore de proprietate sua vivifica communicat. Plura ad fortem istius unguenti attractionem, post ejus à Spiritibus hominis vivi animationem probandam, proferre potui: Sed in hoc faciendo fortasse tædium potiùs, quàm delectationem lectori inducam; Atque iterum in præcedentibus mentionem satis amplam de ea feci; Atque ideò relinquam ego membrum hoc, ut ad septimum procedam.

Membrum Septimum propositionis cum problematibus.

SEptimò, agentem, qui alienum seu peregrinum corpus; Multò magis illud, quod est de consanguinitate ipsius, Magneticum facit, & concupiscibile seu affectionabile; Idque specie propinquitatis in natura, esse Spiritum cruentum transplantatum in unguentum animale, seu plantam vegetabilem, (de qua antèà verba feci) qui etiam Spiritus, est Magneti unctuoso director, ut in subjectum & Spiritum ejus, unde sic erat derivatus, Magneticé operetur, qui Spiritus si fortis & validus sit, potenter operatur; Sin debilis aut languidus, debilem duntaxat producit operationem.

Nonnullæ demonstrationes problematicæ ad confirmandum membrum anté dictæ propositionis.

HOc membrum in meliorem intenti nostri explicationem in tres articulos seu partes dividamus necesse est, quarum prior probabit, Spiritum transplantatum reddere unguentum, cui commissus est, Magnetem ad vulneratum: Secunda, quòd ipse sit solus dux & director potentiæ unguenti, & conductor facultatis ipsius Balsamicæ ad Spiritum vulnerati: Acultima demonstrabit, quomodo debilis ac impotens Spiritus non nisi debiliter operetur per se, & tamen assistentia & adminiculo sanioris ac robustioris naturæ recreetur & iterum confortetur.

Demonstrationes confirmantes contenta primi articuli hujus Membri.

Gilb. de Mag. lib. 2. cap. 25. EXperientiâ nos docuit, & huic rei astipulatur Baptista Porta, quòd si Magnes debilis, pulveribus chalybis ad tempus obruatur, evadet validior & potentior in attractione sua: Similiter chalybs naturâ suâ efficietur præstantior & validior: Sed Paracelsus magis adhuc in relatione sua veritati appropinquat, dicens, extractione Magnetis candentis in oleo Croci Martis, qui conficitur ex selectissimo Chalybe Corynthiaco, eò usque, dum amplius nihil imbibat, ita corroborabitur hic Magnes, ut decuplo plus virium in attractione sua possideat, quàm habebat anteà.

APPLI-

APPLICATIO.

Simili relatione Spiritus Languidus in Sanguine transplantato imbibitus, unguento animali, (quod eandem relationem in se habet ad Mummiam Spiritualem, quàm oleum Croci Martis ad Spiritum debilem in Magnete) revivificabitur ac recreabitur in vigore suo Magnetico, ac mixtus cum unctuoso suo simili, constituet Magnetem compositum qui similem sibi Spiritum potentiùs longé attrahet, quàm poterat antèà: Vicissim, ut parvulus seu debilis Magnes obrutus pulveribus terræ ferruginosæ, quæ est de natura ipsius, vires suas deperditas recuperat: Sic etiam Spiritus sanguineus inhumatus terræ unctuosæ, de natura sua propria, attractione sui similis à fonte sanguinis & salutaris spiritus ab unguento, sic unitur unguento, ut per animationem creet Magnetem aptissimum, qui naturam hanc Balsamicam utrique communicando, attractione membri sauciati reddit se ipsum medicinabilem; Ita, ut continuitate & integritate spiritus per contactum immediatum spiritualem, deferat spiritum usneæ Balsamicum, aliorumque ingredientium unctuosorum ad vulnus. Nonne observamus, quòd aqua, quæ per acervum seu cumulum salis transit, virtutem salis omnimodé induat, licét effluxus ejus sit perlongus, & quòd ea natura falsa ab uno ejusdem extremo ad aliud communicet, & multò magis aër naturam loci, per quem transit procul vel longinquum transferet, & tamen omnis ille aër sic animatus erit continuatus, & per consequens multò magis subtilis ille spiritus cœlestis, qui aërem in habitat.

2. PROBLEMA.

Gilbert. de Magn. lib. 2. cap. 4.

Ferrum contractatum recreat aliud ferrum per contactum, illudque instruit ad motiones Magneticas.

APPLICATIO.

Simili proportione in regno animali sanguis transplantatus per Australem seu vivum suum fontem, animat ac recreat Magneticé unguentum; Ita, ut operetur in vulnerati spiritum emanantem, & attractam ad se naturam vulneratam, emissione suâ Balsamicâ meliorando & in pristinam conditionem restituendo.

3. PROBLEMA.

Gilbert. tract. 2. de Magn. cap. 6.

Si Magnetem nullius sensibilis roboris aut virium, quasi, Magneti roboris ac vigoris validi & potissimum polis imponamus, vigorem illa robustioris ac majoris, cui uniebatur, æqualem ostendet: Sed postquam removebitur, minor ille erit adeò debilis, ut antèà, nisi sæpius repetatur: Idem effectus plané sequetur, si frustum ferri Magneti robustiori applicetur, sed si tollatur à lapide, tunc omnis virtus feré evanescet & deperdetur.

APPLICATIO.

Simili ratione sanguis debilis Borealis in unguentum transplantatus, & applicans se ipsum viventis spiritus emanationi, præservatione & corroboratione unguenti fortificatur, & attrahit seu operatur efficaciter, reddetque totum unguentum Magneticum: Sed, si accidat, ut unguentum vel separetur seu abradatur à loco teli, in quod spiritus penetrarunt (ut Bevis Tell Well, eques auratus, fecit periculum in securi, quæ sauciârat plaustrarium) vel decutiatur aut abstergatur, (ut accidit in securi; Quæ sauciarat naupegum, per improvisam dejectionem capuli gladij Nicolai Gilbourni, equitis aurati) dimittet virtutem suam, quam recipit à Spiritibus sanguineis in homine vivo & liturâ Balsamicâ unguenti; Ac proinde vulnus ea divisione æqué aut magis dolorosum erit, ac antèà: Sed si unguentum loco iterum applicetur, telumque obvolvatur calidé, concursus Magneticus renovabitur, dolorque confestim sedabitur, ut probatū est in multis: Atque hæc disturbatio seu intemperies non fit aëre frigido solùm efficiente dolore rigidum ac torpidum in vulnere, sed etiam vulnus calore ignis fit tam inflammatum ac adustivé dolorosum: Nam, Iacobus Virat, quondam mihi famulus, sed jam reginæ Pharmacopola, habitans in Blake Friers, anno proximé elapso, conficiebat hoc unguentum, & tentandi gratiâ, quendam phlebotomo suo in Brachio vulnerabat, & postmodùm in unctum Phlebotomum igni admovebat, ut liquefieret unguentum & Phlebotomum incalesceret, atque ita evenit, ut in illo instanti vulneratus ardorem adeò Magnum in vulnere suo persentiret, ut vix esset ferendus: & tum è vestigio iterum perungebat Phlebotomum,

mum, & vulneris confestim dolor sedabatur, & mox consanescebat: Pharmacopola in vivis est, atque ad id confirmandum paratus erit: Idem melius confirmatur per hoc problema.

4. PROBLEMA.

Ridl. Ibid. Si Magnes debilis in loco alterius polorum ejus Magnete validiori perfricetur, ille per vigorem & virtutem meliorabitur, si non in potentia augetur.

APPLICATIO.

Eadem proportio actionis est inter Mummiam in unguibus & capillis, & Magnetem vegetabilem, ut etiam inter illum in sanguine transplantato & in unguento: Nam Magnes vegetabilis seu quercus reducebat secretam illam ac occultam in ipsis Mummiam à potentia in actum, referando naturæ abdita; Haud aliter, ac in terra solet granum tritici, putrefaciendo: Atque ita etiam est potentialis seu Borealis natura Mummiæ Spiritualis sanguineæ, cùm sit extracta & in actum terrâ unctuosâ seu unguento Magnetico redacta.

5. PROBLEMA.

Ridl. cap. 19. Si acus Magnetica contrectata prius tactu Magnetis candescat igne, amittit omnem potentiam polarem suam, & virtutem ac facultatem directivam: Sed, si recens tangatur iterum, recuperabit virtutem & actum.

APPLICATIO.

Itaque per conversionem propositionum (nam contrariorum eadem est ratio) si sanguis transplantatus, qui trangebatur Magneticè spiritu vitæ, frigore congeletur, omne robur suum ac operativam directivamque virtutem amittit: Sed, si roboretur unguento ac reanimetur, per spiritum Australem seu vitalem, ut antè, non reviviscet modò & aget iterum; Verùm etiam reddet unguentum Magneticum, ac diriget illud in cursu suo ad Membrum affectum.

6. PROBLEMA.

Ridle. de Mag. corpor. cap. 24. Si tenuissima lamina Chalybis affigatur neutri polorum Magnetis, nimirum inter Magnetem & viam ejus, Magnes ita attollet, duplo; Imò quandoque decuplo plus, quàm poterat anteà: Ab hac praxi inchoabat armatura Magnetis, cum Chalybe seu ferro, juxta diversos modos.

APPLICATIO.

Pari modo translatus sanguis Borealis, est Magneti haud immeritò comparatus, & unguentum ad armaturam ferro: Nam uniendo sanguinem congelatum cum unguento, virtus attractiva & vis Magnetica multò major est, & potis est fortiter fugere & attrahere sibi Spiritum Australem, sanguinis viventis, in vulnerato: Idque dulcidiùs probo per sequens problema.

7. PROBLEMA.

Ridle. cap. 24. Si duo Magnetes, armati duobus dentibus, separatim nobis ante oculos statuantur; Altero existente valido, alio verò debili seu multò minori, cujus axis seu diameter inter dentes est æqualis & similis longitudinis, conjunge dentes eorum, qui procedebant à polis & partibus contrarijs invicem, tunc fortior apprehendet & attollet debiliorem; & debilior unitus ac incorporatus cum fortiori, virtute, quam recipit à fortiori, tollet à terra & retinebit fortiorem ac majorem admodùm firmiter, licèt sit multò ponderosior pondere, quod lapis parvulus ordinariè elevat.

APPLICATIO.

Hoc typo minerali docemur, (mutando mensuras ponderum in proportiones in vigore spiritus) congelatum, effusum, ac transportatum sanguineum spiritum obsitum & quasi armatum unguento, cujus natura æquè est propinqua, ac sanguis est spiritui, factum esse Magnetem usque adeò potentem, ut potens sit ad se attrahere majorem ac robustiorem naturam sanguineam, per applicationem ad ipsum minorem Magnetem Borealis naturæ, & quasi polum suum Borealem ad Magnetem majorem

rem naturæ Australis : Nam hisce medijs in regno minerali , unio naturalis fit , ut probatur hoc problemate.

8. PROBLEMA.

idleus. Ibid. Est naturalis quædam ; & violenta ac depravata unio: Illa verò naturalis est, cùm coitio à polis contrarijs , nimirum polo Boreali & Australi fiat : Iterum, quòd fortior attractio sit à polo Boreali, hoc confirmat problema.

9. PROBLEMA.

idle, cap. 6. Polus Borealis est polus ad omnia proposita ac intenta Magnetica fortissimus ac robustissimus, si quantitatem illam habeat, quàm Australis possidet.

APPLICATIO.

idle, cap. 6. Quibus patet, Borealem naturam , quæ est in Magnete unctuoso, ac spiritum ejus influentialem , longé magis attracturum esse , quàm Australis seu calidus Spiritus, aut æquinoctialis attrahere potest , nisi pro ut participat de natura Boreali , naturali quadam ad suum simile concurrentia : Atque hæc est ratio , quòd naturalis unio dicitur esse , ubi concurrentia oppositarum naturarum polarium est facta: Nam ab illis fortior fit attractio, quia natura sola frigoris est contrahere , ut è contra , caloris est dilatare. Vis ista polaris conclusivé sustinetur hoc problemate , cum quo hujus articuli confirmationem concludo.

PROBLEMA.

Magnetes, ferro armali polum duntaxat apprehendunt.

idle, cap. 24.

APPLICATIO.

Ac si diceret, Borealem seu congelatam Mummiam , unguento propriæ naturæ suæ circundatam & quasi armatam, ac Australem seu vivam Mummiam carne tectam atque stipatam, sibi invicem Magneticé propè polos applicare , nimirum vividam Mummiam propé Australem & æquinoctialem, & debilem ac congelatum, prope Borealem : Ac proinde attractio manifesta est à Magnete unctuoso atque agente ejus, imbibito.

rticulus 2. *Iam ad secundum hujus Membri articulum seu portionem devenio.*

Demonstrationes confirmantes contenta secundi hujus Membri articuli.

Quod ad secundum articulum hujus membri attinet, qui demonstrat , Mummiam sanguinis transplantati, Spiritualem esse virtutis seu vigoris unguenti Magnetici ad vulnus, ad quodvis intervallum, directorem & ductorem, indicat , illud hoc testimonio demonstratur.

1. PROBLEMA.

ilbert. de Magn. lib. 2. ap. 4. r Ridle. de ract. Mag. . cap. Magnes conducit ac dirigit res Magneticas , quæ concipiunt vigorem ac vires ab eo non modò in exterioribus ; Verùm etiam, in interiori ac venosa medulla: Exempli gratiâ , ut primùm particula ferri apprehenditur ; Magneticé ad finem usque excitatur , ubi tangebatur ; Atque ipsissima vis ei sic impertita, ad alteram usque extremitatem , tam superficialiter , quàm centraliter penetrat.

APPLICATIO.

Hoc exemplo probatur , formalem sanguinis Mummiam simili plané modo operari cum Vnguento, quod se habet ad ipsã, ut ferrum ad Magnetem : Ita, ut, quemadmodùm Magnes per ferri contactum , facit illud post imbibitionem vigoris sui spiritualis Magnetem : Sic etiam post receptionẽ hujus Mummiæ sanguineæ unguentum redditur Magnes: Quatenus per ejus totũ, vigore quodã Magnetico animatur, & virtute animæ hujus Mummialis dirigit radios suos ac virtutem Balsamicam ad

fontem, à quo Spiritus ille Mummialis originem ſuam ducebat: Directionem autem hanc eſſe veram, per iſta ſequentia problemata probamus.

2. PROBLEMA.

Vnus Magnes alium Magnetem diſponit, alter alterum convertit, ac in ordinem ſuum reducit & conducit, illumque ad concordantias ſuas dirigit: & quando convenerunt ac juncti ſunt invicem, firmiter ſibi cohærent invicem: Exemplum evidens eſt: Nam, ſi duo filamenta ferrea unius longitudinis accipiamus, quæ in extremitatibus per polos contrarios excitantur, eaque per ſubera rotunda quantitatis nucis avellanæ intrudantur, quæ poſtmodùm aquæ innatare ac fluctuare imponantur, percipietis illa paulatim ſe diſpuſitura atque ordinatura, ac contactum Borealem Spiritualem unius, priùs axem ſuam directuram, & poſtmodùm attrahere polum Auſtralem, dum ambo ſibi in morem duorum equitum cum ſuis ſpiculis occurrant & obvient.



DEMONSTRATIO.

APPLICATIO.

Mummia Spiritualis in Sanguine tranſplantato eſt unus Magnes, qui unguentum eum in modum diſponit, ut ad Magnetem etiam quadret: Atque hic Magnes dirigitur Spiritu Mummiæ in concordantias Mummiæ Spiritualis, quæ expirat ex vulnerato, quam attrahit & unit, & partim de virtute ejus vivifica participat, & partim communicat cum ipſo de Spiritu ſuo Balſamico, qui ratione continuitatis ſuæ cum vulnere facilè, licet inviſibiliter, transfert ad vulnus: At jam ad tertium hujus membri Articulum ſeu particulam procedo.

Demonſtrationes contenta hujus membri tertij ejuſque ultimi articuli confirmantes.

Articulus 3. AD tertium & ultimum Articulum hujus membri quod attinet, qui oſtendit, quòd Spiritus debilis ac impotens non niſi debiliter ex ſe operetur, ſed per aſſiſtentiam naturæ robuſtioris recreetur & fiat vigoroſus: Hoc totum eſt per complures cõcluſiones problematicas confirmatum, quæ ex Magnetis proprietatibus producuntur.

1. PROBLEMA.

Magnes amittit virtutem ſuam attractivam, & quaſi dèficit ætate, ſi aëti aperto diu exponatur, nec ſervetur ac obruatur limatura ſeu ſcorijs ferri.

Gilbert. lib. 1.

APPLICATIO.

Gilbert. lib. 1. Similiter ſanguis vivus, ubi primùm ex venis ſuis mineralibus calidis eſt effuſus & de aëre frigido guſtavit, ſuam activam virtutem amittit & deveniet gelidus & quaſi mortuus, niſi cum carne, & telo ad ſibi appropriatum unguentum transferatur, quod illum ab aëre frigido præſervat, locoque limaturæ ferri ad Magnetem, ad Mummiam ſpiritualem defendendam ac muniendam, inſervit.

2. PROBLEMA.

Baptiſta Porta Magnetem in limatura Chalybis ſervabat bono temporis ſpatio, ac poſtmodùm reperit illum multò vigoroſiorem ac efficaciorem in virtute ejus attractiva, quàm anteà. Similiter Paracelſus calfaciendo ac imbibendo Magnetem oleo Martis, ejus vigorem multis gradibus augebat, ut dictum anté.

APPLI-

APPLICATIO.

Simili modò, si Mummia Spiritualis in sanguine transportato, debilis aut Languida, servetur ad tempus in unguento animali, reddetur Magis vigorosa in tantum, ut animaverit totum unguentum.

3. PROBLEMA.

Kidl. in tr. de Mag. corp. cap. 17.

Imponatur Magnes nullarum virium seu roboris, quod facilé percipi queat, Magneti eximij roboris ac vigoris, potissimùm polis, & exhibebit vigorem, ac si æqué esset virtuosus, ac Magnes, cui unitus est; Sed postquam ablatus est, erit æqué debilis ac anteà, nisi sæpiùs repetatur.

APPLICATIO.

Sic etiam si Spiritus transplantati cum Sanguine, unguento sano ac Balsamico implantentur, colligent vires: At, si unguentum vel abstergatur, vel ignis calore defluat ab armis, confestim amittet vim sua: Atque iterum, si recens inungatur, & calidè obvolvatur, è vestigo recreabitur iterum, ut anteà. Prætereà hoc etiam Problemate anteà prolato confirmatur, quod est tale.

4. PROBLEMA.

Kidleus, Ibid.

Si Magnes debilior perfricetur ad polos suos Magnete fortiore, meliorabitur inde virtute ac vigore suo, si non augeatur inde.

5. PROBLEMA.

Kidleus, Ibid.

Validior, isque major Magnes, augèt virtutem minoris, si ille imponatur polo majoris illius: Nam tunc polus ejus Borealis erit vigorosior.

APPLICATIO.

Validus sanguis ac spiritus in vulnerato aspectu, facit sanguinem debilem ac spiritum, qui in unguentum transplantatus est, Magnetice operari, & applicare ac dirigere spiritum unguenti ad illum fortiter, quod non præstaret sine unione illa, quam cum suo fonte habet, qui est vividior, agilior ac robustior.

8. Membrum propositionis cum probationibus suis.

Octavum membrum hujus propositionis est, quòd in omnibus operationibus Magneticis. Necesse est, ut sit applicatio reciproca seu aspectus factus inter amatorem & amatum, ut inter materiam seu fœmininum, quod concupiscit, & formam seu marem, qui concupiscitur: & per similitudinem seu continuationem spirituum formalium suo simili, quod agit in materia, unitur: Sic spiritus Borealis cum suo unctuoso Magnetico corpore efficaciter concupiscit & radios formales & æquinoctiales seu emanantem spiritum ex vulnere appetit, Magnetemque unctuosum, ad effectus suæ concupiscentiæ producendos dirigit, quod facilé perficitur, modo si continuatio fuerit inter spiritus eorum. Sed ad probationes nostras.

Demonstrationes quædam problematicæ ad confirmandum hoc problema.

1. PROBLEMA.

Gilbert. de Magn. lib. 2. cap. 4.

COitio Magnetica est actus Magnetis & ferri, non unius, sed utriusque ad instar viri & mulieris.

APPLICATIO.

Vt mulier, quæ frigidior est & magis Borealis naturæ, concupiscit virum, qui est calidioris & Australioris dispositionis: Sic etiam similitudine quadam Sympathetica in utriusque spiritu coeunt, ac sua semina affectionis uniunt: Consimili prorsus modo spiritus frigidus in Sanguine congelato, spiritus sanguinis vividi & activi concupiscit, & postquam unusquisque coierunt, uniunt naturas ac tertium quoddam procreant; Vt filium, qui de utroque parente participat.

2. PROBLEMA.

Prima formæ principalis in ferro virtus, in Principio erat distincta : Sed jam quidem fusione seu liquefactione corporis ejus, confusa est, cùm Magnetica seu ferrea vena igne examinaretur : & tamen nihilominus, postquàm integer & pervalidus Magnes applicatur illi, in pristinum suum actum ac vigorem revertitur : Nam ejus formâ dispositâ atque ordinatâ cum Magnete, uterque conjungunt simul vires sociabiles, consentiuntque simul sine ullo corporali contactu & per consequens unum redduntur.

APPLICATIO.

Eadem ipsa est rario contrariorum, ac proinde idem dici potest de frigoris extremitate, quod in problemate allegatum est de illa caloris. Dicimus igitur, sanguinem, qui, quamdiu erat in vena sua naturali, distinctus erat in actione sua, jam effusione ejus in aërem gelidum, factum esse confusum ac omni manifesta formali actione vacuùm : Cùm verò assistentiâ unguenti exciratur, denuò spirituali emanationi sanguinis robusti applicatur, rectificatur iterum, conjungitque naturam suam cum potentia adaptata, quam ab unguento accepit ; Atque ita unio naturarum utriusque conflatur, qua spiritus vulneris participat cum natura Balsamica Mummiæ : Iterum in vera dicti problematis natura sine ulla propositionis conversione, sanguineus in unguento Spiritus calore nimio reddebatur confusus, ut apparet M. Iacobi Viroti Pharmacopœæ experimento, in admovendo phlebotonum igni, postquam jam Brachium alterius sauciârat, ac unguento esset perlitum.

3. PROBLEMA.

Gilbert. Bini Magnetes in cymbas diversas dispositi, ac ad superficiem aquæ expositi, si sufficienter intra orbes virtutum suarum collocentur, se præparant affectione mutua, ut ad invicem concurrant, & sub finem mutuò sese amplectantur ac adhæreant.

Similiter, si ferrum adaptetur in una scapha, & Magnes in alia; Ferrum festinabit eo ipso modo ad Magnetem, & Magnes etiam in sua scapha movebitur ad ferrum; Adeò, ut uterque à loco suo eo modo ferantur, ut postmodùm sibi invicem jungantur, atque ut probé satis facti ac contenti in amore sui conquiescant.

Simile efficietur, si duo filamenta ferrea à Magnete excitata, per similia suberea transeant ac ad natandum aquæ imponantur: Nam videbitis, ea se mutuò amore amplecti, movendoque gradatim sensibiliter coitura, & extremitatibus suis percussura, atque contrectatura se invicem. Ridleus, cap. 14.

APPLICATIO.

Simili ratione sanguis Borealis seu congelatus, seu Mummia sanguinea transportata, conductu vehiculi sui unctuosi, quod etiam præsentia ejus factum est Magneticum, unionem Australem vividorum ac mobilium sanguineorum Spirituum vulnerati, ut materia formam, seu fœmina marem concupiscit : & quoniam Spiritus continuatus est inter utrumque, quemadmodum aër continuatus est inter polum Borealem & æquinoctialem Australem, in macrocosmo, licét unaquæque extremitas sit diversæ naturæ, nimirum altera frigidæ ac siccæ, congelativæ, attractivæ ac immobilis; Altera calidæ ac humidæ, dissolutivæ discussivæ, & mobilis seu agilis : Ideò facilé concurrunt, sibique invicem amplexu Sympathetico obviant.

4. PROBLEMA.

Ridleus cap. 22. Vnio naturalis Spirituum Magneticorum est, cùm coitio fit per partes contrarias, uti per polos, Borealem & Australem.

APPLICATIO.

Sic sanguis Borealis seu Spiritus in sanguine transportato, qui congelati sunt, Borealem proprietatem assumpserunt, facilè concurrent cum Spiritibus Australis aut æquinoctialis naturæ, nimirum cum illis fontis viventis, unde proveniunt. Cùm simile suo simili gaudeat naturaliter ; Potissimùm cùm aëre frigido ac crudo circundatur, atque ita cogitur se ipsum contrahere cum aëreo suo vehiculo à frigido suo adversario : Nam, Spiritus ab æquinoctio derivati instinctu quodam naturali, gelidam terræ & septentrionis dispositionem evitat : Ac proinde profugus seu contractus, in centrum attrahit ad se vivos radios sanguinis Australis : Hæc est ratio in

Macro-

Macrocosmo, quòd, cùm Boreas Spirat fortiter, nec Auster usque adeò validè, aër in nubem condensatur contractione igneorum formalium, & Æquinoctialium, seu radiorum Astralium, in aëre condensentur, qui ob frigus externum fugit ab aëris circumferentia ad centrum; Adeò, ut hanc ob rationem sæpiùs observetur, quòd in fulgura ac coruscationes erumpat: Hæc etiam contractio in aëre incluso, cùm externus aër friget, facilé in effectu per vitrum calendarium, seu instrumentum nostrum experimentale discernitur, nimirum cum aqua elevata est & aër inclusus, contractus seu coarctatus in spatium angustum.

Nonun membrum propositionis cum probationibus suis.

MEmbrum nonum propositionis est, quòd valida attractiva cujusliber Magnetis facultas sit conditionis Borealis seu Septentrionalis proprietatis, ac per consequens præcipuam suam facultatem attractivam à Stella Polari habeat, ac proinde juxta morem Magnetis attrahit à circumferentia ad centrum: Iterum, omnia desiderata atque adamata, quatenus formalia sunt, de æquinoctiali facultate participant, cujus est radios per dilatationem à centro emittere; Ac proinde eorum per applicationem unio facit temperamenti mixtionem, quæ est inter polum Borealem atque æquinoctialem, id est, partim attractivam, & partim dilatativam: Quemadmodum est vitalis hominis Spirirus, qui agit in systole & Diastole, vel contractione & dilatatione: Eodem prorsus modo se habet coitionis Magneticæ actus.

Nonnullæ demonstrationes problematicæ ad confirmandum membrum hoc.

IN primis probatum vobis dabo demonstrativé, idque relatione facta ad Magnetem, efficacissimam Magneticam attractionem esse à polo Boreali, & consequenter, quòd necesse sit, ut sanguis, induendo Borealem ac congelativam facultatem, admodùm reddatur attractivus & contractivus sui similis, pro ut mobilem ac tenuem expansum aërem, in nivem spissam flante Borea, vel in pruinam, gelu aut grandinem converti videmus.

1. PROBLEMA.

Polus Borealis semper est ad omnia Magnetica propositi vigorosior & robustior, si quantitatem habeat, quam habet Australis.

. Ridle. p. 6.

APPLICATIO.

Qua propter Spiritus Sanguineus, induendo naturam Borealem, efficacissimus est ad operandum in naturam Australem, Magneticè vel attractivé.

2. PROBLEMA.

Magnes attrahit ferrum validiùs à polo Boreali, quàm ulla alia ejusdem portio.

bert. de g. lib. 1.

APPLICATIO.

Hoc confirmat antedictum problema: denique attractio Magnetica Sanguinis Borealis causa est plantationis plurium Spirituum consimilium, in Magnete unctuoso, quo reddetur robustior in operatione sua.

3. PROBLEMA.

bert. de gn. lib. 2. .4.

Magnes possidet punctus suos; id est, veros suos polos, in quibus major ejus vis residet: Atque hanc ob causam non attrahit ferrum æquali virtute ab unaquaque parte: Atque etiam subjectum Magneticum non movetur nec fluit, ad quamvis Magnetis partem.

4. PROBLEMA.

le. & .1

Partes polo Boreali viciniores fortiores in attractione, & remotiores, debiliores ac infirmiores in virtutibus suis attractivis esse observantur.

DEMONSTRATIO.

Iam verò varijs demonſtratur modis, maximam attrahendi virtutem eſſe à Septentrione: Ac primò quidem, ſi ſuſpendamus longam quandam ferri portionem per filum, (ut dictum anté) pars mundi Septentrionalis attrahet ad ſe extremitatem ejus; Ita, ut directé ad Septentrionem ac Meridiem ſpectet.

Ridleus. cap. 14. Secundò, ſi filamentum ferreum longitudinis quatuor digitorum tranſeat per ſuber, ac poſtmodùm Magnete excitetur, ſuberque aquæ imponatur, Stella Polaris extremitatem ferri ad ſe alliciet.

Ridl. cap. 17. Tertiò ſi oblongum ferrum Septentrionaliter ac Meridionaliter fabricetur, atque ita collocetur, ut in eadem poſitione refrigeſcat, tunc animabitur atque induetur virtute poli, ac movebitur in aëre ſuſpenſum ex filo, vel cymbæ impoſitum ſuper aquam, & trahetur à Septentrione, ac

Ridl. ibid. habebit quaſi coitionem cum Boreali Stella.

Quartò, ſi oblonga portio luti ſeu argillæ recens exuſtæ, verſus Septentrionem ac Meridiem refrigeret, tunc recipiet potentiam Magneticam à terra & polo.

Quintò conſtituite duos Magnetes cum polis eorum unius denominationis, nimirum polum Septentrionalem aut Meridionalem utriuſque, ad extremitatem utramque ex portinucula argillæ igne candeſcentis, dum refrigeſcit, & utraque extremitas unius erit naturæ. Ridleus.

Sextò imponatur portio luti oblongæ formæ igni, ac poſtmodùm Septentrionaliter ac Meridionaliter refrigeſcat, & accipiet polarem virtutem: Ex hinc, ure denuò igne, & illa extremitas, quæ refrigerabat prius Septentrionaliter, jam refrigerat Meridionaliter & commutabitur in naturam Meridiei, & altera in naturam Septentrionis.

APPLICATIO.

Ex primo igitur horum Problematum atque experimentorum apparet, fontem attractionis vigoroſæ eſſe à polo, eo quòd proprietas frigoris Borealis eſt attrahere, ac proinde Spiritus Sanguineus, induendo naturam Borealem, redditur Magneticus, æquè ac ille è luto ſeu ferro.

Procedam igitur jam tunc ad demonſtrandum effectum, quem hic Septentrionalis ac Meridionalis Spiritus concurſu ſuo mutuo atque unione producunt, pro ut videmus Septentrionalem ac Auſtralem polum, concurſu ſuo immediato proferre æquinoctialem, quæ eſt vernalis ac temperata, id eſt, calida ac humida, qualis eſt ſanguis vivens: Ita, ut media natura, quæ de utroque participat extremo, producatur inter confluentiam aſpectus eorum, ſeu applicationem, quæ recipit ab uno & communicat illam cum alio: Probationes meæ Magneticæ ſunt hæ.

5. *PROBLEMA.*

Ridle. cap. 19. Binis corporibus Magneticis invicem in polis ſuis junctis, poli illi duo ſe invicem contingentes, naturam habent æquatoris ſeu æquinoctialis, nec excitabunt aut tenebunt acum ita tangentem.

APPLICATIO.

Borealis ſeu contractus ſanguineus Spiritus, junctus applicatione quadam cum æquinoctiali Auſtrali aut vivos aut dilatato, alter induet per hanc conjunctionem naturam æquinoctialem, quæ relationem ad quamlibet extremitatem habet, nimirum recipiendo à Spiritibus unguenti & dando ſeu impertiendo illos Sympathetic é vulneri.

Membrum decimum propoſitionis cum ſuis probationibus.

MEmbrum propoſitionis dicimum eſt, quòd per Spiritum viventem Auſtralem (portione ſui ſimilis per effuſionem ejus in apertum ac frigidum aërem debili, languida, Septentrionali ſeu congelata facta) poteſt poſt tranſplantationem revivificari, vegetari ac corroborari, atque ita revertendo ad naturam ſuam Auſtralem ſeu æquinoctialem, poteſt unione quadam Sympathetica fieri una homogenea, cum vivo ſanguineo Spiritu, natura, transferens ſecum paulatim naturam plantæ ſeu maſſæ animalis, cui implantatus eſt, atque ita poteſt efficere, ut quælibet natura extrema participet cum Symptomatibus alterius, ſive bona illa ſint ac ſalutaria, ſive maligna ac dolorosa.

Non-

Nonnullæ demonſtrationes Problematicæ ad confirmandum hoc membrum.

1. *Problema anteà recitatum.*

Si Magnes nullarum virium ac roboris, quod facile diſcerni poteſt, polo Magnetis validioris imponatur, oſtendet vigorem, ac ſi eſſet æquè fortis ac ille, cui unita eſt: Sed poſtquā ablatus eſt, æquè debilis erit, ac erat anteà, niſi repetatur hoc ſæpius.

APPLICATIO.

Sanguis Auſtralis penetrans per Magnetem unctuoſum, animat eum, atque animando vivificat illum, & tam Spiritum tranſplantatum ab externi aëris inclementia præſervans, quàm illum per naturam ſuam attractam Auſtralem calefaciens, Spiritus emortuos languentis ſanguinis ita tranſporta, tivivificat, pro ut Spiritus, in grano mortuo tritici terræ in humato, terram cum radijs Solaribus vivificatam, denuo quaſi à morte ad vitam animari cernimus. Quòd ſi verò unguenti portio, auferatur à loco teli ſive armorum, quibus ſanguis adhæret, vel ubi Spiritus Sanguinei penetrabant, Spiritus revivificati langneſcent denuo, & vulnus doloroſum erit, pro ut erat, antequam ſanguis unguento inhumaretur: Similiter etiam, ut, ſi terra removeatur à Spiritibus vigoroſis in grano mortuo, langneſcent, nec planta creſcet nec multiplicabitur: Verùm ſi unguentum, ut anteà, animatum reapplicetur, vulnus proſperabitur ac conſaneſcet ſine dolore, non aliter, quàm ſi terra, quæ removebatur à Spiritu revivificato in grano, reapplicetur illi confeſtim, ille Spiritus creſcet iterum.

2. *PROBLEMA.*

Si Magnes debilis ad unum polorum ſuorum cum Magnete validiore perfricetur, exinde virtute ac vigore Emeliorabitur, ſi in ea non augeatur inde.

dle. cap. 16

Demonſtratio: Ad hoc confirmandum.

Expertum eſt quotidie ab ijs qui cerviſiam faciunt, quod ſi cerviſia plane mortua & nullius vigoris, imponatur cerviſiæ novæ & recenter operantis, vertetur in cerviſiam optimam & ſummæ virtutis.

APPLICATIO.

Probatio hæc typica etiam exactè confirmat idem membrum, nimirum, quòd vivi Spiritus vigorabunt illos languentes.

3. *PROBLEMA.*

Magnes aliquid de virtute ſua attractiva amittet, & ſenectute quaſi langneſcet, ſi diu aëri aperto exponatur, & in liniatura ferri non reponatur aut recondatur.

Albert. de Mag. lib. 2.

APPLICATIO.

Sic etiam ſanguis humanus, ex ſua minera effuſus aërique aperto expoſitus, languet ac debilis redditur, niſi in unguento armario, quod eſt de natura ejus, reſervetur.

4. *PROBLEMA.*

Vnum ferrum à Magnete excitatum recreat alterum, illudque ad motiones Magneticas inſtruit.

lib. Mag. lib. cap. 4. lib. 1. cap. 3.

APPLICATIO.

Sic Mummiale unguentum, per radios emiſſos Sanguinis vivi animatum, Spiritus in ſanguine tranſportatos recreat, incitat & animat.

Membrum Vndecimum hujus propoſitionis cum probationibus ſuis.

VNdecimum Membrū eſt, quòd alteratio aëris operatur æqualiter ſuper utrū que extremū: Quod evidens eſt argumentū cōtinuatæ unitatis in ſpiritu, inter ſanguinē tranſplantatū in unguēto & vulnus, ut, quā paſſionē intēperatus ac inclemens aër operatur in uno, illa perſentitur ab altero: Haud ſecus ac ſi filum ad utramque proceſtrij extremitatē, extendatur & ligetur altera extremitate, altera extremitas Sympathizat

aut agit ſimiliter per conſenſum : Quod argumentum eſt evidens , aërem eſſe medium ſeu vehiculum , per quod influentia ſpiritualis tranſit , dictumque formalem cœleſtem ſeu influentialem ſpiritum , qui in eo fertur per contactum immediatum communicare cũ intemperie vehiculi ejus aërei , & per conſequens hoc medio mutatur per vices ac portiones in diſpoſitionem Septentrionalem ſeu Auſtralem; Ac proinde per frigus externi aëris, ſpiritus à vulnere fugit , illudque relinquit malé affectum ac doloroſum,cùm hac attractionis ſpecie, naturali quodam calore privetur ; Ita , ut Sympathia in Antipathiam convertatur, ut apparet , cùm unguentum à loco vulnerante armorum , vel totaliter, vel ex parte auferatur,ut eſt anteà dictum.

Demonſtrationes nonnullæ problematicæ ad confirmandum hoc membrum.

1. *PROBLEMA.*

IN vitro calendario ſeu experimentali, cujus tam ſæpe facta eſt mentio , inter ejus caput ſeu matratium ſuperiùs, & aquam inferiùs,aërem quendam continuatum in vitri collo deprehendetis,& imaginemini oportet , aërem iſtum incluſum non eſſe ſine ſpiritibus ſuis ſulphureis, qui dilatatione ſui,dilatant etiam aëreum , cui inſunt ; vehiculum , & cum vehiculo dilatato aqua præcipitatur , & contractione ſpirituum eorum , aëreum vehiculum contrahitur pariter , & aqua exſugitur : & tamen videmus, aërem , qui eſt inter utrumque extremum, eſſe unum aërem ab uno extremo ad alterum continuatum ; Atque ideò multò magis occultum ac cœleſtem Sulphureum ſpiritum , qui habitat atque agit in eo, eſtque inſtar animæ in corpore, in toto & in qualibet parte : Idque indiviſibiliter,ac minimè in partes diviſus: Cumque hic incluſus agens ſpiritus, unus exiſtens numero, derivetur ab anima mundi, Vt univerſalis ſpiritus operatur in majore mundo , nimirum à Septentrione aut à Meridie: Pari modo etiam hoc membrum univerſalis illius ſpiritus operatur in aëre ſuo incluſo : Nam , ſi Catholicus mundi ſpiritus agit aut ſpirat à Septentrione , ac producit in aëre effectus congelativos & contractivos, tunc quidem centralis in vitro ſpiritus ſimiliter operatur , juxta eundem modum : Nam contrahit vehiculum ſuum & exſugit aquas : Sed , ſi Catholicus mundi ſpiritus ſpirat ab Auſtro , tunc aër anteà contractus, jam iterum dilatatur , & tunc etiam ſpiritus incluſi formales in vitro,operabuntur juxta eundem morem, ac diſſipabunt & extendent vehiculum ſuum aëreum in proportione ſeu modo ampliore,ut oculari demonſtratione in dicto inſtrumento diſcernere licet.

2. *PROBLEMA.*

Boreas flans in Macrocoſmo continuat eſſentiam flatus ſui à Septentrione ad Meridiem: Sed , quò magis lineæ æquinoctiali appropinquat , eò debilior eſt ejus in contractione & congelatione effectus , in hoc cum Magnete conveniendo , cujus partes ; Quò polo ſunt viciniores , eò exiſtunt in facultate ſua operativa ſeu attractiva potentiores , & quò longiùs abſunt, eò ſunt infirmiores ac debiliores : Sed hic ſpiritus emanans à Septentrione ad æquinoctialem , eſt unus idemque ſpiritus in eſſentia , licét in proprietate variet in ſuis partibus. Similiter auſter prædominans, ab æquinoctiali ad Septentrionem, ſuum flatum ſine ulla eſſentiæ ſuæ diſcontinuatione emittit & tamen , quò magis appropinquat Septentrioni , eò debilior eſt vis ejus in dilatatione ac diſſolutione : & tamen ſpiritus eſt unus idemque in eſſentia cum illo Septentrionis : Eſt enim una tantùm anima mundi, ſeu ſpiritus vivificans mundum , quem Platonici exiſtimant habere habitaculum in ſole : & David ait: Poſuit Tabernaculum ſuum in ſole : Ac proinde venti à quibuſdam vocantur filij Titanei : & Propheta æqué arguit unitatem & omnipotentiam ſpiritus hujus vivificantis,ubi inquit : Veni ſpiritus à quatuor ventis & inſuffla interfectos iſtos, ut reviviſcant : Vbi arguit , non eſſe , niſi unum ſpiritum eſſentialem , qui (ut Salomon refert) implet mundum , eſtque in omni re mundi,ſed multiplici proprietate. Ezek. 37 Sap. 1. 12

Applicatio concluſiva.

Concludimus igitur , ſpiritum in vulnerati ſanguine non exhauſti ,& in ſanguine exhauſto unum eſſe ſpiritum in eſſentia, licét variet in proprietate : Ac proinde, cùm ſit continuatus ac indiviſibilis in eſſentia; Mirum non eſt, quòd ab uno extremo ad aliud diverſimodé , nimirum Magneticé & attractivé ab unguento agat: Nam ratione eſſentiæ ſuæ ab Auſtrali ſeu vivo ſanguine in corpore,induit naturã Borealẽ & ad ſe fugit atque attrahit ſuum ſimile , poſtquàm in aërem emanarit,& Polus Auſtralis ſeu punctus æquinoctialis,per dilatationem emittit ſpiritum ſuum attarhen-

hendum, atque ita facta est communicatio inter naturam Balsamicam & vulneratum, eo ipso spiritu diversimodè operante. Et ego insigne exemplum in macrocosmo vobis referam, quando Sol est ultra æquinoctialem Austrum versus, (quod hyeme accidit) tunc natura Borealis potentissima est in attractione, congelatione, inspissatione, citra æquinoctialem: Vt è contra natura Australis maximè viget ac efficax est in dilatatione, dissolutione ac subtiliatione; & tamen clarè discernatis, quomodò unus idemque spiritus, in mundo operetur, ab uno extremo ad aliud: Nam, cùm Sol aërem in Austro & aquas ibidem dilatat, quas hyems antecedens per attractionem frigoris inspissavit; & dilatatione eas dissipat, tunc aër ille ac aqua ita dissipata reperit locum ampliorem, ac fugit à solis aspectu Septentrionem versus: Atque iterum proprietas Borealis ejusdem spiritus, hyemali tempore maximè potens existens, per attractionem fugit ac dirigit Magneticè hos spiritus, qui fugati sunt ab Austro, & quò propiùs attrahit eos ad polos, eo citiùs condensat eos in nubes, quæ ob naturam Sulphuream, quam affert ab æstate seu æquinoctiali, immediatè resolvuntur in pluvias: Atque hæc est ratio, quòd venti Australes sunt usque adeò frequentes inter nos hyemali tempore; & consequenter, quòd pluviæ abundant in illo tempore: Ita, ut videre liceat, quomodò duplicata proprietas unius ejusdemque spiritus, operetur in uno eodemque tempore circa effectum unius ejusdemque rei in uno eodemque aëre Catholico mundi, ut dixi antehac in Philosophia mea Moysaica: Vt etiam in ascensione ac descensione fontium in quovis hæmisphærio simile efficitur: Quæ omnia vivaciter ac dilucidè expedita sunt in vitro Calendario, ut expressi antè. Ex quibus convincitur, quòd, cùm spiritus microcosmicus unctus sit in conditione cum illo macrocosmico: Sequitur, quòd, licèt corpus ejus dividatur, tamen spiritus manet indivisibilis, seque potest dilatare ac contrahere ad illam extensionem, ut probatum est proprietatibus ventorum duorum contrariorum, quorum spiritus continuatur ab utroque extremo & per minutulas Magnetis particulas, quæ completos suos polos æquè ac integer possident. Similiter ex his videre licet, hujus spiritus operationem non esse ulla Peripateticorum imaginaria activitatis sphæra limitandam, & consequenter operari posse ad ullam distantiam, si à vero ac homogeneo Magnete dirigatur & conducatur, hoc est, Magnete consentiente ad minus in specialitate, si non in individualitate, vel utraque: Vt sanguis vulnerati, qui transplantatus est, & ille in corpore, qui uterque est identitas in natura, & similiter, ut est usnea & Mummia in unguento, quæ est de eodem specifico, licèt non individuo.

Vides igitur (lector judiciose) quàm planè hoc negotium, seu antedicta propositio demonstrata fuerit, tam per Magnetem & praxin naturalem in majori mundo, quàm in praxi vitri Calendarij, quod nuncupo instrumentum demonstrativum meum experimentale, sed, cùm tot peregrina accidentia, quæ incidunt in hac curatione, casu & ex improviso, quorum ratio hactenus dari nondum potuit, Pauc is illa in secunda propositione attingam, ac proinde hoc caput finiam.

Propositio secunda.

In curatione vulnerum per unguentum armarium observatum fuit, quòd, si tempore curationis hæmorrhagia incidat, ab alia quadam vulnerati parte, ut fluxus sanguinis narium, mictus sanguinis; Vel ab alio quodam vulnere; Vel si rem habeat cum mulicre menstruosa intercà temporis, virtus unguenti divertetur, ejusque efficacia nullius erit momenti: & ratio quidem, quam reddere queam, est, quoniam spiritus Australis sanguineus, qui regnans in venis, emittebat ac dirigebat radios suos ad unguentum quod facilè attrahebat, alia via deducitur, attrahiturque à subjecto Magnetico contrario, divortium quasi fiet per secundum Magnetem, inter spiritum emanantem & attractivum in unguento: Et sustinebo, demonstraboque, hoc verum esse experimento hoc Magnetico.

Problema ad confirmandam propositionem

Gilber. lib. 2. cap. 32. de Magn.

Duo Magnetes seu Ferramenta excita, ritè cohærentia, alteriùs Magnetis aut ferramenti exciti robustioris adventu, divortium faciunt: Quòd recens adveniens facie aversa fugat alterum, & illi imperat & duorum antehac junctorum conatus definit &c.

APPLICATIO.

Sic videtis, quàm aptè hi duo Magnetes concurrant, nimirum antè allegatus actus animalis, cum illis mineralium; Finio hoc caput hac assertione: Spiritus, qui subtiliationem ac actionem suam à calore naturali recipiunt, vivaciter agunt, quàm diu existunt, intra sensibilem orbem radiorum lucis calefacientium, exciterum à centro ad circumferentiam: At verò, si dicti spiritus discedant aut exeant ex orbe

lucis, & actu tenebrarum frigido circumcingantur, se ipsos contrahunt à circumferentia ad centrum, atque ita quiescentes in centro, cessant agere, nisi incitentur aut provocentur virtute caloris, qui subtiliat, & subtiliatione reddit utrumque extremum simile; Vt probatum est per vitrum calendarium & per hæmorrhagiam vulneris &c. Vt dictum anté. Quare audacter concludam, spiritus in sanguine vel corpore Sanguinis translatos vel ab armis vulnerantibus, vel in Bacillo aut acu texroria exsuctos, aut proba, aut similibus, posse evocari, extrahi, revivificari ac uniri ad fontem suam, partim præservando illum ab externi aëris inclementia, dum denucleatur calore confortabili speciei suæ, & partim viva coitione seu concurrentia ac conjunctione sui similis, aspectu favorabili ac salutari. Fui (vereor) nimis tædiosus in hoc capite, & tamen non prolixior, quàm materia rectè postulat, considerando, quemodò mundus fuerit perturbatus, & omnes Philosophi scopo ingenij sui mandent, de vera ac debita hujus curationis modi inquisitione, ut pote, qui in conclusione tam parum proferre & minus demonstrare poterant, modum istiusmodi curandi esse naturalem, quòd viam darent sine contradictione, censuris præposteris ac temerarijs hominum sibi sapientium, ut qui sanè constituere vellent, hunc curandi modum prorsus Cacomagicum & Diabolicum, quod ipsi insultanter ideò moliuntur sustinere, quoniam Philosophi apparenter præcellentes, qui in defensionem hujus unguenti calamum stringebant, tam parum dicere ac proferre poterant, eaque ad tam leve intentum & tam levis momenti, ad intentum pro contrario: Iam dicam pauca de alijs Historijs, quæ referri possunt ad eandem curandi rationem.

CAPVT. VII.

Quomodò sit possibile operatione naturali ac Sympathetica, ut morbus in Sanguine, curetur saltem transplantatione excrementorum ejus ad longinquam distantiam in terram vegetabilem, non vegetantem, sed corborantem naturam infectam morbi mortificatione.

POssibile est, ut morbus contagiosus in sanguine & corpore curetur seri excrementitij Sanguinis, nimirum urinæ ægroti translatione ad remotam distantiam, in cineribus cujusdam vegetabilis, quod aptum est ad confortandam naturam & ad tollendam ac destruendam infectionem, quæ debilitat eam.

Historia experimentalis ad confirmandum hoc.

Est comes quidam nobilis, haud inferioris apud nos Anglos notæ, jsque vir prudens, religiosus, & optimæ reputationis, qui communiter solet curare icterum ad distantiam, quandoque (ut mihi retulit) 100 milliarium, idque solummodò mediante ægri urinâ translatâ ad se: Et modus hic est, cineres arboris fraxini admiscet urinæ ægri, atque inde in pastam redigit, indeque in globulos numero 3. 7. vel 9. & in summitate cujusvis dictorum rotundorum, facto foramine, indit Croci filamentum, atque ita replet illud cum urinæ residuo, ac tum posteà collocat seu disponit hisce globos in locum aliquem secretum, ubi nullus violet eos: & immediatè icterus in patiente, sive longiùs sive proprius absit à medico, decrescet; atque hoc experimentum probatum est in pluribus centum, & pauperibus & divitibus, & complures eorum tales erant, de quibus medici desperarant: Hoc non ipse solùm, verùm etiam nobilissimæ Dominæ filiæ, quæ gratis in Dei gratiam benefecit pluribus pauperibus, affirmant verum esse: & tantum ipse affirmare possum, quòd vocatus ad uxorem Chirurgi Anno 1632. Postquam alij Doctores dereliquissent eam, quæ fœdissimé infecta erat dicto morbo arquato, & usa etiam Pharmacis, sed in vanum: Ad ipsius petitum, ablegabam famulum ejus rus, cum literis ad dictam nobilem, ad implorandum ejus axilium, sed intereà temporis, quo mittitur urina, persuadebatur dicta fœmina à quibusdam fatùis mulierculis, fieri astu & Magiâ: Quod admodùm perturbabat ipsam, ut duriter etiam famulum suum tractaret in reditu: Hinc expedio nuntium è vestigio, expetens, ut ejus Amplitudo destruat, quod fieri fecerat ab ingratitudinem dictæ fœminæ: Renunciat mihi, se velle, sed replicabat simul fore in vanum; Nam sanitati restituet eam jam, faciam quicquid velim: & sané convaluit ipsa immediatè. Similiter erat quædam nobilis fœminæ Baronis filia, uxorque Equitis aurati nobilissimi, Guilhelmi Brooke, quæ turpiter defœdabatur dicto morbo, deprehendensque, remedia usualia in medicina parum aut nihil conferre sibi, urinam ipsius mittebam ad dictum Comitem nobilem, qui faciebat, quod in se erat: Cùm verò deprehenderem, morbum semper adhæresceré ipsi, licèt urinæ quidem colo-

colorem mutaret, conſcenſo equo, certificabam nobilem illum de modico effectu medicinæ habito; Petebat is, ut mitterem urinam denuò: Atque ita infecta illa Domina ſecunda vice urinam mittebat, & incipiebat confeſtim conturaleſcere & intra paucos dies perfectè atque integré fuit ſanitati reſtituta. Eſt & alius, qui ad cognitionē meam plus quadraginta curavit hoc morbo infectos, evaporando urinam corū lento igne: Quæ, (Deus eſt teſtis) ſatis longé abſunt vel à ſuperſtitione velveneficio.

Demonſtrationes quædam problematicæ ad confirmandam probabilitatem hujus propoſitionis.

1. PROBLEMA.

VNgues & pili ægri foramini quercus incluſi, clauſoque foramine cum paxillo ſeu clavo ejuſdem ligni, illudque luto oblinendo, curant membra Atrophiâ laborantia, ut probatum eſt anteà.

APPLICATIO.

Ac proinde multò magis materià ſeroſa, quæ à ſanguine ſeparata eſt, quia ſal eſſentialis, vegetabilis ſanguinis in ſpecifico, in quo ſunt ſcintillæ quædam ſpirituum vitalium, miſcetur cum eò, & virtute eorum eſt Sympathia ſeu reſpectus continuus inter ſal & ſulphur, inter globos & ſanguinem infectum: Nam (ut probatum dedi in præcedenti capite) ſpiritus urinæ æquè continuatus eſt cum illo in ſanguine, ac erat ſpiritus vulnerati & unguenti; Ita, ut continuitate aliqua atque unione conſenſus, facultas curativa cinerum vegetabilium operatur ſpiritualiter, tam ſuper infectum ſanguinem in corpore, quàm ſuper urinam; Ac propterea hoc cauſæ eſt, quòd, ut ſal in cineribus operatur, in ſalem in urina; Sic uterque eorum communicant virtutes ſuas concentu mutuo, ratione ejuſdem continuitatis ſanguini; Ita, ut, quemadmodùm virtus plantæ cum croco tollit ac intoxicat infectionem in urina; Sic etiam conſenſu mutuo, qui eſt inter duo inficientia extrema, nimirum ſanguinem & urinam, infectio in ſanguine obſervetur paulatim deficere, langueſcere ac perire: Sed, producam vobis Problema Magneticum ad confirmandam poſſibilitatem hujus propoſitionis.

2. PROBLEMA.

Duo Magnetes apté cohærentes ad polos oppoſitos, acceſſione validioris Magnetis ſeu ferri incitati abortum faciunt, & recens accedens, facilè depellet alterum, qui eſt facie adverſa, ac imperabit illi, atque ita cohærentia ſeu unio aliorum duorum, ceſſabit ac finietur.

APPLICATIO.

Sic unio illa, quæ fiebat inter ſpiritum infectum cum corrupto humore & ſanguine corrupto ſeparatur, atque innaturalis, cogitur aufugere ac diſcedere à naturali ad minic ulo alrerius, qui potentior eſt innaturali, qui eſt minus homogeneus & aptus ad rectificandum & purificandum per unionem ſui ſpiritus impuritatem in ſanguine naturali, & ad tollendum ac mortificandum corruptorem in urina.

Non opus, ut de his plura ad eorum probationem proferam, cum caput præcedens hoc plenè confirmet; Idque relatione ad Magnetem habitâ, & ad vitrum Calendarium in quavis particula hujus propoſitionis. Siquidem, ut ſanguis tranſplantatur à fonte ſanguinis vulnerati, & quaſi implantatur & inſeritur unguento: Sic etiam urina cum ſanguineis ſpiritibus transfertur à fonte Sanguineo ictérici, & plantatur ſeu collocatur in aream cinerum ſalutarium; Vndè, non aliter in vivo ſanguine operatur, quàm ſanguis aut ſpiritus in unguento in venis vulnerati.

Iam verò procedam ad Magnetem Microcoſmicum, qui exemptus eſt ex vivo homine; & in animo meo eſt vobis paucis, & tamen generaliter, effectus in Sympathia mirabiles, delineare, quos ipſe, ſua Mummiæ Spiritualis ex corpore humano extractione ac tranſplantatione veraque applicatione, producit.

CAPVT. VIII.

In quo secretus Magnes, qui ex Microcosmo seu homine vivente extrahitur, universaliter unâ cum modo attractionis ejus, seu extractionis Mummiæ Spiritualis ex homine, & applicatione & operatione ejus tam Antipatheticâ, quàm Sympatheticâ explicatur.

IAm verò Abstrusam, per transplantationem curandi rationem, paucis aperiam, quæ si probè consideretur, multis gradibus illam unguenti armarij excedet. Nam, non solùm curat ad distans, ut illud, sed eundem operatur effectum per spiritum vegetativum plantæ; & tamen spero, Historiam hanc meam sapientum auribus minimè Cacomagicam visam iri, sed saltem naturaliter Magicam; Ac proinde ordinatam à Deo, ad operationem, in vero ejus usu, in hominis bonum & beneficium: Nam in eum finem spiritus sapientiæ ducebat eos, qui prompti erant ad sapientiam (ut Salomon testatur) tam ea, quæ occulta sunt & abdita, quàm ea, quæ manifesta & apparentia sensui humano: Cùmque bonum per se converti possit per abusum in illicita & mala intenta, ut gladius tam ad occidendum, quàm ad servandum, ut vobis in posterum dicetur. Quapropter Dei est voluntas, hæc mysteria ab imperitis occultari, vel ad minus iliis vulgaribus denegari, qui perverso sunt animo, & destinavit, ut ijs detegerentur, qui honesti sunt, sapientes ac Deum timentes: Sed, dimittendo omnia problemata, ad rem me accingam, & eâ, qua cœpi methodo, procedam.

Propositio generalis.

MAgnes ex homine vivo sine ullo detrimento sanitatis ejus extrahi potest, qui diversâ quadam ad partes corporis convenientes applicatione, Mummiam Spiritualem, vitalem seu naturalem, pro placito applicatoris ex uno eodemque homine vivente, idque absque ullo detrimento corporis ejus extrahit seu exsugit, quæ rectè cum Magnete, qui imbibebat illam, transplantata ac reddita vegetativa, operabitur, æquè administratione interna, quàm ad longum intervallum, vel per Spiritualem emanantem relationem, postquam debito modo dispositа est & adaptata tam sanitati, ac præservationi, quàm infectioni ac detrimento & destructioni humani generis.

Explicatio cujusvis Membri hujus propositionis.

HÆc propositio consistit ex pluribus Membris, quorum prius spectat ad generationem, conditionem ac præparationem Magnetis: Secundum, modum applicationis pro extractione Mummiæ spiritualis aperit, Tertium aperit modū variæ transplantationis Mummiæ illius sic extractæ, ac finaliter tam usum, quàm receptum illius: De quibus omnibus particulis seu membris sic ordine.

De Magnete Microcosmico.

NVncupamus hunc Magnetem Microsmicum, eò quòd proprietatem habet Magnetis mineralis; Ac ob id facilè conijci poterit ab ijs, qui judicio pollent, quid sit; Comparando Magnetem animalem cum illo mineralis: Nam, ut mineralis Magnes non est naturalis sed monstrosi partus: Non enim à similibus & æqualibus genitoribus generatur, sed procreatur ad morem Mulæ, siquidem ejus Mater, seu passiva corporea massa, est vulgaris Saturninus ac faxeus Mercurius, sed ejus genitor seu forma activa est Metallinas, Sulphureus, Martialis spiritus: Sic etiam hic Noster Magnes Microcosmicus consistit ex Sulphureo, Martiali spiritu, qui est quasi genitor ejus formalis, & de peregrino atque exoticoMercurio, qui nihilominus est proximus vicinus in positione & conditione, Mercurio Microcosmico, ut passiva ejus seu Mercurialis materia: Quod ad mineram quidem, ex qua extrahitur, est homo vivens, defumiturque ac derivatur ab ipso sine ullo detrimento sanitatis ejus, & post debitam præparationem ejus, redditur Magnes aptissimus ad exsugendam atque attrahendam Mummiam spiritualem ex homine vivo, idque sine omni sanitatis detrimento ac noxa.

Ratio autem, cur Magnetis istius nomen in publicum viva voce non proruli, in præcedentibus satis apertè explicui, nimirum, ut ad indignorum manus non perveniret tale arcanum; Atque de ipso nihilominùs hoc in loco feci mentionem: Quoniam (in oblivionem & exilium perpetuum relegato illo malo, quod afferre potest) respectu usus sui salutaris, quatenus scilicet converti

potest

poteſt in ſanitatem & præſervationem humani generis, ſic dignum eſt expreſſione & citatione in literis aureis, omnibus probis ac pijs, mentis maturæ ac ingenioſæ; Licet ſciam à quibuſdam ſcrupuloſis criticis & mucoſæ naris hominibus, effectus illius ſalutares, qui inde procedunt, nuncupabuntur Cacomagici & aſcribentur actui Diaboli: Licèt audacter aſſeverare mihi liceat, me expreſſiſſe ſubjectum Magnetis noſtri tam dilucidé ac planè, illudque deſcripſiſſe circumſtantijs relativis, tam effectivè, ut Philoſophus aut Medicus, niſi ſit aſſininæ capacitatis, facilé expedire & expiſcari illud, ac diducere realem materiam ejus poſſit, alluſione typica facta inter illud & mineralem Magnetem, in compoſitione, nativitate & proprietatibus.

Actus tranſplantationis Mummiæ Spiritualis.

QVòd ad actum ſeu modum tranſplantationis attinet, Paracelſus inquit, extractam Mummiam Spiritualem non operari ad ſanitatem & præſervationē, niſi medijs mineralibus, vegetabilibus ac animalibus: & proinde neceſſarium eſt, ut ſpiritualis Mummia attracta ſeu extracta ex corpore, virtute Magnetis animalis, introducatur in naturam vegetabilem, quæ Mummia dicta, der ſe exiſtens vegetabilis, per adoptionem quaſi in illam introduci poteſt, atque vegetativa natura ac conditione indui

Debemus itaque portiunculam Magnetis hujus imbibiti, cum certa proportione terræ ejus materiæ permiſcere, & in hac compoſitione ſemina talium herbarum ſerere, quæ ad hunc vel illum morbum expellendum, & hanc vel illam malé affectam partem Principalem corporis humani, vel hoc aut illud membrum infirmum, quod in regione continetur ſua, curare apta ſunt, ut, Exempli gratia: Pro pulmone in regione, vitali, cùm morbus eſt Phthiſis, ſemen lini ſeu Iuniperi, in regione naturali, cùm eſt hydrops; Pimpenellam ſeu Abſynthium: In partium contuſione & attritione, hypericonem ſeu Plantaginem; Vt tumoribus ſeu vulneribus, perſicariam, conſolidam majorem aut vel minorem; In morbis ſalſis, ut ſunt dolor dentium, dolor oculorum, in menſtruis fluentibus Perſicariam maculatam &c. Herbæ creſcant neceſſe eſt in terra hac compoſita, idque in aëre aperto: Vtque herba ſeu planta creſcit, Sympatheticé & Magneticé extrahet Spiritus imbibitos Mummiales ex Magnete, atque hoc modo efficiet, ut Mummia ex quovis membro particulari extracta, juxta ejus conditionem apta ad curandas infirmitates membri proprij reddatur.

De uſu ac virtute Mummiæ tranſplantatæ.

POſtremò, ad modum quomodò uti debeamus Mummiâ hac tranſplantata, poſtquam in naturam ſeu conditionem vegetabilem mutatur, quod attinet, ſciendum eſt, quòd.

Si morbus humidus ſit, comburatur neceſſe eſt herba cum terra Magnetica denuò; Si magis ſit morbus temperatus; Nimirum, inter extremitates aquæ & ignis, tunc herbam in aëre ſeu fumo ad ſiccandum ſuſpendito, & morbus deficiet paulatim, prout herba marceſcit; Vbi præbueris ad comedendum herbam illam ſeu fractum beſtiæ, quæ eſt validioris naturæ, quàm ægrotus, beſtia inficietur eo morbo; & homo morbidus liberabitur.

Si verò morbus ſit ſiccus & de natura combuſtiva, ut eſt icterus Phthiſis &c. & eum in animo eſt curare, atque ex corpore expellere, tunc accipiens herbam cum terra ejus Magnetica, eamque projicito in aquam currentem, & morbus deficiet & evaneſcet paulatim.

Similiter, ſi Mummia Spiritualis ita ex quodam membro particulari hominis ſani extracta, in vegetatione ſua continua conſervetur; Si dempto ejus fructu, eum tranſplantes in quercum ſolidum, hoc medio membrum, ex quo Mummia erat extracta creſcet continuè & continuabitur in naturali ſua ac robuſta proportione vegetationis, abſque defectu.

Iuxta eundem modum etiam ſalices, niſi eò quòd increſcant tam ſubitò, ab id minus aptiores ſunt ad hoc opus; Ne membrum nimis feſtinanter creſceret: Nam, illo modo multa conſequi poſſunt incommoda, ut exempli gratia: Si juxta dictum modum pili alicujus, ſalici includantur, creſcent tam ſubitò & uſque adeò copioſé; Vt, niſi removeantur inde, aut ſalix igne cremetur, oculi & cerebrum perſentiſcet inde noxam ac detrimentum, ut fluxiones doloroſas excitet: Nimirum in ſubitanea accretione aut nimia humiditate arboris: Ac proinde juxta hominis proportionem, neceſſe eſt inveniatur & eligatur arbor proportionata, in quam Mummia eſt tranſplantanda: Sed quercus ante alias eſt eligenda arbores, quòd non niſi temperaté & validé creſcit & augetur, & hominis ætas, dies quercus vix excedet per Myſticum hoc attractionis genus, verus ac Sapiens ille Magus (ſic enim appellare mihi licet legitimum Philoſophum, qui in morem Salomonis, per proprietates rerum naturalium, talia in effectum reducere poteſt, quæ in admiratione multis (ut dixi) gradibus potentiam ſeu actum unguenti armarij excellunt: Nam, mediante eo, ſapientes amorem induxerunt & familiaritatem inter eos, qui capitali odio inter ſe

diffidebant : & multa alia ſtupenda hoc medio præſtari poſſunt. Paracelſus loquens obſcurè de facultate hac Mummiali, oſtendit, quomodò ſimia & Anguis ſeu Coluber, (inter quos Antipathia naturalis ſeu conflictus atque odium eſſe ſemper obſervatum fuit) poſſint ſibi invicem reconciliari: Sed ad rem noſtram.

Si membra, ex quibus ſecunda Mummia fuit extracta, ſint coroboranda, tunc extractam Mummiam vegetare facias, ut antè, per tranſplantationem temperatam, & juxta naturalem proportionem in quercu, vel aliqua alia arbore ſana conſimili. Si verò membra æquo ſicciora ſint, tunc fac, ut extracta eorum Mummia, vegetetur in ſalice, & inde viciſſim tranſplantetur in aliam quandam arborem temperatam. Similiter etiam in complexione humida, poteſt ad tempus tranſplantari in calida & tardè creſcente arbore, qualis eſt Iuniper, ſolummodò obſervando, ut fructus, in quem Mummia eſt tranſplantata, præſervetur ab omni externo nocumento.

DEMONSTRATIO.

NOn eſt, quòd tempus in ulteriore demonſtratione poſſibilitatis operationum iſtarum, in Spirituali tranſplantata Mummia, conteram, cùm ijſdem probationibus, quibus modum curationis per unguentum armarium & tranſplantationem, confirmavi, quod deſcriptum eſt in capite libri hujus prædicto, plenè ac dilucidè ratione harum occultarum & arcanarum actionum in hoc curandi genere expediri ijs, qui nolunt cum Thoma quicquam credere, niſi quod ſenſu confirmetur: Ac proinde pro manifeſtatione actionis hujus occultæ per naturarum relationem, vos etiam ad illum ipſum locum remitto, ubi unguentum comparatur vegetabili & Magneti; Spiritus ſanguinei ad Mummiam Spiritualem: Modus applicationis radiorum à Mummia, ad membrum ægrum, ad applicationem tranſplantatorum ſangueorum Spirituum, ad membrum vulneratum, præſervatio Spiritualiter creſcentium Spirituum in unguento, à frigore ad preſervationem fructus vegetabilis, in quo plantatur Mummia ab injuria externa, ita, ut eadem ſit utriuſque ratio; & conſequenter eadem ſit demonſtrationis via in ambobus.

Nimis tædioſum eſt hoc loco operationes efficaces hujus ſecretæ Myſticæ Mummiæ exprimere; & certum ſcio, imperitum aliquem Momum, ſeu ignorantem quendam Cynicum, vel riſurum vel oblaturum illis, quæ jam à me dicta ſunt; Nam, quis major ſcientiæ inimicus quàm ignarus? Ac proinde reliqua occultæ hujus Mummiæ proprietates & effectum ejus Sympatheticum, criticis ejuſmodi celabo, atque in Theſauro veritatis reponam: Vno verbo dico, nimirum, quòd mediante ea pleuritis, Hydrops, Phthiſis, vertigo, Epilepſia, morbus Gallicus, Paralyſis, Cancer, fiſtula, ulcera putrida, tumores, vulnera, herniæ, fracturæ, ſuperfluitates, ſuppreſſiones menſtruorum in mulieribus, ut & ſterilitas in ijs, hectica, Atrophia ſeu membrorum conſumptio, & ſimilia, medijs hiſce naturalibus Magicis, curari poſſint, idque ad diſtans & ſine ullo immediato contactu: & Paracelſus affirmat, hunc Magneticum curandi modum, qui magia naturali efficitur, omnia alia Phyſica ſecreta, quæ extrahi poſſunt vel ex herbis, aut radicibus, aut mineralibus, virtute atque operatione excellere. Denique, quoniam de Magneticis Medicamentis in libro illo, Tractatu meo de Medicamentoſo Apollinis oraculo deſcripto, ulteriorem de iſtis Myſterijs feci mentionem, vos qui eſtis judicioſi, docti & prudentes ad illum refero.

Iam verò ad ſecundam hujus libri partem ſeu membrum proparabo, quod de Antipatheticis experimenti hujus Mummialis effectibus tractat.

Pars ſeu Membrum Secundum hujus Libri, qui praxin Antipathiæ pertractat.

CAPVT. I.

In hoc capite Author exprimit, quomodò illo ipſo eodemque Spiritu, in creatur, atam Antipathetici, quàm Sympathetici, effectus produci pòſſint: Hîc etiam ratio redditur, atque enucleatur, cur Spiritus infectus & conditione venenoſa corruptus, maximè ſit ſuo generi venenoſus ac contagioſus.

VT certum eſt, ſimile naturaliter gaudere ſuo ſimili: Natura enim lætatur natura, ac natura corrigit & corroborat naturam ſuam, ſi ſana ſit & Spiritibus vivificantibus ac ſalubribus plena, ſic etiam natura, ſi intoxicetur & inficiatur à natura vene-

venenosa, semet ipsam sanæ ac salubri naturæ uniendo, citò corrumpet atque inquinabit illam: Atque ita hoc genere abortivæ ac depravatæ unionis, Antipathia loco Sympathiæ substituitur: Iam verò quomodò hoc in natura sit possibile, paucis vobis referam. Vt natura Magneticé affectat & allicit ad se suum simile: Ita quidem, si illud simile, quod affugit sibi, corruptione inquinetur, dictus attrahens spiritus, utcunque sit sanus, citò glycipioron, nimirum venenum sapiat, atque ita similiter corumpetur æqualiter cum illo spiritu, qui ipsi est homogeneus, in quo residet infectio, coactus ex improviso fovere conflictam dissensionem & Antipathiam, in Tabernaculum suum recipere, prout videmus, Spirituum sanum in animali, quæ sitiens simile spirituale cœleste pabulum, quod occultè in aëre vagatur, ut recreetur inde, ex improviso inimicum secum adducere, nimirum fumum pestilentem ac corruptum, quo opprimitur & incenditur igne putrido: Ira, ut non esset desiderium aut appetitus sani spiritus, venenum illud introducere, sed spiritum ipsi similem, qui intoxicabatur: & iterum unusquisque spiritus, qui gravatur ullo Antipathetico & innaturali accidenti, expetit excutere Antipathiam contentiosam, & reassumere Sympathiam illam pacificam, qua anteà fruebatur: Sed se ipsum ad hoc opus nimis impotentem inveniens, aptus est adhærere sanis ac bonis Spiritibus ad sui recreationem, cum quidem vis unita fortior, & si plures salubres Spiritus sui similes jungerentur sibi, tunc eò facilius adversarium suum Antipatheticum vinceret & expelleret: Sic etiam videmus, unum lippum, ejaculando radios suos contagiosos in recreationem ad mediocre intervallum, fieri flammam, quæ incendit Spiritum sanum, cui applicat: Nam venena spiritualia, sunt secretæ flammæ ignis maligni similia: Quapropter, ut Spiritus unione quadam junguntur invicem & multiplicantur ad instar olei oleo additi; Sic flamma contagiosa increscit & pascitur æqualiter utroque: Nam, ut sanus Spiritus expetit societatem sui similis ad confortandum illud, & corruptus spiritus ita desideratus etiam concupiscit sanum Spiritum, ut sibi adversus inimicum suum assistat: Ita corruptio fugitur & attrahitur ab utroque, & Antipathia cogitur inter eos quiescere, nec eos derelinquit, dum penetrarit & corroserit usque ad ipsa eorum viscera, & intoxicarit illa. Et notandum est nobis, non esse Spiritum venenatum, qui citius se jungat Spiritui, quàm talis, qui specificus est & naturæ homogeneæ: Hæc enim est ratio, quòd unius hominis Spiritus infectus æpidemiâ, usque adeò multiplicat illam, potissimùm in genere suo, ut etiam infectio illa maligna, dicta (The Murren) furit præcipuæ in Spiritu ovium, nec tentat spiritum aggredi humanum. Nonne communiter videmus, similem naturam alteratam putrefactione maximè esse exitialem suo simili? Sic vermes ejecti è corpore & sicci in pulverem redacti, interna administratione enecant lumbricos: Sputum rejectum à pulmonico post debitam præparationem, curat Phthisin: Splen hominis præparatum inimicum est spleni tumentis. Calculus vesicæ aut renum, per calcinationem curat ac dissolvit calculum: Tactus manus mortui curat tumores scirrhosos: Scorpio contusus, aut corpus ejus maceratum oleo, curat vulnera scorpionum: & oleum viperæ, ut etiam trochisci carnis morsum viperæ: Mortuus ac congelatus sanguis & excrescentia ex ossibus humanis salsa, est Antipathetica hæmorrhagiæ: Tandem nihil est, quod magis præpetens sit ad corrigendum impedimentum in spiritu, quàm applicatione spiritus ejusdem specifici alterati à natura sua per ejus contrarietatem: Sic etiam nihil est, quod citiùs inficiat naturam sanam, quàm natura sibi ipsi homogenea, quæ jam corruptionem induit: Atque hæc est ratio, quòd infirma ac corrupta Mummia unius hominis tam apta est putrefacere ac corrumpere illam alterius: Quod etiam non solùm Paracelsi verbis hisce discernere possumus: Corrupta (inquit) Mummia corpus etiam sanum quod attingit, & cum quo unitur corrumpit; Ea autem sani corporis corruptio est corporis alterius, ex quo Mummia sumota est, valetudo & sanitas: Vt exempli gratia; Si vir sit leprosus, egoque extraham Magnete microcosmico Mummiam ex eo, tradamque sano homini, leprosum illum suæ restituet sanitati; Sanum verò, qui accipit, turpiter eodem morbo inficiet, ut vobis expedietur in posterum latiùs. Sed, antequam medullam hujus negocij aggrediar, fas erit, ut transgressionem efficiam Apologeticam, ne quidam ex invidia potiùs & indiscretione, quàm in vera Magia naturali profunditate, me Cacomagiæ indignè incusent, idque duntaxat, quia penitùs sunt in Mysterijs licitarum illarum artium naturalium ignari, quales Salomoni revelabantur, ac sapientibus hujus mundi in bonum ac beneficium humani generis per bonum Dei Spiritum detegebantur: Nec propterea evitandi sunt, eò quòd per homines malignos ad malos effectus converti queant; Atque ita à veris usibus, in quem finem Deus illos destinabat diverti: Sed potiùs peritus naturalis Magus, qualem verum medicum esse convenit, prius scire debet bonos usus mysteriorum ejusmodi occultarum in natura, ut meliori cum effectu, ijs, pro generis humani commodo ac sanitate amissa restaurando, uti ac applicare possit: Ac tum posteà, ut non sit illorum abusus insciens, qui illis pro-

Paracelsi de Phil. tract. 3.

duci possunt, ut inde cò commodiùs ante veniant, divertant ac deponant omnes ejusmodi malignos effectus, quales homines impij vellent illis in damnum ac destructionem creaturarum proferre.

CAPVT. II.

Brevis Apologia pro usu mysticæ seu Spiritualis Mummiæ, & ad probandum, quòd tam abusus ejusdem Antipathetici, quàm usus Sympathetici, atque omnium aliorum naturalium à Mago naturali, seu sapienti medico præventionis causa sciri atque intelligi debeant: Licét non in actum redactæ, sed saltem, ubi necessitas requirit.

EQuidem non ignoro, complures cynicos latrantes, Criticosque invehentes, atque Momos Satyricos fore, quorum sola voluptas igne indignationis seu malitiæ foveri assolet, qui suffocati quasi cæco ac torpenti ignorantiæ fumo occoecati, dicent: Quòd, si effectus Mummiæ Spiritualis Sympathetici liciti & concessi sint medico, tamen proprietates ejus Antipatheticæ odiosæ sunt ac minimè ferendæ; Imò quidem Cacomagicæ sunt, quia Diabolus instruit ministros suos circa abusus, seu malum usum Microcosmicæ hujus speciei corruptionis; Ac proinde hanc ob causam vel ipsa scientia ejusmodi rei tolerari non debet &c. Hasce objectiones (scio) sensus & rationis expers genus Blateratorum, de negotij tam mystici scientia movebit: Verùm si dicta illorum inter sapientes locum inveniant, quid obsecro eveniet de arte Salomonis in Magia naturali, aut cur ipse (qui sapientissimus hominum putabatur) usque adeò deciperetur, ut ad cognitionem omnium aspiraret, & tam naturæ humanæ inimicos, quàm amicos intelligeret? Nam dicitur de ipso, illum sciviſſe naturas creaturarum viventium, ferocitatem bestiarum, cogitationes hominum, differentes plantarum virtutes radicum, atque aliorum omnium, quæ occulta erant & secreta: Imò, cur diceret, sapientiam artificem omnium docuisse se? An non igitur plantæ, animalia & mineralia, quæ tam valida sunt naturæ humanæ venena, quàm ei benigna & salutaria? Sciebat (inquit Textus) naturam omnium creaturarum viventium seu animalium: & cur, si modò illud esset verum, quod convitiatores ita effutiunt? Cur proprietates eorum, quæ venena sunt, ac damnosa generi humano cognosceret ac contemplaretur? Nunquid Aspis, vipera, coluber & putrefaciens ille ac corrumpens vermis, qui Seps vocatur, aut Gallicé Pourriſſeur, ratione putrefactis veneni: Serpes dictus Dypsas, qui spiritus siti immensurabili afficit: Amphisbena, Basiliscus, Draco & Hollio, Salamandra, Cantharides, aliorumque infinitus numerus, tam terrestrium, quàm aqueorum animalium: Nunquid (inquam) sunt ista vel enosa ac mirum in modum pernicioſa humano generi? Sciebat etiam differentias ac virtutes plantarum: Sed dicent judices temerarij, quid rationis habebat spiritus sapientiæ, ut detegeret ac demonstraret Salomoni effectus abominabiles herbæ dictæ Aconitum, quæ usque adeò pernicioſa est & homini & pecudi, ut Poëtæ illam ad ripam fluminis venenosi Acharontis in inferno crescere fingerent. Cicuta, quæ Character erat mortis inter Athenienses (nam succo ejus homines morti condemnatos intoxicabant) Iusquiamus, Papaver, ex cujus succo somniferum Opium derivatur, Scammoneum, Euphorbium, Colocynthis, Apium risus, Tythymallus vel Cataputia, Colchicum, Flammula & multa alia vegetabilia similia: Similiter inter Mineralia Antimonium, Argentum vivum, Arsenicũ, Rosalgar, æs viride, Lithargyrium, Ceruſſa, Vitriolum aliaque infinita? Ad quæ replico; Omnia hæc, licèt in se sint venenosa, tamen debito modo tractata & præparata à sapientibus, fiunt medicinalia, eosque scire velim, Deum omnia bona creasse: Sed est Diabolus, ejusque instrumenta, quæ per malum eorum usum seu applicationem illa odiosa ac detestabilia naturæ humanæ reddunt: Nam, ut genuino ac legitimo suo usu & applicatione possunt effectus Sympatheticos producere: Ita quidem abusu suo nihil, nisi Antipatheticas actiones conflictusque rebelles pariunt in natura humana: Deus (inquam) ea ordinavit ad bonos usus, nimirum pro sanitate humana, sed Diabolus ea more destructivo & malitioſé applicat: Quod etiam anté ductus sapiens seu Magus naturalis Salomon hisce in verbis confirmat: Deus (inquit) creavit omnia, ut existerent & essent, faciebatque omnes terræ rationes sanas ac durabiles, ita, ut non esset in illis medicina destructiva: Similiter Deus creavit hominem inexterminabilem, sed erat malitia Diaboli, ut mors intraret mundum: & maligni ac impij imitantur ipsum, suntque ex semine illius: Vnde liquet, fuisse Diabolum & homines improbos, qui sunt mortis & exterminij instrumenta; & sanè veri Diaboli incarnati, qui adaptant illud usui malo, quod revera bonum ac legitimum

Sap. 7.

mum est in se. Quid plura? Anne quoniam Diabolus bonas res applicat ad usum malum, ideò illud in perpetuum ab horreri debet & evitari à sapientibus? Ac, est ne ob istam causam bonus ejus usus ex humana societate excommunicandus, & in æternum pro Cacomagico, damnoso & Diabolico habendus? Vt exempli gratia: Quia Diabolus & ejus adhærentes, intelligo veneficos & necromanticos, institutione ac manuductione Diaboli, applicant Mummiam humanam tam corporalem, quàm Spiritualem pro perniciosis ac destructivis suis inventionibus, propterea omnes, qui utuntur eodem ad intentum bonum ac salutiferum, sunt pro Cacomagis æstimandi? Anne est indicium, quòd medicus, qui morbos per illud curare solet, ob eam rationem commercium cum Diabolo habeat? Aut necesse est, Christianum medicum, quia notum ipsi est malum, quod proprietates rerum naturalium innaturali quadam & Antipathetica adaptatione patrare possunt, ideò illud malum in jacturam sanitatis humanæ debere excqui? Sané si res, pro ut sunt, considerentur probé, scientia boni & mali in creaturis optimè ad medicinæ artem quadrat, medicæque scientiæ convenit. Nisi notitiam habeat tam de malo quàm bono, quomodò ei possibile est curare in commoda, quæ à malo efficiuntur: Siquidem, nisi notâ causâ effectus difficilimé aut nunquam curabitur. Exempli gratia: Quomodò perficietur curatio, aut causa extinguetur aut tolletur? Verus Magus non intrat scientiam simplicium venenosæ naturæ, ut mediantibus illis noceat, sed, ut discernat Alexipharmacum, quod debebat prævenire malitiam ejus: Vt Scorpio Scorpionis, Vipera Viperæ noxas persanat. Anne est necesse, ut quisque gladiatus suo gladio occidat aut lædat? Nonne defendere potest aliũ, ne interficiatur aut lædatur? Sic etiã nec sequitur, ipsum medicum necessariò debere intoxicare patientem suum, quia venenum novit, atque etiã modũ corrigendi & emendandi ejus malignitatem, quod patientem sua sanitate privavit: Nisi enim venenum noscatur, Alexipharmacum difficulter habebitur: Si Heremita Aquiæ sextensis ille (de quo anteà dixi) noviſſet speciale Antidotum ad eos curandos, quos veneno infecerat & peste afflixerat, complures eorum quos postea curabat, cecidissent unâ cum reliquis: Si incarnati sint Diaboli, quorum voluptas est destruere (ut quidã homines gladiati voluptatem capiunt in schismatibus, cædibus &c.) alij, qui usum ignis noverunt, malé illum applicant, ut ille, qui Dianæ templum Ephesi igne destruebat: absit, ut tales naturales creaturæ, quales sunt ignis, ferrum & similia protinus abijciantur, nec in vero eorum exerceantur usu, eò, quòd damnum inferunt, cùm in abusum rapiuntur: Sancti, sunt æqué ac sunt Diaboli in terra, qui notis sibi impijs invention ibus ac machinationibus istorum Diabolorum, cùm Archimagistro suo Satana valent se vindicare, eosque armis suis proprijs, invadere ac superare. Scholastici discunt ab Aristotele artem Sophisticationum & fallaciarum, non ut decipiant, sed, ut præveniant fallaciam, & sic honestus, artificiosissimus ac fidelis medicus, mysteria veneni, maximé Spiritualis, scrutatur, non cum intento intoxicandi aut damna inferendi, sed, ut majore cum certitudine & efficacia vigorosa, moliatur curationem morbi, & ut causam, eâ priùs notâ, tollat, naturâ cum venenis probé intellectâ, curatio erit eò certior. Vulnus venenosum viperæ (ut dixi) curatur Antidoto Theriacali, in cujus compositionem caro viperarum ingreditur: Oleum Scorpionum, seu ipse Scorpio per se contusus, curat ictum Scorpionis, idque attractione quadam Magnetica sui similis. Quòd cùm ita sit, cur non prudens medicus intueatur naturã venenorum Spiritualiũ, æqué ac Spiritualia alexiteria quæ sunt in homine, cùm venenũ, quod vulnerat, deprehẽdimus esse ratione suæ homogeneitatis in natura, Magnetẽ perfectissimum, ad fugendum ad sesuum simile? Si per sanam Mummiã in homine curare possunt ac tollere corruptionem seu venenum, quod similis ejus natura accidentaliter imbibit, nunquid fas est scire unũ æquè acalterum.

Confitendum est mihi (ut dixi) esse Diabolos incarnatos super terram, intelligo abominabiles ministros & filios Satanæ, qui traditi suo magistro ac capiti, committunt (ut vobis dixi antè) varias insolentias ac insidiosa stratagemata, per sanguinem, pilos, ossa, cutim & Mumniam corporalem corporis humani: Sed, super omnes alios malitia quorundam latronum, carnificum, aliorumque factionis illius necromanticæ, abominanda est coram Deo & hominibus, & digna, ut virgis ferreis cædatur, vel igne deleatur & extirpetur ex quavis republica bona, qui Diabolicâ suâ astutiâ, in usum adhibent, extremum hominis halitum in expiratione vitæ eorum, ut inserviat malignis suis intentionibus ad voluntates suas: Atque ita disturbant quietem tranquillam Spiritus hominis morientis, de quo genere malignarum, Paracelsus in hunc modum loquitur: Per triplices hasce Mummias multa passim præstita & commissa sunt ab ijs cumprimis, qui illas ipsimet præpararunt, ut sunt carnifices, lictores latrones &c. Qui non solùm vitam hominibus ademerunt & jugulatos ipsos Mummiam fecerunt, sed etiam jugulatorum Spiritum, quem Spiritum hominis vocarunt, exceperunt, illumque sibi in extremo mortis momento subjecerunt seu subjugarunt, ac varijs impositis oneribus exagitarunt. Hinc ars enata est Necromantiæ, taliter ab ipsis vocatæ: Væ autem huic arti ac illis universis, qui

Paracelſ. de Philoſ. tract. 3.

tam facilé illa abutuntur. Necromantia quidem & ipsa, est seu Diaboli seu à Diabolo instillata, docta & tradita, & ab ipsius instrumentis seu mancipijs in abusum tam grandem conversa: Sunt enim illi homines nocentissimi, quibus præstaret lapidem molarem de collo suspendi, atque ita in profundum mare eijci.

Relatum est mihi, carnifices Germaniæ vulgò, artistas esse in Diabolico hoc genere vocationis, & per illud mirabilia posse efficere, eò magis dolendum, eos ferri ac tolerari. Sic itaque quisque discernere potest differentiam manifestam inter verum usum & abusum abominabilem rei bonæ; & quomodò (ut dictum antè) sint Diaboli incarnati, æquè ac Sancti seu pij ac boni super terra, quorum nonnulli, utuntur Dei creaturis ad beneficium hominis, atque alij ad ipsius ruinam ac destructionem; & per consequens, licere medico honesto & pio versatum esse in utroque extremo, licet sola ejus praxis debet occupari in benefaciendo: Iam ad subjectum meum descendam.

CAPVT. III.

Quomodò Sympathia possit per accidens, aut mala dispositione in Antipathiam mutari; Hîc etiam demonstrationes quædam Magneticæ ad quamlibet hujus Subjecti propositionem probandam exprimuntur.

IN hoc capite, quod pertractat effectus Antipathiæ, juxta eandem, quam in discursu meo præcedenti Sympathiæ Methodum observavi, procedere mihi animus est; Quare in primo loco proponam vobis certa fundamenta, quæ eam ob rationem voco Propositiones, ac postmodùm eas varijs modis demonstrare aggrediar.

1. *PROPOSITIO.*

Vt per Sympathiam in Spiritibus naturalibus quodvis membrum corroborari potest ac fortificari: Sic itidem per Antipathiam membra possunt debilitari, corrumpi ac infici.

Exemplum experimentale seu Demonstratio.

Si Mummia Spiritualis extracta ex homine, admisceatur rebus venenosis, atque ita permittatur, ut putrefiant simul, vel misceantur cum Mummijs infirmorum ac infectorum, vel cum menstruis venenosis mulierculæ, tumque herba plantetur, vel Magnes ita imbibatur & conservetur in vegetatione continua, causa esse potest, ut morbus sit continuus: Similiter, si quis præbeat herbam aut fructum qui sapit Mummiam ægroti, bestiæ, quæ validioris ac firmioris est naturæ quàm æger; Tum bestia inficietur illo morbo, & æger liberabitur. Ab hoc experimento complures egregij abusus perficerentur à malignis hominibus, si hic modus divertendi virtutem creaturæ à bono ad malum notus esset illis: Nam hoc modo disseminare possunt febres & epidemiam: Planta enim exsuget Mummiam Spiritualem eorum, qui infecti sunt istiusmodi morbis venenosis ratione vegetativæ activitatis suæ: Similiter, si Spiritualis Mummia extracta sit mediante Magnete isto Microcosmico ex corpore lepra infecto, appliceturque, vel modo quolibet ad intra administretur alij, qui sanus est ac salubris, inficiet sanum ac salubrem, infectumque liberabit, ut à quibusdam probatum est: Hæc Paracelsus in libro de tempore.

Paracelſ. in lib. de Tempore.

2. *PROPOSITIO.*

Mummia Antipathetica ægri extrahi potest ac infici seu in fundi alij, qui sanus est.

Exemplum demonstrativum.

Hoc confirmatum est probationibus præcedentibus; & ulteriùs hunc in modum statuminatur.

Si quis ferat semina seu herbas, spectantes ad tria membra Principalia in Mummia Cadaveris mortui, seu in Mummia ex ægro vel infecto aliquo extracta, fructusque horum vegetabilium dentur seu administrentur homini vel bestiæ, tum morbus transferetur in dictum hominem seu bestiam: & hoc etiam medio improbi ac maligni inficere ac intoxicare possunt. Cùm verò hæc facinora horribilia sint spiritui religioso, non ausim ulteriùs effectus Antipathiæ in Spiritibus exprimere, qui abusu benedictionum Dei Patrari possunt. Intrabo igitur

tur aliam ſpeciem praxeos Antipatheticæ, quæ potiùs ad conſervationem hominis, quàm ad ejus deſtructionem verget. Ibidem.

3. PROPOSITIO.

Si duæ carnis particulæ, recens vulneratæ, ſibi mutuò applicentur, Sympathizabunt ac uniantur, aſſimilabuntur, unaque caro continua redderur: Ita, ut altera earum proſperat, ſic etiam altera faciet; Modò, ſi ille, à quo caro illa addita mutuata eſt, ſanus, vivus & in vegetabili ſua diſpoſitione maneat. Quòd ſi verò arbor animalis, ex qua ſurculus erat deſumptus (intelligo corpus, ex quo caro mutuata erat ſeu exſecta) marceſcat aut pereat, id eſt, agere ac vegetare dimittat, tunc quidem hæc mutuata caro, diſſidebit cum carne commodatoris, qui vivit ac vegetatur: & per conſequens, Antipathia ex illa unione procedet, quæ anteà erat Sympathetica; Ita, ut non niſi emoriens caro jam amputetur, aut à carne viva, ſuper qua tranſplantata erat & fixa exſcindatur, vivam carnem etiam Gaugrænari ac corrumpi ſecum faciet.

Experimentum ad hoc confirmandum.

Hoc rite probatum ac ſtatuminatum eſt experimento illo in Italia anté citato. Cùm enim quidam nobilis vulnere naſum amiſiſſet, vulnereque facto in Brachio alicujus mancipij ſui, ex conſilio medicorum adaptaret illud naſo ſuo itidem vulnerato, atque ita caro unius firmiter affigebatur carni alterius, continuans juxta illum modum, dum agglutinatione ac unione Sympathetica, utraque caro in unum coaleſceret, tuncque portio carnis captivi exſcindebatur ex Brachio, formabaturque in formam naſi, in Nobili illo, mancipiumque ita manu mittebatur, cum pecunia ſatis ampla pro ſuis doloribus perpeſſis: Accidit autem quodam tempore poſt, ut moreretur Mancipium, & licét ex hac vita diſcederet longé diſſitus ab hero ſuo, tamen caro mutuatitia in naſo heri ejus marceſcebat ac gangrænabatur, eatenus, ut Antipathia inter utramque carnem licet unitam in unam ſubſtantiam, uſque adeò augeretur, ut, niſi confeſtim caro illa emortua fuiſſet exciſa, reliquas partes ſanas corrupiſſet ac deſtruxiſſet.

Demonſtratio Problematica pro Magnete.

Magnes Magnetem trahit in naturali ſua poſitione, ſed innaturaliter diſpoſitus fugat ac reſiſtit alteri.

Demonſtratio hujus Problematis expreſſa fuit tam per Magnetem in ſcaphas diſtinctum, quàm per duo ferrea fila innatantia ſuberibus.

2. PROBLEMA.

Si planta exſcindatur, exempli gratia ſalix, ſique regulariter eidem trunco inſeratur, creſcet; Si verò irregulariter, emorietur ac peribit. Vbi ſuperius explicatur.

Pro hujus Problematis probatione vide 2: propoſitionem. 5. capitis, in applicatione ad vegetabilia.

APPLICATIO.

Sic, ſi Spiritus utriuſque carnis, innaturaliter diſponantur invicem, removeanturque ab unione Sympathetica ad dualitatem Antipatheticam, vel ſeparationem aut diſcordiam innaturalem, tunc tam quidem poſt inæquales diſcordantias, corruptionem generatio ſequetur: Nam (ut dictum) corruptum, corruppentis facillimè induit naturam.

4. PROPOSITIO.

Si Mummia Spiritualis ab aliena ſeu peregrina quadam natura corrumpatur, tamen reſpectu Mummiæ corporis naturalis; Sani ac ſalubris, quod ita infectum eſt, ſana ac ſalubris Mummia corporis non affecta illam Magneticé attrahet, licét non tam affectionatè, ſed tardiùs ratione unionis aut adhæſionis veneni exotici, quod mixtionem Antipathiæ cum illa Sympathiæ efficit, & ratio illius tarditatis in repulſione inſultus Antipathetici eſt, eò quòd ſana ac homogenea Mummia, partim actu ſuo concupiſcibili ſibi ſimile ſuum Sympathericum attrahit, & partim diſſimile ſuum proprietate ſua iraſcibili contaminans expellit. Sed quoniam diſſimile hoc Antipatheticum tam firmiter ſimili ſuo infecto adhæret, ideò accidit, ut reſiſtentia expul-

siva sit tarda ac debilis saltem: Ac ita Mummia Spiritualis æquè corrumpatur ac infi- | ciatur, atque altera; & hoc modo Sympathia convertiur in Antipathiam.

Experimentum ad confirmandum hoc.

Multæ ac variæ dantur probationes atque argumenta stabilientia hæc, nam cum corrupta Spiritualis Mummia in aëre ab aliquo febri pestilentiali seu variolis infecto, feratur; Mummia ita infecta, cùm sit Spiritui sani hominis homogenea, se unit, atque in hoc respectu alter alterum amplectitur: Sed Spiritus sanus Mummialis persentiscens & quasi degustans naturam heterogeneam seu infectam, quæ suo simili adhæret, illam segniùs ac tardiùs expellit, eive resistit, eò quòd suum simile concupiscit ac proinde attrahit Sympatheticé, & viciſſim | odio prosequitur suum dissimile, & proinde illud Antipatheticé non nisi lentè & segniter expellit, quod ob hanc rationem efficitur. Atque hæc est causa, crisin expulsivam subitò haud fieri, postquàm infectio quædam venenosa est recepta, nec sudores, nec hæmorrhagiæ seu eruptiones sanguinis ex naribus, quæ sunt resistentiæ ac facultatis expulsivæ Antipathiæ contagiosæ argumenta, subitò apparere volunt: Atque hoc quandoque victoriâ Spirituum sanorum, & quandoque vana eorum molitione perficitur.

1. *Demonstratio Problematica derivata à Magnete.*

Si exigua ferri portio ponatur in cymbam cum alijs necessarijs ad navigandam, ut super aquam fluctuet, atque Magnes in aliud vas ad illam ipsam aquam prope alterum collocetur, coitio, quæ fiet inter hæc bina corpora Magnetica, depravabitur de- | bilisque ac innaturalis erit facta, eò quòd Magnes affectat, & sibi validè suum simile vel maximè adamatum attrahit, si modò non misceatur materijs contrariæ naturæ, & per consequens minimè cum illo in sympathia consentiens oneretur.

APPLICATIO.

Denique, Mummia quæ Antipatheticam infectionem sibi junctam habet, & in conjunctione sanæ seu robustæ ac salutaris Mummiæ applicat, in simili ratione se habet ad fragmentum lapidis dicti Theamides (qui Antipatheticus est illi Magnetis; Nam ille, teste Plinio repellit ferrum vel Magnetem ipsum, ut Magnes illos ad se attrahit) ac si jungeretur in Scaphula seu vasculo Magneti vel portioni ferri ita locatæ | in ipsa, & scapha seu cymba ita onerata, applicetur Magneti peregrino in alia scapha in pelvi aquâ pleno, validior Magnes partim attraheret suum simile, nimirum Magnetem seu ferrum, ac partim resistet atque expellet inimicum suum; Atque ita ratione ejus attractionis expulsio ejus foret segnior ac tardior, quare etiam Philosophi Magnetici hoc habent pro Theoremate.

2. *PROBLEMA.*

Coïtio seu unio inter Magnetica corpora est vividior ac agilior, quàm fuga vel divortium à se invicem. Experientia enim docet, corpora Magnetica segniùs repelli, quàm alliciuntur seu attrahuntur sibi invicem: & ratio est, quia est quædam invasio Antipathetica, quæ progignit illud odium, | ac producit illam irascibilem resistentiam inter spiritum homogeneum Mummiæ, & venenum heterogeneum seu infectionem in illo: Nam nobis considerare incumbit, Magnetica corpora concupiscere unionem Sympatheticam.

5. *PROPOSITIO.*

Duæ Mummiæ diversorum corporum, quorum alterum sanum; Alterum infectum est, tametsi in prima sua coïtione videantur consentire, ratione respectus illius homogenei, qui est inter illas, cum non sint in earum puritate, nisi unius & ejusdem essentiæ; Tamen cùm altera infecta sit; Ac ob | eam causam dispositionem heterogeneam induit, quæ est ad essentiam utriusque contraria; Ob eam (inquam) rationem, secunda Mummia conatur diverti ab utraque, atque hoc probatur ita, demonstratione hac Problematica ex ipsius Magnetis proprietate desumpta.

3. *PROBLEMA.*

Gilb. de Mag. lib. 3. cap. 8.

Vbi duo fila ferrea tenuia ad polos Magnetis collocaveris, hæc fila simul in inferiore sua extremitate super puncto poli cohærescere observabuntur, sed in verticibus | suis erunt discordia, atque sibi invicem in extremitate sua superiore adversa, ita ut furcam juxta hunc modum facere observabuntur, ac si una extremitas evitaret ac fugeret

geret consortium seu societatem alterius.



Vbi A. C. & B. C. sunt ambo fila ferrea, quorumvertices invicem hærentes sunt: A. & B. C. autem est punctus poli Septentrionalis: A. & C. sunt Septentrionales fines, qui ferro adjunguntur & detinentur in polo. C. fines sunt Meridionales: &c.



Eadem est ratio opposita, si poli fili ferrei Septentrionales A. B. polo Septentrionali C. applicentur: Nam more furcato in hunc modum distabunt.

Ratio est, quoniam polum similem simili applicare, innaturale est.

5. PROPOSITIO.

Mummia Spiritualis de natura Sympathetica, in illam Antipatheticam recta, non modo aërem circum ambientem sed etiam medium, denfius nimirum liquores inficere valet.

Demonstratio hoc confirmans.

Historia quæ hoc confirmate potest est hujusmodi The de Bruer: In civitate cantuariensi Comitatus Kantiæ erat vir quidam in allæ confectione magnæ notæ & haud exiguæ illa sua facultate æstimationis. Accidebat multoties causa minime cognita, quod alla quam fecit. Subito deveniebat pessima, mortua & quasi nullius valoris: Conquestus est multis ex suis familiaribus de hac re, nec ratione investigare potuit, cur ipse allam ab omnibus Laudatam alijs temporibus confecerat, jam tam evidenter idque varijs vicibus errasset? Quodam die à vetula certior erat factus, hoc posse halitu fetido alicujus ex servis in confectione atque decoctione versatis, idque sua experientia evenire: Examinatis ergo servis in Allæ confectione laborantibus, unum præ ceteris halitu admodum fœtido affectum, spiritumque contagiosum invenit, quem per solutis stipendio abire jussit: Iterumque novam allam efficere nicipit, illa sine ullo obstaculo, creavit bonam, atque talem assiduè successum bonum, absente halitu corrupto habuit. Post anni spacium iterum experiendi gratia accepit servum illum halitu corrupto affectum, & in negotijs facultatis suæ ut antea applicuit, quo facto allam suam in statum pristinum redactam persentit, unde de hac re certior & securior factus, servum illum cujus spiritus erat allæ suæ adeo exitialis, iterum demisit: Hoc pluribus fide dignis est notum.

APPLICATIO.

Si ergo Spiritus iste sit adeo exitialis spiritui alieno ut eum corrumpere queat, ad distans, multo magis procul dubio Antipatheticus erat Spiritui suæ naturæ & speciei, uti in spiritu humano peste infecto videre licet, nam observatum est ultimum viri peste morientis spiraculum, admodum præsentibus esse contagiosum, pernitiosum & adeo lethale ut nihil supra.

CONCLVSIO.

Possem equidem (lector judiciose) volumen integrum congere ex propositionibus experimentalibus, unà cum probationibus eatum circa abyssum ac sylvam infinitam effectuum Sympatheticorum ac Antipatheticorum in tribus regnis, nimirum animali, vegetabili ac minerali tam mutuò inter quamlibet speciem, quàm ab individualibus ab uno genere ad aliud: Sed meas audaciores ac constantiores de vera Philosophia ejusque appendicibus opiniones, in phrasi ampliori exprimere mihi non proposui, considerando asperitatem & præcipitantiam calami mei ratione defectus mei ac insufficientiæ in polita ejus natura: Vicissim non ignoro, limata ac phalerata verba phrasesque non esse, nisi volitantes potentis ac opulenti subjecti bullas & quasi umbras, quæ, ut sunt Proteoformiter in colores infinitos mutabiles; Sic etiam hominum phantasiæ ac judicia admodùm sunt variabilia; Iuxta proverbium: Quot homines, tot sententiæ. Reor equidem, & animus præsagit, quòd, ut cunque in scriptura mea sini curiosus seu exactus, aut in phrasi

expressionis meæ laborioſus, tamen conamina mea meliora haud ſine culpa ſeu crimine in oculis curioſorum apparebunt, licèt forſan ſatis grata alijs. Quapropter ſufficere arbitror, quòd audeo eſſe in ſubjecto fundamentali Philoſophiæ hujus eſſentialis conſidens, ut pote quæ ipſam veritatem, ſine ulla verborum ſuperficialium adornatione ad ſe defendendam ac vindicandam habeat, ac proinde, ut veritas non quærit angulos, ſic etiam expreſſione verborum eloquentium, ac ſententiarum perpolitarum aut Phraſium ad ſe, in oculis ſapientum ac eruditorum illuſtrandam ac perſpicuiorem reddendam, opus non habet; Cùm neminem latere poſſit, eam omnia vincere: Eſt enim lucidus ſplendor ſeu emanatio, ab
3. p. 7. omnipotente ac æternæ fonte orta quæ illuminat omnia, ac ſe ipſam in effectu omnibus revelat, & propterea uſque adeò eſt in omnibus operibus ſuis manifeſta, ut ullo auratæ linguæ oratore, aut blando Methodico Rhetore, aut eloquenti Philoſopho, ad honorem ſibi in expreſſione excellentiæ ſuæ & in relatione perfectionis jucunditatum ſuarum, toti mundo revelatæ revelandum, non egeat, licèt indigni mundani, nolint eam cum reverentia, uti par eſt, agnoſcere aut recipere: Sed eam potiùs perpetuò omnibus conatibus ſuis velo ignorantiæ obſcuræ abſcondunt, atque ita quotidie Chriſtum ſpiritualem perſequi ac crucifigere non abſtinent, qui eſt ſola veritas, vera ſapientia, verus lapis Angularis ac eſſentiale veræ ac legitimæ Philoſophiæ ſubjectum, cujus nomen benedictum ſit in ſecula, qui ſolus cœlum ac terram ac omnia in ijs condidit, eaque ſui ſpiritus vivificatione ſuſtinet atque præſervat, qui operatur omnia in omnibus, ac regnat in gloria & potentia cum Patre in æternum, qui ſervos ſuos à malè cordatis defendere, ac inſtar ſcuti & aſyli defenſorij ad præſervandum præconem viritatis ſuæ à linguis viperinis malignorum veteratorum, tergiverſatoris convitiatorum & venenoſorum dicteriorum Cynici ac Satyrici Momi tueri dignabitur; Ipſe eſt, qui cultori veritatis ſuæ tradidit: Ego dabo vobis os ac ſapientiam, cui non poterunt reſiſtere ac contradicere omnes adverſarij veſtri. Itaque cum Propheta Davide concludam: In alarum tuarum umbra canam: Domine, in te confido: Vindica ac præſerva me ab inimicis meis juxta miſericordiam tuam. Amen.

Luce. 21.

Pſalm. 63.

FINIS.


A
Nolluntas divina a qua, Actus divinus seu sapientia faciens
Voluntas divina a qua, Potentia divina Sapiens
B
Voluntatem Patris.
Ex duobus unus sado
C
voluntatem Patris
Revelans & fundamenta e tenebris ex abscens
Sap. 11. 18.
Iob. 12. 22.
D
E
Iehova lux. Salus et vitæ robur.
F
G
DIONYSIUS.
APOLLO
DEUS
tamen
unus
in lucem Syri

SPECIAL c.1 87-B
14427
bound w/
87-B
14428
c.1